# CONSTITUTIONES MONACHORUM ORDINIS S. BENEDICTI CONGREGATIONIS...


Celestini, Benedictus santo




4
0



B. Jo. Conring [illegible] ex dono ipsius [illegible]


DVLCIS, ET
RECTVS
CONSTITVTIONES
MONACHORVM
Ordinis S. Benedicti
CONGREGATIONIS
COELESTINORVM
SS.mi Dni Nri.
VRBANI. PP. VIII
Iussu recognitæ, et eiusdem
auctoritate approbatæ,
et confirmatæ.
FORTIS, ET
VIGIL
ROMAE
Apud Hær. d. Bartholomei Zannetti 1627
DECVS ET HONOR
LORIDA ET VBER

SERENISS.MO ACREVERENDISS.MO

PRINCIPI

# MAVRITIO EMANVELI

CARDINALI SABAVDIAE

*COELESTINORVM CONGREGATIONIS*

*Protectori Optimo.*





NGENTIA tua, in Religionem noſtram, beneficia (Sereniſsime Princeps) quæ nec eſtimare præ magnitudine, nec præ multitudine numerare, ſed tantũ pro merito venerari poterit memoria poſterorum; illo in primis titulo nobis recolenda veniunt, quod Vniuerſa Cœleſtinorum Societas, Monaſticam ſuæ profeſsionis vitam, ſe Tibi debere fatetur. Cum enim reipublicæ Anima veteribus leges dictæ ſint; quod abſque legum præſcripto, nullus hominum Cœtus, conſiſtere queat; hæ, quæ Sanctioribus calculis, tem-





porum opportunitati accomodatæ, Duce Experientia, Comite Pontificia authoritate, & Generali Patrum consensu, Te Auspice, prodeunt Constitutiones, vitam Religiosis actibus, mortuis alioquin operibus, contulisse visæ sunt. Pompilius Numa legibus, quas condidit, ad Maiestatem sanciendam, Aegeriæ cuiusdam fictum Numen, appinxit. Nobis non est, cur Sacris Sanctionibus Beatissimi Legislatoris Benedicti, & Romanæ Sedis authoritate coruscis, fictum lumen, vel numen emendicetur; sed tamen gratitudinis officium amplexantes, celsitudinis tui Nominis claritatem, in titulum, & tutelam expostulamus. Vt quemadmodum de quibusdam Auibus, Naturales ferunt Scriptores, eas luminibus, atque obtutibus oua fouere, & Pullos excludere; ita ad purpuræ tuæ fouentis, & fauentis lumen, ac patrocinium, ex harum legum obseruantia, integer promatur religiosæ probitatis fœtus. Faxit à Nobis perpetuò exoratus Deus, vt dum Augustissimi Genitoris tui victricibus armis auita Iura firmantur, Tu No-

bis

bis Iuſtitiæ, ac pacis author exiſtas, auſpicijsq; tuis

*Firmetur ſenium Iuris, priſcamq; reſumant*
*Canitiem leges.*

Egó interim humilis Abbas S. Spiritus de Murrone, ac Præſidens Generalis, & Vniuerſi Patres Diffinitoriales, protectionis Celſitudinis tuæ euicti, Sacram Purpuram exoſculantes, annorum diuturnitatem, & diuini fauoris patrocinium, cunctaq; fauſta precamur. Datum Romæ Nonis Februarij M.DC.XXIX.

*Sereniſsimæ Celſitudinis Tuæ.*

*Deuotiſsimi Oratores.*

Abbas Generalis, & Patres Diffinitoriales.



OMO ad ſimilitudinem Dei factus, illi ſe debet in ſui nouitate ſpiritus conformare; à cuius perenni gratia per peccatum noſcitur corruiſſe. In cuius quidem diuinæ ſimilitudinis ſpecie, Catholica Eccleſia per orbem diffuſa, multis modis probatur exiſtere: nam quicquid in ea cernitur, aut eſt ſcripturarum auctoritas, Summorum Pontificum, Conciliorum, & Sanctorum Patrum, aut vniuerſalis traditio, aut certè propria, & ſingularis inſtitutio. Auctoritate namq; prædictorum conſtringitur, vniuerſali traditione docetur, priuatis verò Statutis, & proprijs Conſtitutionibus pro locorum, ac temporum varietate vnaquæque regitur, ac firmatur: licet igitur Ordo noſter ſuper Diui Benedicti Regula, alijsq; Statutis à Sanctiſsimo Cœleſtino V. Summo Pontifice eiuſdem Regulæ profeſſore, ac noſtri Ordinis Inſtitutore fundatus, & locupletatus, Monaſterijs quibuſdam cõpoſitis, ammiſsi luminis reaſſumpſerit claritatem, & ſub multis deinde, ac diuerſis, iuxta temporum diuerſitatem, & qualitatem editis, hactenus vixerit, & ſacris, coadiuuante Deo, profecerit inſtitutis. Ad ipſius tamen Omnipotentis Dei honorem, ac eiuſdem Inſtitutoris reuerentiæ cumulum; & vt ipſe ordo in ſua ſinceritate integer, & illibatus permaneat, atque mores corrigantur. Nos Abbas, & Diffinitores prædicti Ordinis legitimè

timè congregati, auctoritate nobis in præmissis à Generali Capitulo tradita, eodemq; consulto, & consentiente, pro complemento, & interpraetatione Regulæ, & Sacrorum Canonum obseruantia, Constitutiones antiquas pro temporum qualitate, mutandas, addendas, vel minuendas, aut moderandas, vel interpretandas, cum matura deliberatione, & sapientum consilio, mutauimus, addidimus, minuimus, moderati, & interpretati sumus, aliasq; in præmissorum occasione reformationes, & nouas (conformes tamen, ac regulares) viuendi consuetudines, iuxta eiusdem Regulæ præscriptum, & Monasticam disciplinam, à Serenissimo Principe Mauritio Emanueli Cardinali Amplissimo Augusto, & Inclito Patrono Protectore nostro; emanatas adiunximus, easq; oraculo eiusdem, & Sanctissimi Domini Nostri Papæ Vrbani VIII. mandato, Generali Capitulo humiliter obtemperante, cum Constitutionibus, & Statutis inseri, & simul omnes (vt præfertur) mutatas, additas, atque insertas in sequentem formam, & compendium redigi fecimus. Mandantes propterea, ac districtè præcipientes vniuersis, & singulis dictæ Congregationis Officialibus præsentibus, & futuris, quatenus Statuta prædicta, Constitutiones, & reformationes infrascriptas (vt subsequitur) collectas, & ordinatas vniformiter obseruent, & à singulis faciant inuiolabiliter obseruari, cæterasq; quæ præsentibus insertæ non fuerint, nullatenus recepturi.

Cum

eius congregati, auctoritate nobis in praemissis i[illegible]
Generali Capitulo tradita, eodemque consilio, ac
consensu [illegible], & [illegible]
tis Regulae, ac sacrorum Canonum observantia,
Constitutiones antiquas, pro temporum qualitate,
mutandas, addendas, vel minuendas, aut modera-
randas, vel interpretandas, cum praefata [illegible]
tione, & [illegible] consilio, [illegible]
[illegible], & [illegible] fuerit,
etiam [illegible] conditione reformationes,
& [illegible] (quae [illegible], ac [illegible]) [illegible]
[illegible], iuxta eiusdem Regulae praece-
pta [illegible]
Principe [illegible] Cardinali [illegible]
mo Augusto, & [illegible] Protectore no-
stro [illegible], [illegible] oraculo [illegible]
& Sanctissimi [illegible] Nostri Papae Urbani VIII.
[illegible] Capitulo [illegible] observan-
[illegible]
[illegible] ( [illegible] ) [illegible]
inferius in [illegible], & compendium
[illegible] Monialium, [illegible], ac [illegible]
praescriptis [illegible], & singulis dictae Congre-
gationis [illegible], & futuris, con-
[illegible]
[illegible] ( [illegible] ) [illegible],
& [illegible]
[illegible]
[illegible]

*Imprimatur, si videbitur Reuerendissimo P. Magistro Sacri Palatij Apostolici.*


A. Episc. Hierac. Vicesg.

---

*Imprimatur.*

Fr. Nicolaus Rodulfius, Ordinis Prædicatorum, Sacri Palatij Apostolici Magister.

# CONSTITVTIONES MONACHORVM Ordinis S. Benedicti CONGREGATIONIS COELESTINORVM.



## VRBANVS PP. VIII.

*Ad perpetuam rei memoriam.*



SACROSANCTVM Apostolatus officium humilitati nostræ per ineffabilem diuinæ sapientiæ prouidentiam cõmissum, iugiter Nos admonet, vt inter grauissimas, multiplicesque Apostolicæ seruitutis curas, illam peculiari studio amplectamur, per quam Christi fideles sub suaui Religionis iugo virtutum Domino famulantes, sub certis, & prouidè ordinatis Statutis, atque Constitutionibus in sanctitate, & iusti-

& iustitia felicioribus in dies proficiant incrementis, ac proinde ijs, quæ propterea statuta, & ordinata sunt, vt ab omnibus, ad quos spectat, inuiolabiliter obseruentur, perpetuaque roboris firmitate subsistant, Apostolicæ confirmationis patrocinio cōmunimus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire. Sanè dilectus filius Abbas Generalis Monachorum Congregationis Cœlestinorum Ordinis Sancti Benedicti, suo, & Diffinitorum dictæ Congregationis nominibus Nobis nuper exponi fecit; quod pro fœlici, & prospero eiusdem Congregationis regimine, atque gubernio nonnullæ Constitutiones, & Statuta diuersis temporibus facta, nouissimè autem de mandato nostro recognita, & multis in locis ad sacri Concilij Tridentini Decretorum, & Constitutionum Apostolicarum præscriptum emendata, atque aptata, tandem in vnum volumen compilata fuerunt tenoris subsequentis, videlicet.

CON-

# CONSTITVTIONVM MONACHORVM Ordinis S. Benedicti CONGREGATIONIS COELESTINORVM

*Tractatus Primus.*



## De Officio Diuino. Caput Primum.

### §. I.



ECET sanctitudo domum Domini Dei nostri, vt cuius in pace locus positus est, & ipse in maiestate mirabilis, eius cultus cum debita veneratione peragatur, & qui sua ineffabili prouidentia, recti censura iudicij cœlestia pariter, & terrena disponit, eidem à suis fidelibus eius obsequio strictius addictis deuotum præstetur obsequium.

Licet itaque per bonos, fidelesque seruos D.O.M. debitus vbique cultus impendatur; in Ecclesia tamen, quæ præcipuè Dei domus est, ad seruiendum ei humiliter, & deuotè, & sacrificium laudis, fructumque labiorum suorum in cordis munditia, & puritate offerendum, specialis deuotio desideratur.

Quapropter inuiolabiliter duximus obseruandum, quod monachi omnes nostri Ordinis cuiuscumque gradus præeminentiæ, seu conditionis existentes, diuinum officium per omnes horas Canonicas, tam nocturnas, quàm diurnas in Ecclesia recitent, aut decantent.

## §. II.

A Cuius quidem diuini officij celebratione in Ecclesia adimplenda, nullus penitus eximatur, præter infirmos, ac in negocijs,& seruitijs Monasteriorum,seu Religionis necessario,& actualiter detentos; Qui autem ad Ecclesiam horarum tempore accedere nequeunt, seorsum, aut priuatim diuini officij debitum pensum persoluere teneantur.

Si verò illud morbo oppressi explere nequeant, ipsius recitatione, quoad fieri poterit, vel spirituali aliqua lectione ab alio reficiantur. Quod Præsidentes locorum summa cum vigilantia, & charitate fieri mandent, & procurent.

Si qui verò non legitimè impediti, infirmis exceptis, propriæ salutis immemores diuinum explere officium negligent, & de illius frequenti omissione notati fuerint, terque moniti non resipuerint, aut se corrigere neglexerint. Si Officiales fuerint, ab officio, quod obtinent, ipso facto sint suspensi, voceque careant per triennium, tàm actiua, quàm passiua, & ad quæcumque ipsius Congregationis officia exercenda similiter per triennium sint inhabiles; si vero Officiales non fuerint, per mensem in carcere detineantur, & similiter ad triennium ijsdem pœnis priuationis actiuæ vocis, & passiuæ,atque inhabilitatis puniantur,pœnisque nihilominus subiaceant in Canonicis sanctionibus expressis.

## §. III.

Monachi omnes Religionis nostræ diuinum officium tam nocturnum, quàm diurnum, Psalmos, Hymnos, aliaque ad diuinum absoluendum officium requisita recitare, vel cantare debeant, secundum rubricas in Breuiario Monastico Pauli V. Pontificis Maximi auctoritate edito,eaque in dicendo ordinare, atque horas quaslibet canonicas incipere, eo modo, & tempore, prout in regula sanctissimi Patris Nostri Benedicti continetur à capite octauo vsque ad vigesimum, quod in omnibus locis, & Monasterijs Ordinis nostri ad vnguem ab omnibus Monachis seruetur; Officium etiam Beatæ Virginis Mariæ in Ecclesia recitetur diu, noctuque iuxta rubricam,& modum in eodem Breuiario ordinatum, & dispositum. Qui verò ex causa diuinis horis in Ecclesia interesse non possunt, priuatim illud persoluant.

Adijci-

Adijcimus autem vltra præſcriptum, & rubricas Breuiarij Monaſtici, vt hora prima poſt abſolutionem Capituli recitetur Oratio pro Abbate Generali,& Congregatione, retineaturque vſus ſolemnitatum ſanctiſsimi P. N. Petri Cœleſtini Tranſlationis, Coronationis, & Apparitionis,iuxta antiquam noſtri Ordinis traditionem,& conſuetudinem. Item inter ſuffragia ad Veſperas, & laudes, in omnibus noſtri Ordinis Monaſterijs habeatur commemoratio de Spiritu ſancto, & iuxta antiquam eiuſdem noſtri Ordinis conſuetudinem, ſingula quaque hebdomada die veneris poſt completorium diei decantentur, aut recitentur vigiliæ B. M. Virginis, videlicet tres Pſalmi, Domine Dominus noſter,Cœli enarrant, Domini eſt terra, cum tribus lectionibus ex ſancto Auguſtino, O Beata Virgo Maria,& Reſponſorijs conſuetis, ante Antiphonam currentem B. Virginis.

## §. IV.

OFficium pro mortuis ab omnibus in Eccleſia,& ab ijs qui horis Canonicis ex cauſa in Choro non interſunt priuatim recitetur, modo & forma, prout in eodem Breuiario Monaſtico adnotatur, ita tamen, vt Veſperæ mortuorum poſt Veſperas diei recitentur iuxta rubricas eiuſdem Breuiarij Monaſtici; Vigiliæ verò, & Laudes poſt Veſperas prædictas, aut opportuniori tempore.

Præterea anno quolibet vltra præcipuum mortuorum officium, quod recitatur ſecunda die Nouembris, & alia ſingularia officia mortuorum, tam in die, quo humantur, quam in ſeptimo, & trigeſimo, ſeu alio die, ac etiam Anniuerſario, tria generalia mortuorum officia fieri mandamus in omnibus locis, & Monaſterijs ipſius Congregationis, vnum quidem pro defunctis Monachis noſtræ Religionis,poſt exaltationem ſanctæ Crucis; alterum autem pro defunctis Fundatoribus,& Benefactoribus, poſt octauam Epiphaniæ; tertium verò pro defunctis Monachorum noſtræ Religionis parentibus, & conſanguineis, poſt octauam Corporis Chriſti; Prima, ſcilicet feria, in qua non occurrit feſtum poſt feſta prædicta.

Item pro quolibet Monacho, & Oblato noſtræ Religionis, tam Nouitio, quam Profeſſo, qui moritur in habitu Religionis, dicantur vigiliæ Mortuorum, vt eius obitus nunciatus fuerit.

Item quoque fiat quando Summi Pontificis,& Protectoris obitus auditus fuerit.

Item ſi quis Monachus petierit in Capitulo veniam pro patre,

matre, fratre, aut ſorore paulò ante mortuis, dicatur in Capitulo pſalmus De profundis, cum oratione conuenienti.

## §. V.

OBlati verò, ſiue Conuerſi noſtri Ordinis quotidie pro horis Canonicis recitent Roſarium Beatæ Virginis Mariæ, & pro mortuorum officio idem Roſarium dicant prima die cuiuſlibet menſis, & ſimiliter cum in Choro recitatur officium magnum pro mortuis.

Ad prædictam igitur diuini officij recitationem, & omnes horas Canonicas tàm nocturnas, quàm diurnas, omnes qui debent, & potuerint (vt præmittitur) dato ſigno vltimo, ad Eccleſiam deuotè accedant, & per ordinem iuxta profeſsionis tempus, vel officij rationem in Choro diſponantur, & cum primum ad propria loca peruenerint, quilibet in ſuo genuflectat ad implorandum ſanctiſsimæ Trinitatis auxilium, iuxta antiquam Patrum noſtrorum conſuetudinem, & traditionem, ac breuiter oret.

Adijcientes, vt feſtiuis diebus, & quandocumque frequens conuenerit in Eccleſia populus, cucullis induti, & cum cappa, qui Nouitij ſunt, ad Eccleſiam conueniant; Idem quoque in ſolemnibus, & publicis proceſsionibus ſeruetur.

## §. VI.

CVm autem conuenerint, vt ſupra, ſtatim qui præeſt in Choro, poſt prædictam breuem orationem, ſignum faciat, & omnes ſe erigant, dictaque oratione Dominica, ſalutatione Angelica, aut etiam ſymbolo Apoſtolorum, iuxta rubricam Breuiarij, Sacerdos, cui hoc competit, officium diuinum incipiat, & omnes illud deuotiſsimè proſequantur. Cum verò diuinum recitatur officium, omni qua decet humilitate, ac deuotione aſsiſtant, nec loquantur, niſi magna neceſsitate coacti, & ſubmiſſa voce, vt ne quidem minima muſsitatio audiatur; laſciuas, & impuras muſicas, motus corporis incompoſitos euitent, vt qui interſunt ædificentur; cum per Eccleſiam incedunt modeſtiam præſeferant.

Durante diuino officio, è Choro non egrediantur, niſi vrgenti cauſa, & venia à Præſidente obtenta; pſalmos, lectiones, omneſque alias officij partes, tàm recitando, quàm cantando punctis, & notis, atque conuenientibus, & debitis pauſis diſtinguant, & terminent

nent

nent ſecundum antiquum vſum ipſius Congregationis.

Ac ideò Præſidentes Monaſteriorum, tàm in punctis, quàm rubricis, & notis, dictionibus, & ſyllabis libros Eccleſiaſticos ſtudeant à peritis ſecundum prædictum vſum vniformiter conſcribi, atque corrigi, itaut idem diuini officij modus ab omnibus vbique ſeruetur.

## §. VII.

CVm autem tardius ad Chorum Monachi conueniunt, ad altare conuerſi genuflectant, atque tacitè, & humiliter ſubmiſſo capite, propriæ tarditatis eos pœniteat, & tamdiu ſic pœnitendo perſeuerent, quouſque Præſidenti viſum fuerit, eos pro modo culpæ ſatisfeciſſe. In cæteris autem deficientes arguantur in Capitulo, vel in ipſo Choro ſatisfaciant ad libitum Præſidentis, prout temporis, vel culpæ ratio pro fidelium ædificatione requirit.

Leuius in Choro deficientes, detecto capite genuflectant in ſcamnis; Grauius verò deficientes, proſtrati in medio Chori ſatisfaciant ad ſignum, & nutum Præſidentis; finito autem diuino officio, antequam ab Eccleſia diſcedant, orent genuflexi, dicant verſus, orationes, & antiphonas, prout in Breuiario, & ad ſignum Præſidentis omnes pariter ſurgant, & cum ſummo ſilentio exeant, vt mandat ſanctus Pater Benedictus in regula cap. 52.

Ceremonias autem inter cantandum, ſeu recitandum diuinum officium, & in Miſſis, atque proceſſionibus ſolemnibus, alijſque Eccleſiaſticis functionibus faciant, atque obſeruent iuxta Ceremonialia, & Rituale Romanum vltimò editum.

## §. VIII.

ORatio etiam mentalis omninò fiat quotidie in Choro, aut alio aptiori loco, hora, quæ Abbati, & Prælato magis opportuna videbitur, commodè autem videtur fieri poſſe poſt laudes, & poſt Completorium, & ad minus per ſpatium dimidiæ horæ protrahatur, atque ad eam omnes, nemine excepto, etiam Conuerſi, conueniant. Priuatim etiam in oratione mentali ſe exerceant Monachi, & exercitationes alias ſpirituales frequentent, & legantur ſæpe, & ſeruentur ea, quæ tradit ſanctus Pater Benedictus in Regula à cap. 4. vſque ad 8. & cap. 20. & 52.

Ac præter opus meritorium, quod huiuſmodi exercitationum ſpiritualium frequentia faciunt, aduertant, & meminerint etiam à

fel. rec. Paulo Papa V. Religiosis (reuocatis Indulgentijs) nouas esse concessas, vt sua Constitutione cauetur, cuius tenorem in calce præsentium Constitutionum inseri decreuimus. Prælati diligenter curent, vt Monachi sæpius vel saltem semel in anno exercitia spiritualia, quæ etiam apud alios Religiosos frequenter habentur, & nostris maioribus, ac primis Patribus fuerunt in vsu, amplectantur, & frequentent, moneantq. illos de fructu, & Indulgentijs per ipsos acquirendis, iuxta prædictam Constitutionē fe. rec. Pauli Papæ V.

## De Celebratione Missarum. Cap. II.

### §. I.



OFFICIVM Missarum, Processionum, Palmarum, Candelarum, Cineris, & Mortuorum, secundum Romanum ritum, & ordinem in omnibus locis, & Monasterijs ipsius Congregationis vbique existentibus recitari, seu decantari mandamus, ac propterea volumus, vt ipsius Congregationis Monachi secundum eumdem ritum, Missali monastico, & modo canendi Epistolas, Euangelia, lectiones, & orationes vtantur, eumdemq. prorsus modum, & ordinem in prædictis vbiq. seruent.

### §. II.

IN Missis tàm conuentualibus, quàm votiuis decantandis seruetur in vno quoque nostro Monasterio antiqua consuetudo, de qua fiat adnotatio in Tabella.

Attamen prima die Capituli Generalis de Spiritu sancto. Secunda de Trinitate. Tertia verò de Beata Virgine missæ in omnibus locis, & Monasterijs nostræ Religionis deuotissimè decantētur.

### §. III.

ITem pro quolibet Congregationis nostræ Monacho, & oblato, tàm Nouitio, quàm Professo cum habitu, & gratia Religionis defuncto, singulis in locis, & Monasterijs cantetur Defunctorum Missa, vt primum eius obitus ipsis Monasterijs fuerit nunciatus, & quilibet sacerdos Missam celebret pro illius anima. In monasterio autem vbi moritur, quilibet sacerdos tres Missas paritèr celebret.

idem

Idem quoque fiat quando summi Pontificis, aut Protectoris obitus auditur, in omnibus Monasterijs.

## §. IV.

AT post exaltationem sanctæ Crucis pro omnibus fratribus defunctis, post octauam Epiphaniæ pro omnibus benefactoribus, & fundatoribus, & post octauam festi Corporis Christi pro omnibus parentibus, & consanguineis Monachorum ordinis nostri, prima videlicet feria, in qua non occurrit festum post festa prædicta vsque ad tres dies annuatim continuas per singulas prædictas ferias in omnibus locis, & Monasterijs nostris per omnes ipsos tres dies cantetur Missa pro eisdem solemniter, & sacerdotes dicant tres Missas post festa prædicta pro eis. Cum autem inter ipsos tres dies festum occurrit duplex ad sequentes dies similiter non impeditos Missæ prædictæ decantandæ celebratio transferatur: Semper quoque sacerdotes in Missa commemorationem faciant omnium mortuorum Congregationis nostræ, siuè sit Missa pro viuis, siuè pro mortuis in memento pro defunctis.

## §. V.

A Prædicta igitur Missarum celebratione,aliorumq. solemnium, atque à processionibus quibuscumque, tàm ex præcepto, quam ex deuotione, & consuetudine, faciendis, alijsq. præmissorum occasione requisitis, nullus penitus Monachus nostri Ordinis (nisi legitimè impeditus) eximatur, aut nisi ex Regulæ,Constitutionumq. dispositione fuerit exemptus.

## §. VI.

ITem omnes presbyteri (quò ad fieri poterit) sæpius tàm ex debito pro mortuis persoluendo, quam ex deuotione Missas celebrent; officiales,quidem singulis diebus festis, & ter saltem in hebdomada; cæteri autem sacerdotes tertio quoque die,nisi fuerint impediti. Prælati verò pariter sæpius celebrent, & quotidiè (si legitime impediti non celebrant) Missam audiant, nisi nostrarum ecclesiarum onera sæpius celebrari requirant: Curent similiter Prælati, vt Oblati, & famuli Missam quotidie audiant.

Meminerint verò Monachi sacerdotes, à fel. me. Paulo Papa V. Religioso sacerdoti canonicè promoto, & confesso primam Missam celebran-

celebranti, nec non etiam ijs Religiosis, qui pariter confessi, ac sacra communione refecti eidem Missæ interfuerint, aut ipso die similiter Missam celebrauerint, Indulgentiam peccatorum plenariam esse concessam. Et in festo principali ordinis cuilibet Religioso confesso, & communicato, aut Missam celebranti, ac Deum pro sanctæ Ecclesiæ exaltatione oranti, similiter plenariam.

## §. VII.

STudeant autem Prælati, vt obligationes in lucem euocent Missarum, aliorumq. onerum, & describi curent in Tabella, quæ in Sacristia appensa remaneat, Missarum numerum.

# De Confessione, & Confessoribus. Cap. III.

## §. I.

STVDEANT sacerdotes cum celebrare voluerint, pœnitentiæ sacramento, & semel saltem in hebdomada mundare conscientiam, ac immaculatam hostiam sine macula contrectare, vt dignè offerant, & suscipiant; Cæteri etiam Congregationis nostræ Monachi, & Oblati singulis mensibus, tàm in monasterijs, quàm extra, ad confessionem saltem bis accedant, & in prima Dominica mensis cuiuslibet semper Eucharistiam sumant.

Quicumque verò (vt præmittitur) confessionis sacramento conscientiam abluere neglexerint, saltem semel in mense, puniantur acriter ad arbitrium Superioris. Et Prælati ipsi, qui hanc Constitutionem ad vnguem seruari non curauerint, ab officio per mensem suspensi ipso facto censeantur, qua suspensione durante Vicarius illius officium exerceat.

## §. II.

CVm autem conscientiarum inquinamenta dignoscere, peccatorumq. differentias, & peccati speciem mutantes circumstantias diiudicare, non vulgare exigat iudicium. Ideò in singulis or-

lis Ordinis nostri monasterijs, quæ per Abbates, aut per Priores reguntur, Superiores, aut etiam Abbas Generalis ex rationabili causa deputent tres Confessarios, siue plures, aut pauciores pro Subditorum numero maiore, aut minore, sed non minus duobus, iuxta Constitutionem Clementis VIII. Confessarij verò per prædictos deputandi, sint prudentia, charitate, & scientia præditi, & si fieri potest, ætate prouectiores, qui à casuum reseruatorum absolutione abstineant, nisi facultate obtenta à Superiore.


Circa casuum reseruationem, Superiores locorum, vt supra decretum Clementis Papæ VIII. attendant, vt scilicet, ea tantum peccata reseruent, quæ in eiusdem Clementis decreto expresè cõtinentur, aut ex illis aliqua prout subditorum vtilitati expedire prudenter in Domino iudicauerint. Quod si aliud peccatum graue præter ea pro Religionis conseruatione reseruandum videbitur, id non aliter fiat, quam Generalis Capituli matura discussione, & consensu.

Attendant præterea Congregationis nostræ Superiores, ne Monachi alijs, quàm deputatis peccatorum suorum confessiones aperiant, ne vè alterius Congregationis, vel Ordinis regularibus, aut Presbyteris sæcularibus peccata confiteantur, nisi in mortis articulo, aut de suorum Superiorum concessione, aut cum non adest inculpabiliter copia Confessarij, vt contingit iter agentibus.

Nullus ex ordine nostro secularium confessiones audire præsumat, nisi à suo Prælato fuerit coram ordinario loci præsentatus, & ab eodem facultatem ad id obtinuerit, aut à sancta Sede Apostolica speciali indulto fuerit deputatus, qui nihilominus à reseruatis abstineat, nisi de eisdem casibus Ordinario, aut Sedi Apostolicæ reseruatis, in mandatis legitimam etiam obtinuerit facultatem.

## De Excommunicatione. Cap. IV.

### §. I.



SPIRITVALIS impedimenta medicinæ, quæ pro ablutione peccatorum, & emundanda conscientia adhibetur, quamuis multa esse noscantur; ea tamen per quæ ab Ecclesiæ gratia, & participatione diuinorum officiorum aliqui abscinduntur, & suspenduntur. maximi videntur esse periculi, præcipuumq. requirere pro reintegratione

reintegratione remedium salutare. Itaq. Abbates, & qui curam gerunt animarum, quique ad aliorum Confessiones audiendas deputantur in primis attendant, & cum omni qua decet sollicitudine perquirant super casibus excommunicationis, suspensionis & interdicti, vt subditos suos, aut pœnitentes valeant, cum occurrit in ijs, quæ sibi de iure, vel priuilegio permittuntur, absoluere, aut dispensare cum eis, & in alijs eos ad Superiores, & sanctam Sedem Apostolicam pro absolutione, vel dispensatione remittere.

## De Nouitijs recipiendis. Cap. V.

### §. I.



T hæc sancta vinea, quam sanctissimus Pater Benedictus multo sudore plantauit nouis subcrescentibus vitibus virescat, indeq. incrementum suscipiat: Monachi Nouitij ad Ordinis nostri habitum, iuxta infrascriptum modum, non aliter accipiantur, nisi sponte, firmoq. proposito, ac bono zelo melioris frugis, ac perfectioris vitæ, nullaq. dignitatum, lucri, vel otij spe ducti se Deo dicare velint, neque cuiquam facilis tribuatur ingressus, sed probentur spiritus, si ex Deo sunt. Idcirco seruentur ea, quæ S. P. Benedictus præscribit in Regula cap. 8. de disciplina suscipiendorum fratrum.

### §. II.

Recipiendi, sint corpore sani, ex legitimo matrimonio, & honestis parentibus nati, sint conditione liberi, & in ætate legitima constituti, vt saltem quartum decimum ætatis annum compleuerint, grammaticalibus rudimentis instructi, non excommunicati, non schismatici, non alterius Congregationis Professi, nisi summus Pontifex expresse iusserit, vt recipiantur, nulla sint vulgari infamia maculati, de nullo errore suspecti, non criminosi, non ære alieno grauati, vel reddendæ alicuius administrationis rationi obnoxij, sani mente, Deum timentes, & qui sanctæ Romanæ Ecclesiæ fidem, & obedientiam in omnibus, & per omnia seruauerint, & tenuerint. Sint etiam cum membris aptis, & nullum habeant in illis notabilem defectum, nec in vultu cicatrices, ac demum tales,

qui

qui ritè, & canonicè possint ad sacros Ordines promoueri. Quod si vigesimum annum excesserint, non nisi per Capitulum Diffinitoriale admittantur. Et si quis vigesimum quintum excedens admitti postulauerit, & eruditionis expers inuentus fuerit, in Conuersorum numerum, & habitum admittatur.

Qui pro laicis, & oblatis recipiuntur sint similiter liberi, ac sani mente, & corpore, atque ad labores vtiles, apti, & tales vt eorum admissio Monasterijs proficua sit, & populo non modicam afferat ædificationem. Nec recipiantur pro Conuersis ante decimum octauum, & non post vigesimum quintum ætatis suæ annum, & nisi saltem præcipua Doctrinæ Christianæ capita nouerint. Qui verò vigesimum quintum excesserint, non nisi per Capitulum diffinitoriale recipi possint.

## §. III.

Recipiendorum verò qualitates per fide dignorum hominum testimonium probentur, & quæsitæ visæ, ac notæ sciantur, itaut nulla remaneat super eis ambiguitas, antequam ad habitum admittantur. Inquiratur etiam super corporis valetudine, ne ad ordinem nostrum aliqua detentos infirmitate occulta, aut contagiosa, vt lepra, morbo gallico, vel caduco, aut valetudinarios recipiant. Si verò interrogati morbum cælauerint, cum morbus innotuerit, si professi expresè non sint, eijciantur. Idem seruetur si aliquid ex requisitis supra, sibi deesse compertum fuerit. Et recipiendi omninò eas conditiones habeant, quæ sacris Canonibus, summorum Pontificum præsertim Clementis VIII. Constitutionibus, & Decretis generalibus super Nouitiorum receptione, professione, & institutione ab eo editis, & in Regula præscribuntur.

## §. IV.

Sacri Concilij Tridentini dispositioni inhærendo, vt in Monasterijs nostris is tantum numerus constituatur, vt in posterum conseruetur, qui ex ipsorum redditibus commodè poterit sustentari: Statuimus quod in eadem Prouincia plures ad habitum recipi nequeant, quam eiusdem Prouinciæ Monasteriorum facultates ferre possint; & quot successiuè deficient in qualibet Prouincia, tot & non plures successiuè recipiantur in locum deficientium ex illismet Prouincijs, vnde sunt Monachi, qui deficiunt, si habiles, vt supra

repe-

reperiantur, sin minus ex viciniori Prouincia: Numerus autem personarum in Monasterio cuiuslibet Prouinciæ à Diffinitoriali tantum Capitulo deputetur.

## §. V.

NVllus Religionis nostræ cuiuscumque sit gradus, quempiam nostro habitu induere, & sic ad Congregationem recipere, & exacto probationis anno ad professionem admittere audeat, sub pœna priuationis propriorum officiorum, sine Abbatis Generalis, aut Diffinitorialis Capituli licentia, quæ licentia non tribuatur, nisi habita informatione, & plenè compertis recipiendorum qualitatibus supradictis. Hi verò qui excedent decimum sextum ætatis annum non recipiantur,aut admittantur extra tempus huiusmodi Capituli per Abbatem Generalem,nisi in Congregatione saltem trium principalium Patrum Quarterij ab ipso, & eodem Capitulo deputanda, & de eius mandato congreganda respectiuè approbati, & admissi fuerint, iuxta formam, & modum prædictarum Constitutionum Summorum Pontificum, & Decretorum generalium Clementis VIII. Admissi ad habitum ad ea Monasteria transmittantur in Prouincia, vbi fuerit Nouitiatus, ac in ijsdem Monasterijs habitum Religionis suscipiant; vel si in aliquo ex Monasterijs principalibus Religionis habitum susceperint,statim cum litteris testimonialibus ad locum Nouitiatus transmittantur. Recipiendi autem coram Patribus congregatis toto corpore humi prostrati petant supplices se recipi, & genu flexi, iunctisque manibus inter manus recipientis, habitu Nouitiorum induantur, videlicet alba tunica, cingulo constricta, patientia nigra, & cappa nigra à cingulo superius clausa, vsque ad collum, inferius verò scissa sine manicis, & cum caputio, & sic induti pro Nouitijs habeantur, tondeanturque more Monastico.

Qui verò ad Oblatorum habitum fuerint admissi, tunica alba induantur cum patientia nigra pro latitudine tertiæ partis saiæ, quæ vulgo dicitur Scotto, & sic in probatione maneant vsque ad Professionis emissionem. Sed antequam admittantur, prædicentur eis dura, & aspera iuxta Regulam, & de tribus votis essentialibus, statuque regulari, & alijs Congregationis Institutis diligenter instruantur.

Quilibet autem habitum monasticum suscipiens die primo ipsius ingressus

ingressus in Religionem per generalem peccatorum confessionem conscientiam discutiat, & expurget: Nam & fel. rec. Paulus Papa V. die primo ingressus in Religionem, si verè pœnitentes, & confessi sanctissimum Eucharistiæ sacramentum sumpserint, plenariam concedit Indulgentiam, quod erit illis significandum.

## §. VI.

RΕcepti ergo iuxta ædictum Regulæ, & prædictas Clementis VIII. Constitutiones, & Decreta in separato loco à Dormitorio, & loco Professorum collocentur.

Locus autem huiusmodi sit omnino propria clausura à loco Professorum segregatus, atque distinctus.

Habeat tot ad dormiendum cellulas separatas, quot erunt numero Nouitij, nec non cellulam, aut certum locum pro Magistro, eiusque Socio, vbi necessarius fuerit.

Sit etiam locus aptus ad spirituales collationes faciendas, ac lectiones, instructionesque Magistri audiendas, & ad ignem communem hiemis tempore, & si commodè fieri poterit, etiam Capella ad Nouitios in spiritualibus; præsertim in ceremonijs, Ecclesiasticisque functionibus exercendos.

Habeant Nouitij hortum peculiarem ad honestam recreationem sin minus concedatur eis per hortum communem certis horis spatiari, præsente Magistro, cæterisque Monachis remotis.

Ad Nouitiatum, aut Nouitiorum cellas nemini vllo vnquam tempore pateat aditus, præterquam Magistro, eius Socio, & Superiori Monasterij, quandocumque sibi ingrediendum necessario iudicauerit, & tunc cum Magistro, & aliquo ex Patribus senioribus, & Superioribus maioribus, ac Visitatoribus tempore visitationis.

Locus idem sit semper clausus, & clauis apud Magistrum semper asseruetur, neminem Nouitij alloquantur, nisi concedente, & præsente Magistro, & non aliter.

## §. VII.

PRouideatur Nouitijs de Magistro, qui sit Sacerdos saltem annorum quadraginta bonorum morum, & vitæ anteactæ exemplo, ac doctrina præstanti, per decennium professo, Regulæ, ac Institutorum nostræ professionis experto, & iugo Monasticæ disciplinæ assueto, qui eosdem Nouitios in Dei timore, regulari disciplina, di-

na; diuinis officijs, cantu firmo, ac ceremonijs Ecclesiasticis sedulò exerceat. Doceat quoque vocationis, qua digni facti sunt præstantiam, votorum solemnium, ac Regulæ, & Constitutionum obseruantiam; modum in oratione mentali, & etiam vocali fructuosè persistendi, passiones illicitas cohibendi, sensuum custodiam, & mortificationem, crebram conscientiæ discussionem, & examen sæpius in dies, sacramentorum frequentiam præsertim Pœnitentiæ, exercitium humilitatis, circa viliora ministeria, quæ eis imponuntur, modestiam in gestu, & omnibus actionibus, frequens diuturnumque silentium, præsertim præscriptis, & statutis horis; disciplinas quoque, & austeritatem, ac cæteras obseruantias ad præscriptum Regulæ, & spiritualis fructus augmentum.

Ad hæc autem addiscenda, & cum fructu adimplenda, dentur Nouitijs præter Regulam, libri spirituales pro cuiuscumque captu tàm latina, quàm vulgari lingua conscripti in quorum lectione sæpe versentur; bis saltem in die dent operam orationi mentali, non solum publicè cum cæteris in choro, sed etiam priuatim in cella.

## §. VIII.

AD Regulæ, ac Constitutionum expositionem in Capitulo conueniant Nouitij cum Professis, ad collationes, & sermones: Similiter in choro; in processionibus, & refectorio: alio tempore nusquam cum Professis commorentur; neque tamen cum illis loquantur, nisi necessariò, & præsente Magistro.

Nullo modo permittatur Nouitijs Professos domo exeuntes comitari.

Soli Magistro Nouitiorum confessiones audiendi cura committatur, licebit tamen Superiori etiam locali ipsis Nouitijs semel, aut bis in anno confessarium extraordinarium deputare.

Exercitationes etiam corporales, & opera manuum imponantur, iuxta regulam, atque etiam modestæ animi relaxationes; sed in solitario loco, & extra Nouitiatum semel in hebdomada, semper præsente Magistro, qui curet, ne duo simul ab alijs commorentur, aut vagentur disiuncti, & tunc cuiusque naturalem propensionem animaduertat.

Pro communibus, & proprijs cuiusque necessitatibus, quæ accidere possunt, vnus ex Nouitijs ætate moribusque prouectior deputetur, qui omnia prout opus fuerit agat, & eidem ianuæ custodia,

& rerum

& rerum leuioris momenti prouisio intra Nouitiatum committi poterit.

Nouitij etiam cum reliquis Clericis Profefsis ad facram Eucharistiam bis in menfe accedant, & in omnibus præcipuis sollemnitatibus: In Quadragesima verò, & Aduentu singulis dominicis diebus confiteantur, & communicent.

## §. IX.

CONuersi etiam in loco separato à Clericorum Nouitiatu ad dormiendum collocentur ad exercitationes spirituales alicui seniori per Superiorem deputando, ac Superiori Monasterij subditi sint, neque tantum circa corporalia obsequia probentur, verum etiam pro eorum capacitate de spiritualibus, præsertim de modo mentaliter orandi diligenter instruantur. Et idcirco ad Capitula, & spirituales Conciones, quæ per Magistros Nouitijs, vel in Monasterio fieri solent, accersiri debent, & etiam in Ecclesia conuenire statutis horis, nisi tunc in suis officijs fuerint actualiter occupati.

## §. X.

MAgistri Nouitiorum deputentur, & statuantur in Diffinitoriali Capitulo, per triennium adminus quod si extra tempus capitulare, & intra triennium aliquem eorum vel mori, vel vrgenti de causa amoueri contigerit, tunc per Abbatem Generalem, de Diffinitorum tamen Quarterij respectiuè consilio, deputatio Magistri huiusmodi, & subrogatio fiat. Et eadem ratio habeatur, vbi dandus sit Socius, qui in regimine Nouitiatus Magistro immediatè subiectus existat.

Magister Nouitiorum, & Socius, vbi fuerit datus, ab omnibus officijs, & oneribus sint exempti, quæ Nouitiorum curam, & regimen impedire possunt.

Ipsi autem Nouitij, si magistram in omnibus non sequantur Regulam, atque in monasticis Institutis minus profecerint, à Monasterio eijciantur, aut si ex ipsorum dispositione voluntatis, vel aliàs humanis litteris imbui recusauerint, vel nequiuerint, vt propterea ad sacros ordines promoueri non possint, si discedere noluerint, vestibus induantur Oblatorum. Sed qui ad Oblatorum habitum recepti fuerint, ad Clericorum statum transire nullo vnquam tem-

pore poſſint; & ſi habitum dimiſerint, & habitum alterius Religionis receperint, ad noſtrum ordinem nullus omninò detur regreſſus.

## §. XI.

VEſtes autem ipſorum, quibus ante ingreſſum vtebantur, & alia, quæ ſecum ad Congregationem detulerunt, antequam reciperentur, & ſimiliter donata, vel legata ab eis conſeruentur ad annum, nec liceat cuiquam interim de eis diſponere: elapſo anno ſi profiteri voluerint, emiſſa profeſſione, diſtribuantur, prout Abbati viſum fuerit, pro Monaſterij vtilitate, vel commodo.

## §. XII.

QVod ſi completo anno, receptus in ætate exiſtens legitima profiteri voluerit Ordinem Monaſticum, & eum excipienti poſt diligens, & nouum examen placuerit admittere, idem recipiendus teneatur profeſſionem expreſſam in ſcriptis facere, ipſamque ſcribere manu ſua, vel ſigno S. Crucis, ſi Oblatus fuerit, & ſcribere ignorauerit, ſignare, ſcriptam quoque omnibus adſtantibus propria voce legere, lectamque in Altari deponere iuxta formam à S. P. Benedicto in Regula traditam, & in Congregatione conſuetam, atque ab Abbatis, vel Prælati manibus Cucullam, aut ſi Oblatus fuerit Cappam ab anteriori parte apertam accipere, ita vt Clericus ab Oblato diſcernatur. Debent autem Nouitij ipſa die profeſſionis peccata ſua confiteri, & ſanctiſſimam Euchariſtiam ſumere, nam pœnitenti, & confeſſo, ac ſacra Communione refecto Nouitio, poſt completum probationis annum, profeſſionem emittenti, Plenariam peccatorum Paulus Papa V. concedit Indulgentiam.

## §. XIII.

PRofiteatur autem Paupertatem, Caſtitatem, & Obedientiam, morum conuerſionem, & ſtabilitatem in Congregatione, iuxta Regulam ſanctiſſimi P. N. Benedicti: Ipſa verò Profeſsio in Monaſterijs recipiatur, vbi fuerint Nouitiatus inſtituti, atque etiam in alijs, vbi vigeat regularis obſeruantia, ex cauſa tamen rationabili, & conſulto Abbate Generali, aut Capitulo Diffinitoriali; In alijs autem nullo modo permittatur.

Ad Profeſſionem verò ante decimum ſextum ætatis annum, &

non nisi expleto, & continuato probationis anno, Nouitij Clerici non admittantur, Conuersi verò, seu Oblati, nisi vigesimum primum ætatis suæ annum excesserint; Profiteri verò volentes, in Capitulo humiliter petitionem faciant, & super ipsa petitione vota Patrum exquirantur per scrutinium secretum, nec aliter censeantur admissi, nisi maiorem votorum partem obtinuerint.

Cum primum autem professionem emiserint, in Matricula describatur eorum nomen, cognomen, nomen parentum, patria, in qua natus est, professionisquè locus, annus, mensis, & dies annotentur in libro ad hoc specialiter deputato, ipsamquè professionem sic registratam Professus propria manu, & duo testes qui præsentes fuerint subscribant, & iuxta decretum Clementis PP. VIII. idem liber asseruetur in Archiuio, vbi scripturæ ad Monasterium pertinentes custodiri consueuerunt. Ea verò omnia, quæ supra statuta sunt circa receptionem, & professionem Nouitiorum, obseruari volumus, sub pœnis priuationis officiorum contra Superiores, nullitatis, & alijs in prædictis Constitutionibus, & decretis Clementis PP. VIII., contentis.

## §. XIV.

PRædicti autem iam in Professorum numerum recepti, vt melius in bono spiritu, & regularis disciplinæ obseruantia confirmentur, si in eodem Monasterio aderit locus Professorij, siue secundi Nouitiatus distinctus ab habitatione antiquiorum Professorum, & Nouitiorum ibi collocentur, si eos Monasterium alere queat, sin minus ad aliud Monasterium commodum ad huiusmodi effectum deputandum transmittantur, in quo locus cum requisitis ad Nouitiatum supra narratis reperiatur: Quo in loco degant sub regulis, & modo viuendi, prout in Nouitiatu, ibique permaneant vsque ad ætatem sacris ordinibus suscipiendis sufficientem, vel vt saltem per triennium, & litterarum studijs operam dent. Sub regimine Superioris ijs qualitatibus præditi, quibus Magistrum Nouitiorum præditum oportere esse dictum est. Ac propterea in Capitulo Diffinitoriali, vel intra triennium ab Abbate Generali cum consilio Diffinitorum Quarterij respectiuè locus huiusmodi deputetur in quolibet Quarterio, & prouideatur de Magistris tam pro exercitatione obseruantiæ Regularis, quàm pro studijs litterarum. Lectores verò Philosophiæ, & Theologiæ ijsdem gaudeant priuilegijs,

quibus Magiſtrum Nouitiorum gaudere dictum eſt. Et cætera obſeruentur, quæ in Conſtitutionibus fel. rec. Clementis Octaui præſcripta ſunt.

## §. XV.

PRæterea tam ſeculares, quàm alios maſculos, & fœminas, bonæ tamen conditionis, & famæ, qui ſe ſe, & bona ſua ſponte noſtræ Religioni offerunt, ac donant, poſſint Prælati Monaſteriorum pro Oblatis, & mortificatis recipere, dummodò ijdem Oblati, ſi coniugati fuerint, obedientiam, ſin autem cum obedientia paupertatem, & caſtitatem ſuis Prælatis promittant, & Cappa B. Petri Cœleſtini Patris noſtri poſtmodum induantur, eamque deferant: & ſi peccauerint ſicut cæteri Monachi corrigantur; & vt Monachi ipſi, dum vixerint, Religionis gaudeant priuilegio ſpeciali, dũmodò cum effectu obtulerint ſe, & ſua, & actu inſeruiant, & habitum ſolitum cum ſigno deferant. Prædictis autem Oblatis vti interulis lineis, & veſci carnibus, liceat in domo propria, vel etiam viris in Monaſterio, ſi ab Abbate de ſpeciali gratia concedatur: Cum huiuſmodi autem Oblatis fœminis nimia familiaritas, & priuata locutio, etiam in ipſa Eccleſia omninò vitetur.

# De Promouendis ad Ordines. Cap. VI.

## §. I.



Vm autem ante Profeſſionem emiſſam minimè ſint Nouitij aggregandi, integrumque illis ſit manere, vel abire, ideò præſenti Conſtitutione ſancimus, quod Nouitij nullatenus ante Profeſſionem valeant minoribus, aut ſacris Ordinibus initiari. Profeſsi verò ab Abbati Generali, vel de eius licentia, in ſcriptis habita, ad minores tantùm, ad maiores autem de ipſius, vel diffinitorialis Capituli licentia in ſcriptis obtenta, valeant promoueri. Ad minores quidem ij, qui linguam latinam callent, bonoſque mores præſeferunt, & aliàs habiles reperti fuerint, quoſvè eruditionis ſpes maioribus Ordinibus dignos fore promittat, promoueantur iuxta Sacri Concilij Trid. diſpoſitionem, & per temporum inter ſtitia, niſi Abbati Generali, vel Capitulo ſupplicandum

Epiſco-

Episcopo necessitatis causa, pro dispensatione super interstitijs, videbitur, vt in vnoquoque munere se exerceant.

## §. II.

AD maiores autem ordines ij promoueri valeant, qui iuxta eiusdem Concilij decretum habiles, & digni, præuio examine tales, & idonei iudicati fuerint, quorum probata vita sit, & in inferioribus ordinibus iam probati, & à postremo ordine suscepto ad suscipiendum per annum ad minus in ministerio suscepti ordinis versati, & alias digni ad suscipiendos ordines dijudicati, ac litteris, & his, quæ ad ordinem exercendum pertinent instructi, super quibus ipse Abbas Generalis, vel Diffinitores diligentissimè se informent, ordinandorum genus, personam, natalia, ætatem, institutionem, mores, doctrinam, & fidem diligenter inuestigantes, & examinantes, & talibus repertis, licentiam in scriptis tribuant, vt possint se coram quocumque Catholico Episcopo gratiam, & communionem sanctæ Sedis Apostolicæ habente, conferre, atque ad sacros Ordines promoueri ad formam decreti Clementis VIII.

## §. III.

SI qui verò grandiores natu ad Religionem accedunt, & in ea profitentur, ita per temporum interstitia ordinibus initientur, tam minoribus, quàm sacris, & iuxta eiusdem sacri Concilij decreta non modò in ætate requisita cum ordinantur, constituti, sed aliàs habiles sint, ac idonei, & nihilominus ipsi quoquè ab Subdiaconatum, non ante secundum, ad Diaconatum non ante tertium, & ad Presbyteratum non ante quartum, ab emissa eorum professione, annum, valeant promoueri.

# De Studijs.. Cap. VII.

## §. I.

NE autem Clerici propter inscitiam à diuinis repellantur, dicente Domino, quia scientiam repulisti, ego te repellam, ne Sacerdotio fungaris mihi, & vt ad diuinarum rerum cognitionem possint facilius peruenire. Ideò districtè præcipimus, vt Professi, qui ad humaniores litteras percipiendas

idonei iudicati fuerint, ad præcipua Monaſteria ad id deputanda, vel deputata, & vbi litterarum ſtudia vigent, ſtatim, vt dictum eſt, tranſmittantur, diſtribuanturque, ſecundùm prædictorum Monaſteriorum commoditatem, & facultatem, prout Patribus Diffinitoribus videbitur, vel Abbati Generali pro tempore exiſtenti.

## §. II.

IN quibus Monaſterijs Superiores ipſi Præceptorem doctrinam, & moribus præditum ex eadem Congregatione deputare teneantur, qui iuniores præfatas humanas litteras doceat, latinas ſcilicet, græcas, & hebraicas. Qui verò ad ſcientiarum intellectum apti eſſe dignoſcentur, ad ſtudia, ſuperioreſque facultates, iuxta eorum habilitatem promoueantur, & quamprimum ad loca illa, in quibus de præſenti retinentur, vel retinebuntur in poſterum ſtudia, tranſmittantur.

Ad ſtudia autem deſtinentur hi, qui bonam ſpem de ſe concitarunt; quare in ſingulis Diffinitorialibus Capitulis, tam annalibus, quàm generalibus præuio examine, & ſufficientia, & requiſitis qualitatibus præditos ad ſtudia tranſmittant, nec aliter quiſquam in poſterum admittatur, & propterea in Capitulo Diffinitoriali deputentur Examinatores, ac Viſitatores etiam tempore viſitationis, qui eamdem diligentiam, & examen adhibeant. Cum autem ſtudentes ad locum ſtudij accedere voluerint, Superiores locorum vndè diſcedunt dent eis viaticum, equum, ac ſi quæ alia fuerint eis neceſſaria.

## §. III.

IN primis autem in Abbatia ſancti Spiritus habeatur ſtudium publicum, vt ſicut ipſa caput eſt omnium Monaſteriorum, & ab ea in cætera Congregationis Monaſteria Regularis vitæ emanare debet exemplum, ita ſcientiarum, virtutumque ſemina diffundantur.

Inſuper in ſingulis Quarterijs pro Studentium commoditate, atque vt ſtudij onera per ipſa Quarteria diſtribuantur, ſingula erigenda eſſe ſtudia decernimus, in illis videlicet Monaſterijs, in quibus id facilius, & commodius fieri poterit, & quæ commodiora viſa fuerint, tam in reddituum abundantia, quàm aliàs in ſitu, & habitatione.

§. IV.

IN ſtudijs, vt ſupra deputandis pro infraſcriptarum facultatum lectionibus, prouideatur de Lectore pro lectione ſacræ Theologiæ, qui ſit omninò doctus, & licentiatus in ſcholaſtica Theologia, atque ad hoc officium habilis, & idoneus, & qui legendo alijs totum Philoſophiæ curſum expleuerit per triennium; Prouideatur etiam de alijs ſimiliter idoneis, & licentiatis, qui inferiores facultates Logicam videlicet, & Philoſophiam, ac ſacros Canones, & caſus Conſcientiæ doceant.

§. V.

LEctor per hebdomadam quinquies legat, & diſputet ab octaua Paſchæ, vſque ad feſtum ſancti Iacobi, & indè à ſupradictis lectionibus vacet vſque ad feſtum S. Hieronymi; à feſto autem ſancti Hieronymi vſque ad Palmas legat omninò duas lectiones eiuſdem facultatis in die, vel ex Scriptura ſacra receptis, & probatis eius Expoſitoribus inhærendo, vel ex Theologicis, maximè verò Diui Thomæ, & quotidiè poſt prandium conferat, aut diſputet.

Lectores autem aliarum facultatum legant, iuxta Studentium capacitatem, prout eis prudenter expedire videbitur.

§. VI.

CÆterum, vt Scholæ in locis prædictis perpetuò conſeruentur, & tam propterea legentes, quàm Studentes ob incommoda, exiguoſque redditus aliquando ſacrarum, & humanarum litterarum ſtudia intermittere non cogantur, præſenti Conſtitutione decernimus, quod in ſingulis Capitulis Diffinitorialibus de ſtudiorum neceſſitatibus, & indigentijs pro ipſorum conſeruatione tractetur, ibidemque de ſubuentionibus Monaſteriorum prædictorum, ac taxis propterea imponendis, aut redditibus applicandis prouideatur. Subſidia verò ipſa ad hoc impoſita exigantur, & exacta pro ſtudij neceſſitatibus, & non in alios vſus de Diffinitorij, vel Abbatis Generalis mandato expendantur.

§. VII.

VT autem ob librorum defectum Studentes à ſtudio, & lectione deficere non cogantur, in ſingulis Quarteriorum

gymnasijs Bibliothecæ erigātur, & locupletentur, quibus etiam libri tam Studentium, quàm Lectorum, & aliorum Monachorum, si quos fortè apud se de Superiorum licentia pro vsu habuissent, post eorum mortem applicentur, & de cætero applicati censeantur Bibliothecæ eius Quarterij, in quo moriuntur.

## §. VIII.

DEputentur autem Custodes Bibliothecarum, eorumque curæ sit numerum librorum, & qualitatem apud se retinere, atque studentibus eos, vt opus erit, de Prælati licentia distribuere, notamque eorum, quos ijsdem distribuerint, facere, & vt nullo modo asportentur, aut distrahantur, diligenter cauere, integramque librorum notam, & numerum (cum opus est) resignare. Quod si quispiam de furto, siue asportatione, aut distractione librorum conuictus fuerit, capucio per annum priuetur, & nihilominus libros restituere cogatur, si apud eum extant. Neque verò vllo modo libri Bibliothecarum asportentur extra Monasteria sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda, cuius absolutio Abbati Generali sit reseruata, & alijs pœnis arbitrio eiusdē Abbatis Generalis infligendis.

## §. IX.

LEctores cuiuscumque facultatis, cum eos lectionibus incumbere oporteat, à communibus Ecclesiæ, ac mense seruitijs omnibus eximantur, atque ferialibus diebus tantum ab horis tam nocturnis, quàm diurnis, præterquam Tertia, Vesperis, atque Antiphona B. Virginis in Completorio, immunes sint. Diebus autem festis duplicibus, Dominicisque omnibus diebus, ad horas omnes canonicas, tam nocturnas, quàm diurnas, siue legendas, siue decantandas, & ad processiones omnes, & singulas tam quotidianas, quàm solemnes, tam debitas, quàm iniunctas; vel iniungendas, & ad Missas quaslibet Conuentuales singulis per totum annum diebus, post Tertiam, vel Sextam, vel Nonam decantandas, & ad officia mortuorum, tam generalia, quàm particularia pro aliquibus non tamen ferialia, & ad Capitula culparum conuenire debeant, sed officium, quod in Ecclesia dicere omittunt, explere priuatim omninò teneantur, sub pœnis contra omittentes diuinum officium in sacris Canonibus expressis.

Lectores autem actu legentes, si Sacerdotes fuerint, tam in Ecclesia,

clesia, quàm in Capitulo, & in mensa immediatè primum locum teneant post Vicarium. Si verò Clerici, non Sacerdotes, post Sacerdotes immediatè locum teneant.

## §. X.

SEd, & studij tempus, quo scilicet studium perfici possit, præfigendum esse duximus, vt alij cedentium loco successiue ad studia mitti, & subrogari possint: Ideoque tres annos pro Humanitatis, Rhetoricæ, & Poeticæ facultatibus, totidemque pro Logicis, Physicis, & Methaphysicis lectionibus, ac totidem pro Theologia, seu iure Canonico singulis Studentibus assignamus. Decernentes quòd interea prouectiores repetant, Physici quidem, & Methaphysici Logicam, Theologiæ verò Studentes, lectiones Physicas, & Metaphysicas.

## §. XI.

CVm verò sit Abbatis Generalis, & Capituli Diffinitorialis Lectores, & Prædicatores deputare, vt ij, qui magis idonei sunt, deputentur. Nullus ad explanandas lectiones, nisi saltem Diaconatus ordine initiatus, ad verbum verò Dei populo prædicandum se ingerat, nisi sit Presbyter, ac Licentiatus, vt supra, & habita ab ijsdem legitima facultate. Peracto verò toto cursu studij adhuc per tres annos immediatè sequentes, Theologi in principalibus locis, & scholis legere teneantur, atque in primis S. Thomæ Summam explanent; qui verò ex legitima causa legere non valuerint; prædicare debeant, prout à dicto Capitulo decernetur. Nec possint ad officia Congregationis assumi, nisi dicto triennio expleto, legendo, siue prædicando, vt supra; quo quidem elapso, proprijs eorũ suffragantibus meritis, ad Prioratus officiũ assumi possint.

## §. XII.

QVi verò ad prædicandum, seu legendum dimittendi erunt, coram Capitulo Diffinitoriali, seu Abbate Generali genuflexi, vel eo absente, coram Prælato Monasterij; fidei professionem emittant iuxta decretum sacri Concilij Tridentini, & Constitutionem Pij Quarti. Lectores autem, & Studentes in separato loco disputent, & lectiones audiant, & nihilominus sicut cæteri, quoad regularem disciplinam, & obedientiam Prælatis in omnibus, & per

omnia

omnia ſubdantur. Aduertant autem Prælati ne Studentes laicos intra Mo naſterium cum Studentibus Monachis admittant, neuè eos ſimul cum eis habitare permittant, neque commorari, niſi de Superiorum licentia.

## §. XIII.

LEctores etiam deputentur iuxta ſacri Concilij Tridentini decreta, in ſingulis Monaſterijs, qui ſaltem ter in hebdomada præſcriptis diebus lectiones ſacræ Scripturæ eam interpretando, & Caſuum conſcientiæ habeant. Ad lectionem autem huiuſmodi omnes (nemine excepto) conueniant, eaque abſoluta circa explicatam doctrinam ſe ſe vtiliter exerceant, prouideantque omninò Viſitatores, & Prælati Monaſteriorum, vt huiuſmodi lectio numquam intermittatur, tam concedendo aliquas immunitates legentibus, quàm pœnas irrogandò intermittentibus, vel negligentibus, & non adeuntibus.

# De Nominibus, & Tonſura, Cap. VIII.

## §. I.



OMnes ipſius Congregationis Monachi nullam in veſtibus, & Tonſura differentiam faciant, ſed iuxta Regulæ diſpoſitionem, ſicut à principio Inſtitutionis noſtræ Statutum fuit, vniformiter veſtiant, & tondeantur, citra omnem exceſſum, faſtum, aut luxum.

Nullus præterea ſe Magiſtrum, Doctorem, Graduatum, aut Baccalaureum appellari permittat, neque alio vti nomine, aut titulo audeat, quam officij, quod obtinet, ne propterea præponatur alijs, niſi per Abbatem præpoſitus fuerit. Sed omnes in appellatione ædictum Regulæ ſeruent, vt ſcilicet iuniores ſeniores ſuos, Patres, appellent, ſeniores verò iuniores Fratres vocent, omnes autem Patrem Abbatem nominent: Cognomina autem, pronomina, & agnomina in appellatione non addant; Turpia verò, vel obſcena nomina penitus euitent.

§. II.

MOnachi Religionis nostræ comam non nutriant, neque barbam, sed omni tempore decimoquinto quoque die comam, & barbam more monastico per tonsuram deponant, parua corona capillorum super summitatem aurium in circulum ducta: Oblati verò supra aurium summitatem non radant, sed æqualiter tondeant, ab auribus verò infra radant, & barbam similiter deponant. Si quis secus fecerit pro vice qualibet ad pedes Monachorum comedat, ac in Capitulo recipiat disciplinam, & ad obediendum cogatur.

Cum Abbas Generalis Religionis nostræ ad quemcumq; Religionis nostræ Monachum scribet, Prælato, vel subdito benedictionem mittat in Domino pro salute, ac eorum in Christo Patrem, & Fratrem se nominans humilem Abbatem sancti Spiritus, ac Monachorum suorum Præsidentem se subscribat; è conuerso autèm cum Prælati, & Monachi alij scribunt Abbati Generali recommendationem pro salute præscribant, & obedientiam mittant, tàm debitam, quàm deuotam, ac se se ipsius in Christo filios nominantes, nomina, officiorum, quæ obtinent, apponant. Si officiales fuerint, se pro humilitate immeritos subscribant; singuli autem Monachi, & Officiales de proprijs Monasterijs, ac patria appellentur; Contrafacientes verò pœna leuiori, & arbitraria puniantur.

## De Ordine Monasterij. Cap. IX.

§. I.



VLlus in alterius se locum ingerat, sed in locis sibi conuenientibus distribuantur, & stent, vt infra, videlicet primam sedem mediam Chori, nullus vnquam occupet, sed sit semper Abbatis Generalis, post quem primum locum teneat Abbas, siue Prior Monasterij, secundum in Choro, & Ecclesia Hebdomadarius, Tertium Decanus in Monasterio sancti Spiritus, in alijs verò Monasterijs Vicarius, Quartum Lector Theologiæ, Quintum Magister Nouitiorum, Sextum Lector Philosophiæ, Septimum Lector casuum conscientiæ, vel Sacræ Scripturæ; Cæteri autem per Chorum hinc indè distribuantur,

& pro-

& propria loca teneant, ſicut in ætate legitima conſtituti expreſſam profeſſionem feciſſe noſcuntur, itaut loca non à die ingreſſus ipſorum in Religionem: ſed à die profeſſionis emiſſæ ſibi conſignari debeant.

## §. II.

SI verò in Monaſterio non erit Studium, primum locum poſt Prælatum teneat Hebdomadarius: ſecundum Vicarius, tertium Lector caſuum Conſcientiæ, vel ſacræ Scripturæ, poſt Lectorem, ille, qui erit in Monaſterio profeſſione antiquior, & ita de dextro in ſiniſtrum ſibi inuicem ſuccedentes, minores cedant maioribus, & ſeniores iunioribus, iuxta præſcriptum ordinem præponantur.

Nouitij verò durante probationis tempore, poſt profeſſos collocentur, qui nihilominus (quamuis reuera in Religione propria loca non habeant, cum de corpore Monaſterij non ſint) ſibi inuicem in Choro ſuccedant, ſicut ad habitus ſuſceptionem ſunt admiſſi, niſi forſan ipſorum aliquis in Sacro aliquo ordine fuerit ante Religionis ingreſſum conſtitutus; Is enim, etſi vltimò aduenerit, omnes præcedere debet, & immediatè poſt profeſſos collocari: Poſt emiſſam autem ipſius profeſſionem teneat locum poſt vltimum Sacerdotem: Oblati ſimiliter iuxta profeſſionis ipſorum tempus ſe inuicem præcedant, & Nouitij Oblatorum, ſicut Nouitij Monachorum diſponantur, & cum ſimul congregari contigerit cum cæteris, poſt Nouitios Monachorum collocentur.

## §. III.

CVm autem in Monaſterio perſona publica, ſiuè ex diffinitorio aderit, in loco Præſidentis Monaſterij in Choro collocetur, eadem quoque habeatur ratio de Priore Abbatiæ; Decet enim, vt quemadmodum ipſa eſt caput omnium Monaſteriorum, ita ipſius Prior Superiores alios præcedat: Abbas autem Generalis cum aderit primam, aut mediam ſedem teneat; Abbas autem Conuentualis, aut Prior poſt prædictos Officiales publicos collocetur; Scriba eiuſdem Abbatis Generalis proximum locum teneat poſt Prælatum Monaſterij, & cæteros omnes antecedat, tam eos, qui ſunt de corpore Monaſterij, quàm alios omnes, etiam Priores. Socius autem eiuſdem Abbatis Generalis eidem Scribæ immediate ſuccedat.

Si ade-

Si aderit aliquis Prælatus alterius Monaſterij à Prælato Monaſterij præcedatur. Si aderit Vicarius. Grancerius, præcedatur etiam à Superiore Monaſterij, alijs verò Monachis præponatur.

## §. IV.

ABbates verò titulares (ſi qui fuerint) qui abſque demerito tamen, aut Canonica depoſitione, ab adminiſtratione vacent, primum locum teneant poſt Præſidentem illius Monaſterij, in quo prædicti Abbates degunt, aut quomodocumque reperiuntur.

Si autem aderit ſubditus alterius Monaſterij cum cæteris per ordinem iuxta profeſsionis emiſſæ tempus diſtribuatur, & collocetur. Si verò plures in eodem Monaſterio principales, & publici Officiales, aut Priores, & Superiores præſentes fuerint, inter ſe collocentur, cum conueniunt, ſicut in Capitulo de ordine Congregationis eſt ordinatum.

Cæremonialia verò tàm in Choro, quàm in menſa, & quæcumq. ad prælationis, ſiue adminiſtrationis officium, tam in ſpiritualibus, quàm in temporalibus ſpectare dignoſcentur, per proprios tantùm Monaſterij Superiores exerceantur.

## §. V.

EVmdem verò modum, & ordinem teneant in Capitulo & collatione Patrum ante Completorium, ac omnibus alijs locis publicis, vel priuatis, cumque minores anteuenerint, maioribus ſuperuenientibus eis cedant; ſimili quoque ordine diſponantur in menſa, in qua tamen ſi minores anteuenerint, poſtquàm ſederint non cedant maioribus ſuperuenientibus, niſi ei tantùm, qui præeſſe debet in menſa.

## §. VI.

CVm autem aliqui aderunt in Congregatione Monachi, qui poſt expreſſam eorum profeſſionem ad ſeculi vanitatem redierunt, & per aliquod tempus extra Congregationem, eiuſque limites, & clauſtra permanſerunt ſine ſuorum Superiorum licentia, etiam ſi habitum non dimiſerint, ac deinde ad ipſam reuerſi ſunt; ſi poſt regreſſum diſpenſati fuerint, & locum quem apoſtatando amiſerant, recuperauerint ab Abbate Generali, & Capitulo, tempus profeſsionis ipſorum non attendatur iuxta numerum annorum currentium

à die professionis ipsorum vsque ad diem, quo de loco dispensati sunt, sed annis Apostasiæ omninò subtractis, attendatur iuxta numerum annorum, quibus continuatim intra Congregationem, eiusque limites, & claustra regulariter vixerint in obedientia suorum Superiorum, & ita pro tot annorum professis habeantur, alioquin si dispensati, vel gratia donati non fuerint (siquidem non erunt in sacro Presbyteratus ordine constituti) cum reuertuntur post Professos immediatè collocentur: Si autem erunt Presbyteri, post Sacerdotes similiter immediatè ponantur, & ordinentur.

## §. VII.

HI verò, qui propter demerita, vel aliam rationabilem causam ab Abbate Generali canonicè degradati fuerint, illa loca teneant, quæ per demeritorum, vel degradationum tempora eis donantur, nec prima loca recipiant, quousquè per Abbatis Generalis speciales litteras, & in pleno Generali Capitulo ipsis locis fuerint restituti.

Nulli autem dictæ Congregationis Monacho quantumuis officijs dignioribus functo (Coabbatibus ob munus benedictionis dumtaxat exceptis) post propriorum officiorum dimissionem, vel carentiam, locum alium, seu præeminentiam, aut gradus, aut immunitatem habere, graduque ac præeminentia ob ante habita officia potiri liceat, sed illum locum attendat, in quo Ingressus est Religionem, & loco sibi, vel professione, vel Constitutionum dispositione conuenienti gaudeat, & potiatur.

## §. VIII.

IPsi verò sic ordinati, ac distributi per Choros, dùm vicissim, & alternatim recitant, & cantant, non confundantur, sed inuicem sibi cedant, prout eis ex professione, vel officio competit, & sicut sedent, ita inuicem in recitando, vel cantando succedant; Psalmos quidèm, & Antiphonas, & Prophetias, & Tractus à maioribus ad minores descendẽdo, Lectiones verò, & Lamentationes à mino ibus ad maiores ascendendo, statuto superius pro temporis, vel officij qualitate sedendi, vel standi, ordine non mutato; In cæteris autem honore inuicem se præueniant, sequè in bonis operibus adiuuent, & in humilitate contendant.

De

# De Vestimentis, & Calceamentis Monachorum, & Vtensilibus. Cap. X.

## §. I.

IN Vestibus, & calceamentis, lectisternijs, rebusque alijs vtensilibus luxum fugiendum esse iubemus, omnemque auri, vel argenti vsum, serica, & pretiosa quælibet, & alia id generis magni valoris, lineas camisias sanis Monachis, ac denique singularitatem in prædictis omninò prohibemus.

Vestimenta, & calceamenta, quibus Monachi nostri vti debent, in posterum sint de Saia, quæ vulgo dicitur, Scotto, vt vniformitas vbique seruetur.

Abbatis autem Generalis vestimenta differant à vestibus aliorum, iuxtà antiquum vsum, ac Priuilegia ipsius Congregationis.

## §. II.

VEstimentum autem sit Tunica inferior alba trium telorum Scotti longa vsque ad cratem pedum, manicas habens non strictas, neque bottonatas, sed aliquantulum grandiores æqualiter ab humeris ad manus vsque protensas, iunctas, & clausas, cuius Tunicæ anterior pars à collo ad thoracem vsque scissa, & aperta sit, vt commodiùs ea monachi indui possint. Sed indè infra omninò clausa, & consuta esse debeat. Item scapulare vsque ad cratem pedum similiter longum, pro medietate scotti latum, & cum Capucio consueto. Item Cuculla longa vsque ad cratem pedum trium telorum, cum manicis grandioribus, & longis vltra summitatem digitorum, itaut possint amplè ad flexuram brachij duplicari, ad quas duodecim palmi dictæ Saiæ sufficere possunt. Item Interula alba de Saia flandrensi pro quantitate corporis, longa vsque ad genua, manicas habens similiter ab humeris æqualiter protensas, iunctas & clausas vsque ad palmam manus: Vestimenta autem supradicta non sint suta ad luxum, sed simpliciter.

Calcea-

## §. III.

CAlceamenta Monachorum sint Caligæ albi coloris. Item Calcei de corio nigro protensi,& non aperti à lateribus cum duabus soleis iunctis, vel vnà cum subere absque alia superposita, & ornata sutura. Item Crepidæ similiter de corio nigro protensæ vsque ad cratem pedum cum duabus soleis, vel vna cum subere, simplices, & absque aliqua superposita, & ornata sutura. Item Femoralia, seu Mutandæ de panno lineo, vel laneo simplices: Cingula sint de lana communi albi coloris.

## §. IV.

VEstimenta pro oblatis sint huiusmodi, videlicet, Tunica alba de Saia flandrensi,longitudinis supra cratem pedis pro dimidietate vnius palmi, Scapulare nigrum latum pro tertia parte latitudinis Saiæ prædictæ eiusdem longitudinis Tunicæ; Interulæ lineæ protensæ vsque ad genua; Pallium nigrum de panno paulò breuiùs Tunica,Biretum more monastico. Alia verò indumenta pro eis conformentur indumentis Monachorum.

## §. V.

VT autem nulla appareat inter Monachos differentia vestium veterum, & nouarum, & vt eadem mensura, & distributio fiat vestimentorum; Ideò præsenti Constitutione decernimus, quod vno, eodemque tempore de supradictis vestibus singuli Monachi prouideantur de triennio in triennium modo infrascripto: Anno primo triennij Superiores Monasteriorum prouidere teneantur eis de Tunica,Scapulari,& Capucio secundum modum vt supra:Secundo anno de tribus Interulis laneis,Scapulari cùm Capucio,prout supra. Tertio anno prouideantur de Tunica,Scapulari cum Capucio, & Cuculla, prout supra. Prædicta verò omnia vno, & eodem tempore consignentur; scilicet, in festo Resurrectionis Domini Nostri Iesu Christi integra, & absque mora,ac dilatione aliqua.

Prouideantur eisdem annuatim in festo,scilicet,Omnium Sanctorum Fæmoralium,Caligarum,& Crepidarum; de Calceis verò prouideatur eis secundum necessitatem, & indigentiam. Oblatis autẽ professis prouideatur primo anno de Tunica,Scapulari,& Bireto. Anno secundo de tribus Interulis, Scapulari, & Bireto; Anno tertio de

tio de Tunica, Scapulari, Bireto, & Pallio, tempore quo supra.

Prouideatur similiter eis annuatim in festo omnium Sanctorum de Femoralibus, & Caligis; de Calceis verò secundum eorum indigentiam.

## §. VI.

VLtra verò vestimenta, & calceamenta prædicta, quamuis alia dare, aut consignare non teneantur, & nulla apud eos debeat fieri acceptio personarum, tamen iuxta edictum Regulæ Monachorum indigentiam, & qualitatem attendant, maximè verò debilium, Prædicatorum, Lectorum, & Officialium, eisque vltra prædicta de alijs vestibus, & calceamentis prouideant necessarijs, & opportunis.

Prædicta autem vestimenta, & calceamenta recipiant Monachi, vbi statutis temporibus, vt supra reperiuntur, etiam si per annum integrum in Monasterio eodem non fuerint commorati.

## §. VII.

CVm autem tam Monachi, quàm Oblati recipiunt noua vestimenta, & calceamenta, vetera in manibus Superiorum resignent, eaque aut Christi pauperibus, & egenis, seu etiam infirmis, & debilibus quomodolibet opus habentibus, vel etiam ipsismet Monachis, & Oblatis ea consignantibus (si quomodolibet eis opus habebunt) ab eisdem Superioribus, si ita iudicauerint, erogentur, & concedantur.

Nullus verò cuiuscumque sit gradus, & conditionis Monachus vestimenta prædicta tam noua, quàm vetera vendere, vel donare præsumat, aut quomodolibet distribuere, neque valorem ipsarum vestium in alios honestos, & necessarios vsus conuertere, aut etiam charitatis intuitu indigentibus, & pauperibus erogare. Contrarium verò facientes pœnam sustineant grauioris culpæ.

## §. VIII.

POrrò si Monachi à longinquis partibus, vel aliter in locis nostræ Religionis moraturi adduxerint vestimenta, vel aliqua alia diuersa ab ijs, quæ supra deposuimus, Superiores locorum, ad quæ prædicti Monachi missi fuerint ad morandum, teneantur infra mensem vestimenta huiusmodi, & res illas vetitas, quas tule-

rint, Monachis prædictis auferre, & dare eis alia, quibus Monachi in ipsis partibus communiter vtuntur, itaut in vllo genere vestimentorum, vel calceamentorum, aliarumque rerum nulla sit varietas inter Monachos.

## §. IX.

NEc liceat Monachis eis donata, vel missa vestimenta, vel vtensilia retinere, sed donata, vel missa quæcumque erunt, non per ipsos, sed per alios pro Superiorum arbitrio conseruentur pro vsu ipsorum communi, qui verò contrarium fecerint, si ipsarum rerum valor proprietatis habuerint speciem, grauioris, sin autem leuioris culpæ per octo dies continuos pœnitentia corrigantur, & etiam careant eisdem. Quod si fortè Superior aliquid Monacho subdito suo petenti negauerit, illud idem is subditus nec petere, nec recipere à minore Officiali præsumat.

Nullus denique iuxta edictum Regulæ sine Superioris licentia aliquid audeat retinere, librique Monachorum, & Lectorum, seu Prædicatorum, qui ad eos quomodolibet peruenerint, applicentur Bibliothecis, vt in Capitolo de studijs ordinatum est, illis tantùm libris exceptis, qui Lectorum, & Prædicatorum vsui per Superiorem ad tempus conceduntur, & concedentur in posterum pro lectionis, & prædicationis munere; mobilium vsus permittatur, iuxta Sacri Concilij Tridentini decreta; itaut supellex statui paupertatis conueniat.

## §. X.

CAueant autem ipsi Superiores, ne vestimenta, & calceamenta supradicta subditis consignare differant, seu quouis prætextu, & colore, vel causa denegare præsumant, sub pœna priuationis Officiorum, neque audeant pannos in pecunia dare, neque Monachi quoquo modo illos in pecunia recipere, possint tamen pro alijs necessitatibus compensari. Contrarium autem facientes, vel attentantes, dantes quidem priuentur proprijs officijs, recipientes verò pœnam sustineant grauioris culpæ. Pecunia verò ipsa, quam receperunt nullatenus in manibus ipsorum relinquatur, sed pro ipsis à Superioribus expendatur pro vestimentis eis tunc debitis à Monasterio.

Abbati

## §. XI.

ABbati Generali autem, & Coabbatibus, ac Visitatoribus, Diffiniroribus, & alijs publicis Officialibus, quibus tam visitationis causa, quàm aliàs pro propriorum officiorum executione Monasteria visitare, causasque sibi commissas cognoscere, & exequi conuenit, ne in itinere æstiuo, ac hyemali tempore pluuijs, & frigore offendantur, prouideatur de indumentis, atque omnibus alijs necessarijs ad commodè iter agendum.

## §. XII.

STramenta verò ipsa, seu lectisternia singulis Monachis in illis Cellis consignentur, eaque de sacco, matta, leua, capitali, & linteaminibus parentur, iuxta Regulæ dispositionem, & vsum, ita tamen modestè, vt ne quid nimis ipsi affligantur, neque in commoditatibus, & delitijs tepescant, & regularis obseruantiæ rigor lentescat.

Capsæ etiam singulæ singulis consignentur, Depositarij verò, Procuratores, Coqui, Cellararii, Expensores, & Sacristæ pro rerum Monasterij conseruatione, quæ apud ipsos conseruantur, capsas omninò sera clausas habeant: Nemini etiam liceat in Cellis pannos, & paramenta pro ornamento retinere, neque impudicas picturas, aut statuas, & alia ipsorum vitæ, quam profitentur, non conuenientia, & superuacanea; singuli autem in proprijs Cellis Domini nostri Iesu Christi, aut Beatæ Mariæ Virginis, vel Sanctorum Imagines teneant.

## §. XIII.

MOnachi autem ipsi nudi non dormiant, sed vestiti, & cingulo accincti, & sine cultello, iuxta Regulæ dispositionem, & propter euitandam immunditiam, & in æstate calorem, Janea interula saltem, & paruo Scapulari sint induti; soli verò semper dormiant.

Noctis tempore in Dormitorio à Completorio vsque mane lumen adsit in loco commodiori, vt totum Dormitorium illuminet, ne reuertentes ab Ecclesia, & ad ipsam accedentes offendant, & vt lumen ad occurrentes necessitates præsto sit semper: Cum autem in Cellis sunt, & vigilant, orationibus, meditationibusque incum-

bant, ſine clamore, & ſtrepitu, & cum ſummo ſilentio, & grauitate, & voce ſubmiſſa, ne alios perturbent, id peragant: Incedentes autem per Dormitorium cum exeunt, vel reuertuntur, pedetentim pergant, & ſine ſtrepitu, ne alios inquietent.

# De Clauſura Monaſterij. Cap. XI.

## §. I.

DEcet Monachos in locis vbi degunt, ita eſſe diſpoſitos, vt ſeculi conuerſationem vitent, quam profitendo renunciant, & quod habitu profitentur, nomine, & factis adimpleant; licet igitur noſtri Ordinis Monaſteria ferè omnia ex Chriſti fidelium deuotione, ac diſpoſitione intra Ciuitates, & Caſtra ſita ſint, & minus à populorum frequentia, & concurſu remota, ea tamen populis, & concurſui patere nullatenus permittantur, ſed ita clauſa ſint, vt nulla præbeatur Monachis vagandi occaſio; ſed tanquam mundo mortui, qui in eiſdem commorantur, mundana non ſentiant, & à diuinorum contemplatione minimè retrahantur.

## §. II.

HAc itaque ratione moti ſtatuimus, & mandamus vniuerſis, & ſingulis Monaſteriorum noſtrorum Superioribus, vt locorum, quibus præſunt, principales ianuas, tam diu, quàm noctu ita ſeris clauſas teneant, vt neque externis ingrediendi, neque domeſticis egrediendi liber aditus pateat. Et ne propterea Monaſterij neceſſaria ſeruitia, quæ foris agenda ſunt, omittantur, in ſingulis Monaſterijs deputetur, iuxta Regulam, Oſtiarius vigilans, & prudens, qui cum opus fuerit ipſam portam ingredientibus, vel egredientibus claudat, vel aperiat.

Ipſe verò ianuarum Cuſtos neminem egredi, neque ingredi ſecundam ianuam permittat, vel permittere præſumat, niſi de Superiorum licentia, vel mandato, ſed venientium nominibus, aduentuſque ipſorum, cauſis interrogatis, & cognitis antequam ad Monachos introducat, Prælato nunciet, & ab eo mandatum accipiat.

Potiſ-

## §. III.

POtiſsimè verò caueant, tam ipſi Oſtiarij, quàm locorum Superiores, & alij, qui Monaſticam profitentur vitam, ne mulieres cuiuſuis ſint conditionis, gradus, vel ſtatus, & præeminentiæ intra Monaſteria, domoſque, vbi ipſi habitant, ſub quouis prætextu, occaſione, vel colore, aut quauis etiam vrgentiſsima cauſa introducere, vel intromittere, aut quouis modo permittere, & conſentire, quod mulieres intra ipſa Monaſteria ingrediantur ſub pœna priuationis propriorum officiorũ, & perpetuæ inhabilitatis ad illa, & alia in poſterum obtinẽda, & alijs pœnis in Canonicis ſanctionibus, & Rom. Pont. Bullis expreſſis: Subditi verò contrarium facientes vltra pœnas prædictas per ſex menſes in carceribus detineantur.

## §. IV.

ANimaduertant ſimiliter Superiores, ac diligenter attendant, ne laicos, aut perſonas alias extraneas, qui intra noſtra Monaſteria ingrediendi cauſam, vel neceſſitatem non habent expreſsè in Monaſterio, vel Eccleſiæ vtilem, & commodum, facile ingredi ſinant, niſi fortè benefactores fuerint ipſius Ordinis, aut locorum, vel litteras familiaritatis habuerint, ſiue etiam ſint domeſtici, quibus deuotionis, & charitatis ipſorum erga nos, noſtrumque Ordinem, receptorumque ab ipſis beneficiorum intuitu rationabiliter obſequi, meritorumque erga nos ſuorum præmia, noſtris orationibus, & obſequijs retribuere debemus. Ipſis enim cum ad noſtra peruenerint loca, liberum eſſe volumus ingreſſum, ſine licentia tamen Prælati ſecundam ianuam ingredi non permittantur.

## §. V.

IN ſingulis noſtri Ordinis monaſterijs attendant Prælati, & Officiales, vt loca illa in quibus intra Monaſterium Monachi ſæpius commorantur, & conueniunt, vt locus Capituli, Menſæ, Dormitorij, Collationis, & alia loca ſimilibus neceſſaria in propatulo non ſint, neque in primo ipſius Monaſterij ingreſſu, ſed in loco remoto, & ſeparato, vt poſsint ipſi Monachi non perturbati, neque ab alijs viſi, explere, quod debent. Superiores verò negotia Monaſteriorum in locis prædictis, aut in proprijs cubiculis nullo modo pertractent, ne alios interrumpant, ſed in loco ſemoto, & ad hoc

deputato, ne ingredientes laici, vel alij pertranseant ad dormitorium.

## §. VI.

PErsonæ omnes, quæ de Congregatione nostra non fuerint ad cohabitandum in locis, & Monasterijs nostris non admittantur, cuiuscumque illæ sint nominis, & conditionis, & gradus, vel præeminentiæ, & quo magis fieri poterit, Superiores attendant, ne illas ad pernoctandum recipiant intra Monasteria. Benefactores verò, & eos, qui prō Monasteriorum, & Congregationis negotijs, & causis inuigilant, ac Monasterijs inseruientes, & famulos, consanguineos. Item pauperes, aliarumque Congregationum Monachos, & Clericos sæculares, & magnos Principes, ac litteras familiaritatis habentes, qui necessitate compulsi, vel deuotione moti, ad pernoctandum ad dicta Monasteria peruenerint, per tres tantùm dies, si necessè fuerit, extra tamen Monachorum habitationem ad hospitium recipere valeant, & per tres tantum noctes in eisdem Monasterijs quiescere permittant. Caueant autem Superiores Monasteriorum, alijque Monachi, ne recipiant, siue admittant, aut quouis modo tolerent in ipsis Monasterijs, eorumque clausura contumaces, siue fugitiuos, nisi ij sint, qui verè confugiant, quos dumtaxat recipere, & defendere tenentur; istos tamen quamprimum dimittere, cessante periculo, sub pœnis arbitrio Abbatis Generalis imponendis.

## §. VII.

SAnè cum hospitalitatis officia inter Religiosas personas maximè exerceri debeant, & iuxta edictum Regulæ debeant hospites recipi, tanquam Christus: Ideò maximam Superiores curam habere debent, vt hospitia in omnibus locis, & Monasterijs nostris necessarijs parentur rebus, vtensilibusque, ac cæteris ad hospitalitatis officium explendum requisitis; Ipsa tamen hospitia in seiuncto loco sint, & ab habitatione Monachorum (si fieri poterit) ita remota, vt hospites cum eis minimè misceantur.

Procul item à dormitorio Monachorum Cellas habeant Oblati, & famuli Monasterijs inseruientes. Item qui aliquando habitum Religionis abiecerunt, cum reuertentur, separatim extra Dormito-

rium recipiantur, & habitent vſque ad tempus, prout Abbas Generalis, & Capitulum diſpoſuerit.

## §. VIII.

LIceat Monachis propter honeſtatem, & vt commodius, libentiuſque in Orationibus, meditationibuſque ſeſe valeant exercere, diuiſas, & clauſas habere Cellas, quæ tamen omnes, & ſimul, & in eodem Dormitorio debeant fabricari; ſinguli autem Monachi ſingulas habeant Cellas in Dormitorio, quæ claudantur, eo modo tamen, vt poſſint Superiores Cellam introire, & introſpicere iuxta Regulam, an aliquod contra Inſtituta regularia intus habeant, & an aliquid eis ex neceſſarijs deſit. Munus autem hoc Superioris ſit, & non alterius, qui clauem habeat, qua cum ei libuerit eas aperire, & preſcrutari valeat.

## §. IX.

NVllus inſuper Monachus Monachi Cellam ingredi audeat, etiam ſi ſit de proprio Monaſterio, ipſo in ea exiſtente, quod ſi abſuerit ſine ipſius, & Superioris licentia, nihilominus in ipſam ingredi non præſumat.

Cum verò de licentia duo, vel plures Monachi in eadem Cella conueniunt aliquando, quandiù ſimul in Cella ſunt, oſtium apertum teneant, nec liceat eis quamcumque perſonam, cuiuſcumque ſit conditionis, laicam, vel Eccleſiaſticam, neque aduenas, & alterius Monaſterij Monachos, vel perſonas ſine licentia in Cellam introducere, neque Cellam taliter claudere, aut intus aliquid apponere, quominus in ipſam Superiores, cum voluerint, ingredi poſſint. Superiores autem in locis, & Monaſterijs ſuis ſemel per menſem quemlibet per ſe, aut alios ſcrutentur diligenter Cellas Monachorum, & omnia ſuperflua, quæ in illis Cellis inueniunt, auferant.

# De Conuersatione Monachorum. Cap. XII.

## §. I.



Lericalis, & Religiosa in primis vita veluti ardens lucerna supra montē posita bonis ita debet exemplis, & sancta conuersatione fulgere, vt omnes qui ingrediuntur lumen videant; Ideò debent Monachi vitæ, quam profitentur austeritatem, & perfectionem, mutua inter seipsos; & cum alijs præcipuè conuersatione docere; quare Monachorum inter se conuersatio in primis quieta, & pacifica sit, vt simul non rixentur, vel contendant, nec murmurent, nec iocosa, risumque mouentia, vel scurrilia verba proferant, aut signa faciant. Qui verò in præmissis deficere, vel delinquere comprehensus fuerit, iuxta delicti modum corrigatur ad arbitrium Superioris.

## §. II.

SAnè cum oris custodiam, & circumstantiæ ostium in labijs omni tempore habere debeant Monachi, & vana fugere colloquia, & sine intermissione orare ad Dominum pro remissione peccatorum. Ideò in primis silentium horis, & locis debitis, diu, noctuq. seruent suis quilibet intentus orationibus, & meditationibus, caueantq. ne tunc illud signis, aut verbis interpellent, neuè perturbent alios, cum sibi obuiant, inuicem cum silentio se salutent, senipribusque, ac superioribus genuflexi se inclinent, & ab Abbate benedictionem petant; cum extraneis Monachis, & personis, quæcumque illæ sint, siue laici, vel clerici sæculares, siuè tam alterius, quam nostræ Congregationis personæ, quæ de Monasterio non fuerint, sine licentia nullo modo conuersentur, nec loquantur, neque comedant, neque bibant, excepto Prælato, cæterisque Officialibus ad eius dispositionem, & licentiam pro negotijs, & causis Monasteriorum tractandis deputatis. Aduertant autem Prælati, ne illam passim, vel indifferenter, aut sine causa rationabili, & necessaria tribuant, eos autem, quibus licentiam dederint, solos cum solis colloqui vel con-

uersari nullo modo permittant, sed socium deputent iuxta Regulam, qui ædificet adstantes, cum quo, & in cuius præsentia conferant: Ideòque secreto, & seorsum neque conferre, neque conuersari aliquo modo præsumant. Cum mulieribus verò nullo modo loqui permittantur, nisi cum honestis consanguineis, & ex causa vrgenti, ac necessaria, aut matre, vel sororibus rarissimè, & cum duobus socijs, vel saltem vno. Litteras dare, aut accipere nullo modo præsumant, nisi de Superiorum licentia, qui quidem Superiores nihilominus litteras ipsas prius aperiant, & legant, antequam eas consignent, vel mittant, exceptis litteris, quæ à Superioribus maioribus scribuntur ad subditos, vel à subditis ad eosdem Superiores maiores.

## §. III.

LVdos omnes cuiuscumque sint generis, iocos, & fabulas, verba obscœna, & choreas à Monasterijs nostris procul esse volumus, quod si quis secus fecerit, per mensem in carceribus detineatur, & aliàs pro culpæ merito ad arbitrium Superioris corrigatur; Deniquè quia non solum à crimine, sed etiam à suspitione criminis religiosæ personæ vacare debent; Ideò Prælatis, & Officialibus quibuscumque præcipimus, quod suspectas personas intra Monasterium non admittant, nequè cum eis vllo modo conuersentur, aut conuersari alios permittant, & suspecta colloquia, suspectasque conuersationes, vndè facilè mali suspitio forsan oriri posit, aut infamia, penitùs & omni tempore fugiant, & à Monasterijs, vbi præsunt, prohibeant.

## §. IV.

CVm autem frequens Monachorum extra claustra vagatio nonnumquam soleat etiam mentium vagationem afferre, huiusmodi periculo prospicere, & occurrere, cupiẽtes, hac irrefragabili Constitutione sancimus, quod Prælati, & alij Præsidentes Monasteriorum, & locorũ Religionis nostrę, nec ipsi pro leuioribus causis de Monasterijs exeant, nec alijs Monachis eundi licentiam concedant, nisi ob causam ipsi Prælato manifestandam, nequè eos ad Terras, & Ciuitates, vel etiam extra claustra Monasteriorum ire permittant, attendantquè præcipuè, ne post prandium, aut post Completorium exeant Monachi de Monasterio, cum debeant iuxta Patrum Instituta tunc temporis lectionibus, ac meditationibus incumbere, caueantque

ueantque ne plusquam bis in hebdomada licentiam concedant Monachis exeundi, cum scilicet coguntur exire ex causa, excepto Procuratore, & Expensore, qui quandocumque opus fuerit ad mandatum Prælati exire valeant non soli (quod absit) sed cum socijs Monachis, quos Præsidentes ipsi destinauerint, vbi absque Monasterij incommodo fieri poterit.

## §. V.

MOnachi autem alij cum socijs, quos eis Præsidentes iniunxerint, ire permittantur, & nunquam dum eunt, & redeunt, separentur, ex quauis magna causa, sub pœna carceris ad arbitrium sui Superioris. In socios autem Monachis euntibus, non iungant omnes, sed tantum probatos viros, neque eos, quos ipsi postulauerint, sed arbitrio suo, neque eumdem sæpius: & euntes, ac redeuntes benedictionem petant à Prælato genuflexi, & rationem gestorum reddant, neque alijs Monachis, quæ viderint in via, aut Ciuitate, manifestent, iuxta Regulam, & ita omnes bini incedant. Monachi autem sine licentia euntes, aut soli, carceribus trudantur; Generales autem Procuratores, quando expediens fuerit, soli de Abbatis licentia posint ire cum equitant, dummodo famulum habeant circumpedem: Si autem non equitabunt, soli ire non permittantur (si commode fieri potest) Cultores quoque vinearum, & hortorum, atque terrarum, necnon gregarij, & alij, quibus rationabiliter duxerit Abbas iniungendum, soli ire valeant, cum necessitas hoc exposcit.

## §. VI.

NOn posint Prælati, & Præsidentes, vel ire ipsi, vel alijs licentiam eundi dare ad loca remota à Monasterijs, quibus præfuerint, nisi eadem die valeant ad Monasterium redire, nec extra Monasteria pernoctare ipsi præsumant, nequè comedere, siuè peregrinationis causa, siue quauis alia occasione, absque Abbatis Generalis, vel Visitatoris speciali licentia, & in scriptis obtenta, nisi pro causis vtilibus, & necessarijs Monasteriorum.

Quod si Prælati, siue subditi, qui noctis tempore, vel diei de Monasterijs positis in Ciuitatibus, & Castris, vel soli, vel sine licentia egrediuntur, per tres dies, vel vltra iuxta circumstantiarum qualitatem, & scandalum, quod indè posit oriri, grauiori pœna subditi

ad Su-

ad Superioris Monasterij; Prælati verò ad Abbatis Generalis arbitrium puniantur. Extra Prouincias verò, & Quarteria nullatenus absque Abbatis Generalis licentia in scriptis obtenta, ex quauis etiam vrgentissima causa exire permittantur; Contrafacientes, tàm euntes, quàm mittentes, tot continuis diebus in carcere panem, & aquam comedant, & bibant, quot sic extra propria Monasteria permanserunt, & aliàs prout ratio culpæ exigit, puniantur ab Abbate Generali.

## §. VII.

NVllus Monachus cuiuscumque sit conditionis, & gradus Congregationis nostræ ad secularium pertractanda, & peragenda negocia exire, aut prophanis sese causis immiscere, aut ad Principum Curias accedere, atque in eis conuersari, nisi cum licentia, & pro necessitate Monasterij, neque ad artem medicam addiscendam, seu profitendam, aut ad infirmos extraneos curandos, aut ad venandum, seu aucupandum, vel ad alias quascumque res peragendas, regulæ, quam profitemur, quomodolibet repugnantes, vllo modo audeat. Si quis autem contrarium attentauerit, grauiori pœnæ subiaceat, ad Abbatis Generalis arbitrium puniendus.

## §. VIII.

CAueant autem cum exeunt, per Vrbem discurrere, aut per loca incedere inhonesta, seu cum inhonestis mulieribus, & personis colloqui, aut ad eorum domos accedere, aut choreis, & ludis, aut comedijs, & bacchanalibus interesse, sed vultu graui, demissis oculis, & compositis, euntes, verbis, gestibus, & singulis ipsorum actionibus, honestatem, & regularem vitam, quam profitentur præseferant. Contrafacientes pro culpæ merito puniantur.

Volumus etiam, & statuimus, vt per Monasteria, & loca Religionis nostræ, vbi necessitas expostulauerit, retineri possint famuli seculares pro vilibus seruitijs tantùm, qui tamen ætatem viginti annorum excedant; & extra Dormitorium habitent.

## § IX.

QVod si aliqua necessitas immineret, propter quam Superiorem, siue subditum aliquem vocatum noctis tempore, ad personam aliquam intra Ciuitatem, vel Castrum quomodolibet oporteret ac-

ret accedere, tunc cum duobus Monachis socijs, ac cum lumine accedere debeat; & sic etiam ad locum, siue Monasterium reuerti, quod tamen non concedatur, nisi ex vrgentissima causa. Qui verò contrarium præsumpserit attentare, grauiori pœna ad Abbatis Generalis arbitrium puniatur.

## De Monialibus. Cap. XIII.

### §. I.



VLLI Religionis nostræ subditi, vel Superiores accedere audeant ad Monasteria, vel loca Monialium, seu inclusarum mulierum, siuè earum cura ad nos, siuè ad alios spectet, quacũque impellente causa, sine Sanctæ Sedis Apostolicæ, vel Ordinarij loci pro consanguineis in primo, & secundo gradu, & per quatuor vices dumtaxat in anno, licentia in scriptis obtenta. Cum autem ad funus aliquod earum, quæ nobis subditæ sunt, aliqui vocati sunt, eant processionaliter, vt consuetum est, sed cum Monialibus nullatenus loquantur. Si verò ad ipsarum Confessiones audiendas accedere debent, in illis Monasterijs, quorum regimen, aut animarum cura nostræ Congregationi submittitur, deputentur tantùm per Capitulum Generale, vel Visitatorem, seruatis Constitutionibus Apostolicis. Contra verò facientes, vltra pœnas aliàs contentas in dictis Constitutionibus per duos menses pœnam sustineant grauis culpæ.

### §. II.

INtra Monialium etiam domos, & Monasteria, quæ sub cura, & regimine nostro sunt, nullus de Religione nostra cuiuscumque sit conditionis, & gradus ingredi præsumat, sub pœnis, & censuris contentis in Sac. Conc. Trident. & Constitutionibus Summorum Pontificum. Confessarij item, ac Visitatores ipsarum, & ipse Abbas Generalis pro tempore existens citra meram, & legitimam necessitatem, & vrgentissimas causas, & facultatem sibi ex officio attributam ipsa Monasteria ingredi non præsumat, iuxta dispositio-

nem Sacri Concilij Trid. & Constitutiones Apostolicas, præcipuè Gregorij XIII. Cum autẽ pro causis supradictis ingrediuntur, tunc id faciant à paucis, ijsque senioribus, ac Religiosis personis comitati, & quam citius se expediant. Caueant similiter tam ipsi, quàm alij nostræ Congregationis Monachi, ne cum dictis Monialibus intus aliquando bibant, vel comedant. Contrafacientes pœnis subijciantur arbitrarijs.

## §. III.

SAnè cum animarum saluti maximè expediat, sufficientẽ, & prouidum habere Confessarium; Ideò pro dictarum Monialium Confessionibus audiendis deputentur Sacerdotes senes, saltem quadraginta annorum, bonorum morum, in Lege Dei, & Casibus conscientiæ sufficienter instructi, & quorum vita, & sufficientia probata sit. Ipsa verò deputatio Confessariorum fiat in Annalibus, vel Generalibus Capitulis; Ideòque ad Confessiones dictarum Monialium audiendas nullus se ingerat, nisi (vt præmittitur) per Annale, vel Generale Capitulum fuerit pro Confessario ipsarum deputatus; Ipsi verò Confessarij de triennio in triennium mutari debeant, & si contigerit infra dictum tempus necessitas prouidendi de dictis Confessarijs, per mortem forsitan, aut alia rationabili causa, prouideatur ab Abbate Generali, siue à Visitatore prædicto Monialium, & in eorum absentia interim à Superiore Monasterij, cui subest cura dictarum Monialium per modum prouisionis, seruatis tamen Constitutionibus Apostolicis, & in specie Gregorij XV.

## §. IV.

PRæterea Monialium Visitatores, qui ipsarum curam, & regimen habere debent, de triennio similiter in triennium mutentur, & per Generale Capitulum deputentur, qui regularia, & canonica Instituta in omnibus Monasterijs, quæ ipsorum curæ commissa sunt, inuiolabiliter obseruari faciant, & ipsam Monialium, & Monasteriorum clausuram, & honestatem in primis custodiri procurent, & præsertim vt cum extraneis personis sine vrgenti necessitate, & legitima licentia, in scriptis obtenta, minimè colloquantur, nec litteras, & munera mittant, vel recipiant, nec proprium retineant; attendantque vt in omnibus, & per omnia pacificè, & sine per-

ne perturbationibus, & impedimento, Diui Benedicti Regulam, ac vota ipsarum adimpleant, quæ solemni professione promiserunt.

§. V.

IPsi verò Visitatores in electionibus Abbatissarum, aut aliarum Officialium, quæ in dictis Monasterijs fieri consueuerint, nullo modo se intromittant: sed eas iuxta Canonum, ac eiusdem Sacri Concilij Tridentini, Constitutionum Apostolicarum, ac declarationum Illustrissimorum Dominorum Cardinalium Sacri Concilij Tridentini Interpretum, fieri curent.

## De Stabilitate, & Mutatione Monachorum. Cap. XIV.

§. I.

CVM verò Monachorum in Monasterijs, & Congregatione stabilitas, quã profitentur, eisdem animarum salutem, & spiritualem profectum operetur; sicut exaduerso ipsorũ frequens mutatio eos ita instabiles reddit, vt stare loco nesciant, & in profundum propterea demergantur malorum. Ideò districte præcipimus, quod Monachi à Monasterijs, ad quæ à Generali Capitulo distributi, & transmissi sunt, intra triennium nullatenus amoueantur, nisi ex magna, & necessaria causa, & de Diffinitorialis Capituli, vel Abbatis Generalis licentia.

Ipsa verò mutatio, præhabita matura consideratione fiat, secundum locorum, & personarum qualitatem, & necessitatem, vt scilicet, prout locis, & personis est congruum, distribuantur, & mutentur de Monasterio ad Monasterium.

Ad euitanda autem scandala, contentiones, & simultates, prædictus Abbas Generalis, & Capitulum Diffinitoriale nullatenus duos germanos fratres, aut consanguineos in eodem Monasterio commorari iubeant, vel permittant.

§. II.

CVm autem ex causa mutandi sunt à Monasterijs, in quibus commorantur, ante festum Dominicæ Resurrectionis à Domi-

nica

nica Septuagesimæ præcedentis discedere non cogantur, nisi grauis esset adeò necessitas, vt illicò indè discedere cogerentur, & ita Abbas Generalis duxerit faciendum.

Cum autem Monachi de Abbatis Generalis, aut Diffinitorialis Capituli mandato mutantur; vel distribuuntur ad aliqua Monasteria, statim obedientiæ mandatum exhibeant, post cuius ostensionem Superior illos absque mora recipere debeat tamquam filios, eosque cum charitate suscipere, & tractare, Cellam, & vtensilia consueta eis assignando; Superiores autem, qui Monachos ad se transmissos recipere noluerint, aut quomodolibet malè tractauerint, cogentes forsan eos indè discedere, priuentur officio.

## §. III.

MAndata verò, quæ pro mutandis Monachis fieri occurrerit Reuer. Patris Secretarij, tunc existentis, manuque prædicti Abbatis Generalis firmata, eiusdemque solito sigillo munita sint, nominibus eorum, qui mutantur & transmittuntur, & nominibus Monasteriorum, à quibus discedunt, & ad quæ transferuntur, in eisdem mandatis manu eiusdem Secretarij omninò appositis, & expressis, ac nullibi spatium in albo, ad effectum mandata huiusmodi postmodum scribendi, vel nomina in eis apponendi continētibus.

Quæ mandata, sicut supra confecta, vsque ad finem triennij per Superiores, quibus exhibebuntur conseruari, & per eos in manibus Reu. Visitatorum, cum ad visitandum accedunt, consignari debeāt; secus verò facta mandata, aut non consignata infra mensem post eorum datam, nullam ad obedientiæ inducant obligationem, seu mutationis necessitatem: Item mandata, seu licentiæ legitimæ obtentæ peregrinationis causa, vel ad alia, nisi infra mensem executioni mandentur, nullius roboris esse censeantur, neque cuiquam suffragentur.

## §. IV.

ET, vt Monachis omnis prorsus tollatur vagandi occasio, cum mandata huiusmodi præsentantur, dies in eisdem per præsentantem annotentur, & cum ad Monasteria, ad quæ transmittuntur, peruenerint, dies aduentus ipsorum similiter in illis notetur, vt propterea dignosci possit, an recto tramite, iuxta præfixum in eis terminum ad Monasterium (si aliàs legitimè non fuerint impediti) accesserint,

cesserint, & recipiantur, & si fuerint morosi in obediendo, puniantur vt scilicet, tot continuatis diebus in carcere detineantur, quot sine rationabili causa morati sunt, & obedire distulerunt. Ipsi verò Monachi, vt præmittitur, ad obediendum euntes, vt spiritualibus armis muniti proficiscantur, antequam discedant, peccatorum suorum confessionem faciant, & communicent, ac Breuiarium deferant, vt diuinum possint explere seruitium.

## §. V.

MVtandis autem Monachis à Superiore Monasterij vndè discedunt, de vestimentis sibi debitis satisfiat, & de iustis prouideatur expensis, & viatico sufficienti antequam discedant: Pedestribus, idest Oblatis pro refectione prandij de vno Caroleno, vel Iulio; pro cœna, & hospitio de duobus: Equitantibus de duobus pro prandio, & de tribus pro cœna, & hospitio, si contigerit hospitari in locis, vbi non fuerint Monasteria: Insuper equitantibus vltra prædictam taxam pro victu prouideatur ab eisdem de equo, cum sumptibus; si quid autem euntibus, completo itinere de assignatis pro viatico pecunijs supererit, tam pedestres, quàm equestres, nullus id nisi de Superioris sui benedictione retinere audeat.

## §. VI.

MOnachi subditi vltra triennium, seu ad summum sexennium in eisdem locis, & Monasterijs commorari nullo modo permittantur, nisi fortè vtilitas Monasteriorum id exposcat, & populorum ædificatio, & si quis per preces, seu fauentes litteras contrarium procurare repertus fuerit, per tres menses in carcere includatur, & nihilominus in dictis Monasterijs remanere nullatenus permittatur.

## §. VII.

PRæsidentes verò Monasteriorum, & locorum, tàm eorum vndè Monachi discedunt, antequam discedant, quàm eorum ad quæ sunt accessuri, cum ad illa peruenerint, omnes Monachorum pannos, libros, resque alias prædictorum recedentium, siue accedentium videant, & scrutentur. Qui secus fecerint, tribus diebus continuis in pane, & aqua ieiunent. Occultantes autem bona, quæ deferunt, carce-

carcerentur iuxta illorum valorem, & qualitatem, quibus etiam priuandi erunt.

## §. VIII.

SVperiores omnes cuiuscumque gradus extiterint, in suorum officiorum locis, durante eorum officio, residere debeant, iuxta dispositionem Sacri Concilij Tridentini; Abbas quidem Generalis in Monasterio Abbatiæ resideat, nisi cum in visitatione, aut alijs Congregationis occurrentibus negotijs, & causis, eius requirentibus præsentiam, occupatus fuerit: Visitatores verò Generales in proprio Quarterio, atque in eo Monasterio, in quo Rectores deputati fuerint, resideant, excepto tempore visitationis, & cum pro Visitatoriatus officio, aut specialium Commissionum ab Abbate Generali extra tempus visitationis sibi transmissarum executione, à propria residentia abesse eos oportebit. Diffinitores etiam, alijque Patres Diffinitoriales in proprijs Prouincijs, cuius Diffinitores existunt, & quibus præsident, resideant, in eo videlicet Monasterio, in quo officiales extiterint, nisi secus aliquando in commissis habuerint ab Abbate Generali, commissionis dumtaxat tempore durante; Abbates item, Priores, & Vicarij paruorum Monasteriorum in proprijs Monasterijs, & locis, ad quæ electi fuerint, permaneant, sub pœna priuationis officiorum, alijsque pœnis arbitrio Abbatis Generalis.

## §. IX.

SVperiores omnes inferiores ab Abbate Generali, à Monasterijs, & Prouincijs vbi resident, aut præsident respectiuè, per dietas discedere, vel inde abesse non præsumant, nisi ab Abbate Generali prius vocati, vel licentiati fuerint. Si verò Abbate longe absente, oportuerit officialem aliquem supradictorum, iustis de causis, & pro necessitate Monasteriorum, & Prouinciarum, moram non patientibus, ad eumdem accedere, si Abbas fuerit, ante discessum à proprio Monasterio notificetur Visitatori, & eo absente, Diffinitori. Si verò fuerit publicus officialis, notificetur Vicario Generali, vel ad eum, si ita expediet, petita, & obtenta ab eo licentia, recursus habeatur. Ad Visitatorem autem cum accedendum erit, Abbate Generali, & Vicario Generali absentibus, obtenta prius ab eodem Visitatore licentia, Abbates, Priores, & Vicarij, cum oportuerit

pro Monasteriorum causis, eant. Si autem Visitator aberit, recurrant ad eum, qui sibi vicinior fuerit, Diffinitorem, obtenta similiter ab eo licentia.

## §. X.

CAueant autem Abbas Generalis, Vicarius Generalis, & Visitatores, ac Diffinitores Generales prædicti, huiusmodi licentias, cum petuntur Officialibus prædictis concedere, nisi pro iustis, & rationabilibus causis, & Monasteriorum, seu Prouinciarum vtilitate, & necessitatibus maturè discussis, & probatis. In prædictis verò licentijs, vel mandatis tempus exprimant, & terminum, qui sit conueniens, præfigant eundi, seu standi, & redeundi, vltra quem supradictis Officialibus non liceat abesse à Monasterijs. Vt autem iuxta Sacrorum Canonum dispositionem Officiales, & Præsidentes per illius temporis spatium, scilicet Dominici Aduentus, Quadragesimæ, Natiuitatis, Resurrectionis Domini, Pentecostes, item & Corporis Christi diebus in suis Monasterijs, & locis præcipuè resideant, ne propterea Ecclesias, & Monasteria tunc temporis cum sui ipsorum, & proximorum periculo, & pernicie animarum relinquant, per illud temporis spatium licentias eundi, vel discedendi dare, & concedere nullatenus audeant, vel præsumant, nisi ex vrgentissima, & necessaria causa, aut cum accedunt ad Capitulum Generale. Si quæ verò contra huius formam Statuti licentiæ concedantur, irritæ, & nullæ sint, & tam dantes, quàm recipientes Abbatis Generalis arbitrio puniantur.

## §. XI.

PAri quoque ratione subditi cum iussu Abbatis Generalis ad Monasteria Congregationis missi, & destinati fuerint, vt in eis commorentur vsque ad aliud mandatum, sub obedientia Superiorum in eisdem Monasterijs deputatorum, postquam ad dicta Monasteria peruenerint, inde sub quauis occasione, vel quæsito colore, aut causa occurrente recedere non audeant, nisi ab eodem Abbate Generali mandatum obedientiæ habuerint pro alio Monasterio, aut ab eodem missi, aut vocati fuerint, seu etiam ab Officialibus publicis, & commissionis alicuius, aut visitationis vigore, & causa, aut etiam à Commissarijs, si quos in arduis eligi continget, vltra publicos Officiales, mandato in scriptis præcedente vocati fuerint. Secus autem disce-

discedentes, prima quidem vice per duos menses carceribus mancipentur; Secunda verò, duplicatas pœnas sustineant; Tertia, actiua, passiua voce, atque Capucio priuentur ad arbitrium Capituli Generalis, ac in numero Oblatorũ deputentur, alijsque pœnis mulctentur, qualitate delicti attenta. Oblati verò taliter delinquentes Scapulari priuentur, & triplicata carceris pœna plectantur, & quolibet sexta feria disciplinam recipiant ad arbitrium eiusdem Capituli Generalis, alijsque pœnis mulctentur, iuxta grauitatem delicti.

## §. XII.

Recedens item à proprijs Monasterijs, etiam sub prætextu Superiores conueniendi, nisi licentiam in scriptis habuerit, tanquam proprij Instituti desertor, similiter puniatur: A proprijs autem Monasterijs Monachos nostros recedere dicimus, cum ab eisdem vbi resident, sine licentia discedunt, seu in illis permanentes extra Monasteriorum prædictorum claustra hospitantur, vel habitant. Item adijciendo mandamus, quod Monachi sine licentia ad alia Congregationis Monasteria euntes, quocumque peruenerint, carcerentur, & redire compellantur (exacta pœna) ad propria Monasteria vnde discesserunt. Quod si sponte redierint, similiter carcerentur, & iuxta vagationis mensuram ad Superioris libitum puniantur.

## §. XIII.

SI quando autem (quod absit) ob illatum subditis, aut Officialibus grauamen, seu iniuriam, Monasteriorum vtilitatibus, aut propriarum animarum saluti expediat, ad Superiores, aut etiam ad Abbatem Generalem habere recursum, ipsi quidem quibus grauamen illatum est, & quorum intererit, Abbati Generali, seu eo absente viciniori Vicario Generali, aut Visitatori, vel Diffinitori Generali, ad quem respectiuè spectabit grauaminis, & iniuriæ causam omnem per litteras, seu Nuncios curent exponere, petita cum omni, qua decet reuerentia, & humilitate à Capitulo Monasterij, seu Superiore, venia scribendi, & ab eo Superiore, ad quem confugium habere debent, licentia in scriptis obtenta impune discedendi, vt ad ipsum recto tramite confugere valeant.

## §. XIV.

QVod si à Superiore in prædictis impediti fuerint, protestatione reuerenter, & coram testibus præmissa, nihilominus ad suos Superiores confugere possint. Si verò non præcedentibus recursus, vel grauaminis causis, aliàs Monachi clanculum recesserint, vel aufugerint, statim à Superiore Monasterij eius, ad quod confugerint, in carceres detrudantur, vnde liberare eos nullus præsumat, sed Superiorem, à quo aufugerint, de ipsorum aduentu certiorem reddat, vt sic vel de delictis forsitan commissis, & fuga puniantur, vel ad proprium locum, ac Superiorem tûtè remittantur.

## §. XV.

CVm autem Monachi tam Officiales, quàm subditi ad localia Congregationis nostræ proficiscuntur, à proprijs Monasterijs, quibus præsunt, vel resident, Superioribus, seu Officialibus illorum Monasteriorum, ad quos peruenerint, statim licentiam ostendant, & aduentus causam in verbo veritatis exponant. In dictis verò Monasterijs, ad quæ peruenerint, vltra triduum non excipiantur ad hospitium, sed ad propria Monasteria redire compellantur. Si autem grauis esset causa, ob quam inibi diutius commorari cogerentur, elapso triduo, pro hospitibus non habeantur, sed pro Conuentualibus, & Ecclesiam, & Dormitorium, & Mensam sequantur cum cæteris, & expensæ soluantur à Monasterijs, vbi assignati sunt de familia.

## §. XVI.

OFficiales verò, qui debent venire ad Capitulum Generale, vel aliàs ad Abbatis Generalis arbitrium fuerint de proprijs Monasterijs remouendi, penultimo die antequam discedant, Monachis existentibus in Monasterio, vnde discedunt, omnes suas res ostendere teneantur, conuocato prius consueto Capitulo, & si aliquid habuerint, eis ab Abbate Generali, vel Constitutionibus non concessum, cogantur instanter in ipso Capitulo resignare.

Ad

## §. XVII.

AD tollendam autem Monachis nostris omnem vagandi materiam, & Generalis Capituli celebrationem reddendam pacificam, & Monasteriorum indemnitatem, Ecclesiæque seruitia tunc maximè conseruanda tempore proximo Capitulo Generali, hoc est per sex menses ante, nullæ fiant Monachorum mutationes, itaut ab vno Monasterio mutentur in aliud, sed in Monasterijs vbi assignati sunt, permaneant vsque ad Generalis Capituli dispositionem. Ad ipsum autem Capitulum nullus de nostra Congregatione cuiuscumque sit conditionis accedere præsumat, nisi qui votum habet actiuum, & qui ab ipso Capitulo, vel Abbate Generali vocatus fuerit, licentia, vel mandato in scriptis facto, nec tempore Capituli Generalis, vel Annalis à Monasterijs discedant; Contrafacientes per mensem carceribus mancipentur, & per triennium ad quælibet officia sint inhabiles.

## §. XVIII.

SVperiores cum iter faciunt, vnum tantùm peditem famulum ducere debeant; Vicarius verò Generalis, Coabbates, ac Visitatores vltra peditem famulum, vnum socium equitantem ducere possint; Abbas verò Generalis præter Visitatorem secum ad visitam accedentem, tres alios equitantes, Scribam videlicet, Socium, & alium sibi inseruientem ducere valeat, neque liceat ipsis in Ciuitates, & Castra, vbi posita sunt Monasteria, siue Visitationis tempore, siue cum ipsorum possessionem capit, cum equitatu secularium, aut aliarum personarum, quæ de Congregatione nostra non fuerint, ingredi, neque Superioribus cum ipsum excipiunt, ei cum equitatu, aut fastu obuiam ire sub pœna priuationis propriorum officiorum.

## §. XIX.

NEmo siue Superior, siue subditus accedat ad Vrbem, aut Curiam Romanam sine licentia Abbatis Generalis, vel Protectoris in scriptis obtenta. Qui sine huiusmodi facultate Romam, vel Curiam Romanam adire præsumpserit, dignitate, si quam obtinet, ac voce actiua, & passiua biennio priuatus existat, subiturus etiam alias arbitrio Superiorum infligendas pœnas; quæ omnia

etiam contra admittentes, & recipientes sine vlla exceptione locum habeant, iuxta fel. rec. Clementis Papæ VIII. & sacræ Congregationis Regularium, aliaque decreta.

## §. XX.

SAnè Monachi, qui de Monasterio, in quo residentes fuerint, seu de Religione nostra exierint, siquidem habitum abiecerint, ipso facto sententiam excommunicationis incurrant, Priuilegia quoque, ac Immunitates Congregationis, & locum amittant, omnique actu legitimo priuati, alijsque censuris, & pœnis obstricti existant, iuxta sacrorum Canonum dispositionem, etsi redierint, per Abbatem Generalem, & sex Patres Diffinitoriales tantùm, & non per inferiores Officiales, sub pœna priuationis propriorum officiorum, recipi valeant in principali Monasterio Abbatiæ, non quidem ad habitum, sed ad carcerem, & pœnitentiam in eo habitu, in quo reperiuntur, vel in habitu Oblatorum. In Carcere verò, ac pœnitentia detineantur iuxta mensuram temporis, & aggrauantes circumstantias apostasiæ ipsorum, ad Abbatis Generalis dispositionem; è carceribus vero liberati, extra communem Monachorum habitationem intra Monasterium collocentur, & habitent, & communibus, vilibusque Monasterij seruitijs ad tempus deputentur, nulloque vnquam tempore ad officia, & Prælaturas, vel qualecumque aliud officium curam exigens animarum assumi valeant.

## §. XXI.

SI verò habitum non abiecerint, & vt præmittitur de Monasterijs, & Congregatione exierint, & ad tempus extra permanserint sine licentia, in easdem pœnas incurrant, & similiter per Abbatem Generalem, & sex Patres Diffinitoriales tantùm, vt supra, cum reuertuntur, recipi valeant, receptique in carceres detrudantur ad tempus, prout Abbas Generalis disposuerit, & per tres continuos annos ad officium, curam gerens animarum, tamquam inhabiles promoueri non possint.

## §. XXII.

QVod si rationabilius præcedentibus causis, prædictos Apostatas post ipsorum regressum, & pœnitentiam in præmissis contigerit dispensari, decensque fuerit, & iudicabitur eos habilitari

bilitari ad votum, & officia, dispensatio, vel habilitatio huiusmodi per Generale tantùm, vel Annale Capitulum fieri valeat, & non per alios, ac cum his tantùm, qui habitum non dimiserunt. Ad locum verò, qui habitum non deposuerunt, per Abbatem Generalem dispensari valeant. Si autem habitum dimiserunt per annum in carceres detrudantur, & ad officia omnia perpetuo inhabilitentur, similiterque voce actiua, & passiua in Capitulo, tam Generali, quàm Conuentuali careant, actuque omni legitimo priuentur; & cum eis neque Abbas Generalis, neque Capitulum Generale dispensare valeat. Et si tertiò cum habitu discesserint, inhabilitatis, triplicatisque carceris pœnis subiaceant.

Attendant autem tam Abbas Generalis, quàm Diffinitores, ne Apostatas vllo modo recipiant ad Congregationem aliquo morbo contagioso laborantes, aut notabilem mutilationem, vel membri defectum patientes.

## §. XXIII.

SI autem qui exeunt infra octo dies ad loca Religionis accesserint, timentes fortè ad Abbatem Generalem accedere, ducantur ad carcerem, & statim Superior, qui eos recipit, Abbati Generali significet, & secundùm mandatum ipsius disponat de illis: Qui verò contrarium fecerit, pœnam grauioris culpæ sustineat, ad Abbatis Generalis arbitrium. Si autem vltra dies octo extra Congregationem permanserint in illis scilicet locis, vbi sunt Monasteria, tamquam instituti desertores, puniri possint.

## §. XXIV.

SVperiores Monasteriorum in singulis Capitulis, tam Annalibus, quàm Generalibus denuncient omnes Apostatas, Rebelles, & fugitiuos, vt possit de illis Capitulum disponere, ac deliberare, iuxta decreta Sacræ Congregationis Concilij nuper edita, iussu Sàctissimi Domini nostri Vrbani Papæ VIII. de regularibus Apostatis, & eiectis; Recipientes verò, & permittentes Apostatas, vagantes, inobedientes, seu fugitiuos, & scandalosos, ipsisque fauentes, vel eos apud se retinentes alio modo, quàm supra, aut ad alium Congregationis Superiorem, quàm ad Abbatem Generalem eos mittentes, Superiores quidem officio priuentur; Subditi verò per mensem carceribus mancipentur, ac voce careant actiua, & passiua.

## §. XXV.

ABbati Generali pro tempore existenti expresse interdicitur Monachos Congregationis nostræ, postquam in ea solemnem emiserint professionem, tam Clericos, quàm Oblatos ad Dominorum temporalium, vel spiritualium seruitia concedere.

## §. XXVI.

SI Monacho Ordinis nostri contingat ad aliam strictiorem Religionem transire, non fiant literæ Dimissoriales, nisi seruata forma dictorum decretorum Sacræ Congregationis Concilij, de quibus supra in §. xxiv. præsentis Capituli, & si aliquod cõmiserit delictum, non nisi prius pœnam pro commissis sustineat; Si quis verò alius, quàm Abbas Generalis cuiuscumque dignitatis existat, quacumque de causa dimittere præsumat aliquem Monachum, aut Oblatum expresse professum, ipso facto sua dignitate, vel officio sit priuatus, & per annum pœnam sustineat grauioris culpæ; Ipse verò Abbas Generalis in eijciendo aliquem incorrigibilem Monachum, vel Oblatum, obseruet omnia, & singula in decretis prædictis Sacræ Congregationis Concilij circa hoc nuper, vt supra, editis contenta.

# De Cibo, Potu, ac Refectione Monachorum. Cap. XV.

## §. I.

IN hora refectionis, dictis horis Canonicis, post quas debent Monachi immediatè comedere, Lector Hebdomadarius primum signum faciat discumbendi, & post breue temporis spatium, in quo manus lauare, aliaque necessaria facere possint, Abbas, siue Prior, vel Superior, aut etiam Hebdomadarius Missæ in eorum absentia secundum signum dari faciat, ad comedendum, quod quidem secundum signum tamdiu teneatur pulsando, quamdiu possunt simul in locum refectionis congregari, & conuenire.

Quando

## §. II.

QVando ergò ſecundum ſignum pulſari inceperit, & non ante, omnes Monachi intrent in Refectorium, adorantes Crucem, & ſtent quilibet in ſuis locis cum ſilentio ordinati, qua pulſatione finita, ad nutum, vel ſignum Præſidentis benedicant pariter ex more. Lector autem, benedictione petita, legat à principio vſque ad finem menſæ, ipſi verò Monachi ſedeant in ſuis locis, & collocentur, ſicut ſunt in Choro, & in Eccleſia ordinati, capite tecto. Cum autem ſederint, aliquantulum quieſcant, antequam cibum ſumant & elapſo ſpatio, in quo ſemel Pſalmus, Miſerere, dici poſſet, comedere incipiant ad ſignum Præſidentis, niſi forte Abbas, ſeu Superior ſecus mandauerit, aliqua rationabili cauſa emergente.

## §. III.

A Refectorio autem nullus excuſetur, ſed omnes in illud conuenire teneantur, tam ſubditi, quàm Superiores, & Officiales Monaſterij omni tempore pro refectione ſumenda; omneſque de eodem pane, obſonio, & potu reficiantur, excipiantur tamen infirmi, qui iuxta regulæ Inſtituta, in Infirmaria (quam vocant) refici debent de cibo, & potu, iuxta Medicorum iuſſa. Item Abbas Generalis, ſiue Conuentualis à Refectorio excuſatur, ſi hoſpites occurrerint, cum quibus iuxta Regulam in loco ſeparato refici poſſunt; famuli quoque à menſa conuentuali, & loco communi refectionis eximuntur.

Nullus autem Monachus audeat aliqua cibaria ſingularia comedere, quantumcumque parua, & vilia, vel ad menſam portare, ſed omnes, ſingulique tam Superiores, quàm alij cibis communibus veſcantur. Caueant verò Prælati conuiuia ſine neceſsitate facere, aut immoderatos ſumptus, lautaſque comeſſationes, nec pro ſeipſis, nec pro alijs.

## §. IV.

SI quis autem Monachus non ita robuſta corporis habitudine fuerit, vt poſsit communibus cibis vti ſine valetudinis læſione, ſic ei prouideatur ſine ſcandalo aliorum, vt ſi Abbas, vel Superior voluerit in Refectorio miſericordiam facere ſpecialem, cibum ali-

quem

quem salubrem, non ante illum, sed ante se faciat afferri, de quo ipse illi faciat pietantiam pro sustentatione. Si cui verò oblatum fuerit aliquid à Superiore, illud is reuerenter accipiat, & cum gratiarum actione se inclinet: nullique sibi inuicem præsentent aliquid in mensis, nisi tantùm Præsidentes. Postquam autem comederint, ad signum Præsidentis Lector hebdomadarius finem faciat, reddantque gratias consuetas.

## §. V.

VErùm ne in prædictis delinquendi materia relinquatur, sciant omnes in subscriptis horis comedendum esse, videlicet à sancto Paschate vsque ad festum Exaltationis sanctæ Crucis, iv. & vj. feria ieiunent Monachi vsque ad Nonam: Cæteris autem diebus ad Sextam prandeant, & sero cœnent. A prædicto autem festo Exaltationis vsque ad caput Quadragesimæ, ad Nonam, & ex tunc vsque ad Pascha, ad Vesperam Monachi comedant, exceptis diebus Dominicis, sicut in Regula continetur. De sero autem (cum ieiunant) qui voluerint, bibant in Refectorio. Præterea in Quadragesima maiori, ac Domini nostri Iesu Christi Aduentu, & omnibus sexta, & quarta ferijs, & Sabbatis totius anni, vigilijsque sacratis, Quatuortemporibus, alijsque diebus, in quibus indictum est, vel in posterum incidetur ieiunium, non alia cibaria, quàm Quadragesimalia Monachi comedant; Extra prædictos verò dies, & tempora, licitum est Monachis comedere caseum, & oua.

## §. VI.

AT si qui Monachorum Religionis nostræ, huiusmodi constitutionem contemnentes, audebunt forte (quod absit) comedere extra prædictas horas, & loca, videlicet sani in Refectorio, & ægri in Infirmaria, vel alia cibaria, quàm prædicta, aut quicumque accipiunt mixtum, alij quàm qui debent, videlicet Seruitores, & Lectores hebdomadarij primæ mensæ, ac Coqui, & hi si accipiunt extra horas debitas, videlicet inter primum signum, & secundum edendi, seu alibi quàm in Refectorio, vel si accipiunt aliud pro mixto quàm panem, & vinum, pro quolibet prædictorum, & pro qualibet vice disciplinam recipiant in Capitulo, & eodem die vinum amittãt.

Esum

## §. VII.

ESum carnium quarumcumque Monachis omnibus Congregationis noſtræ vbicumque conſiſtentibus interdicimus in Refectorio; in Infirmaria autem iuxta præſcriptum Regulæ, & Sacrorum Canonum Indulgentiam licitũ eſſe dicimus; Contemptores autem, & præſentis Conſtitutionis tranſgreſſores ad Abbatis Generalis arbitrium puniantur, iuxta menſuram culpæ; Cibi lauti vitentur, ſed ea, quæ pro Monachis alendis erunt neceſſaria, & communia tribuantur, iuxta loci qualitatem, & opportunitatem. Contrafacientes pro qualibet vice ieiunent in pane, & aqua. Omnes autem illud ſine murmuratione accipiant in communi menſa, quod à Regula, Conſtitutionibus, ſiue Præſidente ſecundùm eaſdem permittitur, & conceditur.

## §. VIII.

NEc liceat Monachis comedere cum ſæcularibus laicis, aut Clericis, ſeu fratribus alterius Religionis, neque intra, neque extra menſam cõmunem in Monaſterio, nec ipſi extranei ad menſam communem ducantur, ſed in loco ſeparato reficiantur, cùm eos opus erit reficere, vt dictum eſt. Contrarium facientes pro vice qualibet in Capitulo recipiant diſciplinam.

## §. IX.

VT autem dum corpus reficitur, anima non eſuriat; is adhibeatur cibus, qui eam ſpirituali dulcedine reficiat, quocirca quotidiana menſæ lectio habeatur, recitanda ex ſacris, tam veteris, quàm noui Teſtamenti libris, aut alijs ex receptis Patribus, vel Hiſtorijs Eccleſiaſticis, & libris ſpiritualibus, iuxta præſcriptum Regulæ, & eo modo, & ordine, prout S. P. Benedictus cap. [illegible] iubet. Ad ſecundam quoque menſam ſemper continua habeatur [illegible]io, ex aliquo libro vulgari ſpirituali, vel ex Hiſtoria Eccleſiaſtica vulgari, & ſeruetur omninò ſilentium, tàm in prima, quàm in ſecunda menſa, iuxta præceptum Regulæ cap. 38.

De

# De Monachis Infirmis curandis. Cap. XVI.

## §. I.

Bbates, Viſitatores, & cæteri Præſidentes Monaſteriorum,& locorum Religionis noſtræ, ante omnia,& ſuper omnia de Infirmis Monachis curā habeant,& illis præſto ſint,vt æquum eſt,& S.P. Benedictus mandat cap.36. Pro curandis autē commodè infirmis Monachis in quolibet Monaſterio deputetur locus ad id aptus, & commodus, vbi infirmi curari poſſint, & refici valeant. Quæ quidem Infirmaria de neceſſarijs ſupellectilibus ad curam requiſitis prouideatur, & præſertim in ea ſit Oratorium, in quo Miſſam infirmi auſcultare poſſint. Ipſis verò Infirmis aſſignetur Infirmarius, qui illis inſeruiens Deum timeat, & in charitatis operibus ſit aſſiduus, exercitatus, & prudens, vt quod Medicus iuſſerit, rectè percipiat, ac prudenter exequatur. Cum autem infirmatur aliquis,propriam infirmitatem Præſidenti pandat, & cum eius licentia Medicum pro curanda infirmitate conſulat: Ipſe verò Præſidens quotidie Infirmos viſitare debeat, nec vllus quamuis Infirmus, ſine eius licentia ſe curari permittat.

## §. II.

CVm primum Monachi aliqui infirmantur, confiteantur, confeſſi verò ad Infirmariam de Præſidentium conſenſu ducantur, à qua deinceps poſtquam intrauerint, ſine dicti Præſidentis voluntate, nec exire, nec ad communia cibaria reuerti valeant.

Prædictis Infirmis tam de famulis, Medicis, & comeſtibilibus, quàm alijs omnibus neceſſarijs per Præſidentes ipſos integrè prouideatur, iuxta Medicorum conſilium, itaut in re nulla defectum aliquem patiantur; ſecus autem facientes, tam Abbates, quàm Priores, alijque ad quos ſpectat eorum cura, prout culpa exigit, grauiſſimè puniantur; quod attentè Viſitatores Generales tempore viſitationis ſtrictè,diligentiſſimèque perquirant. De prædicta autem Infirmaria, poſtquam legitimè, vt præfertur, exierint, per octo dies

imme-

immediatè ſequentes infirmi neque ad ieiunium, neque ad communia cibaria cogantur, ſed eis prouideatur de peculiari cibo, vt conualeſcant.

## §. III.

CVm aliquis Monachorum noſtrorum morti appropinquauerit, ab hac miſerabili vita diſceſſurus, omnes Monachi ſani, qui in Monaſterio fuerint, circa ipſum conueniant morientem, & eidem in extremis laboranti addant animum, legendo apud ipſum Euangelia, Orationeſque pro eo, ac Litanias cum Sanctorum ſuffragijs, Symbolumque Apoſtolorum, & Athanaſij, ac cætera ad commendationem animæ ſpectantia, iuxtà Rituale Romanum nuper editum. In primis autem attendant Præſidentes, vt infirmi Sanctiſsimum Euchariſtiæ Sacramentum ſuſcipiant, caueantque ne ipſorum defectu ſine Viatico, & Extrema vnctione decedant, pro quorum omnium adimplemento deputet Prælatus particularem Monachum, & moneatur ſæpius infirmus, præter cætera, à fel. rec. Paulo Papa V. cuilibet Religioſo in mortis articulo, ſi verè pœnitens, & confeſſus, ac Sacra Communione refectus, vel quatenus id facere nequiuerit, ſaltem contritus, nomen IESV, ore ſi potuerit, ſin autem corde, deuotè inuocauerit, Plenariam peccatorum Indulgentiam eſſe conceſſam.

## §. IV.

CVm verò Abbatem, Priorem, aut Vicarium Grancerium alicuius Monaſterij, ſeu loci Religionis noſtræ Conuentualis, vel non Conuentualis mori contigerit, ante mortem ſigillum Monaſterij reponi faciat in depoſito conſeruãdum, in præſentia totius Conuentus, & Monachorum omnium ad hoc ſpecialiter vocandorum. Quo defuncto, congregati in vnum ad Capitulum, more ſolito, per illum, qui primum locum, ſecundùm profeſsionis tempus, in ipſo Monaſterio, vel loco obtinet, ſibi Vicarium canonicè eligant ex ipſiſmet, qui Monaſterium in ſpiritualibus, & temporalibus regat, & de ipſis bonis mobilibus, & ſtabilibus ſtatim Inuentarium faciat, interuenientibus Patribus à Conuentu electis, non minus tribus, & exinde de Monaſterio, & prædictis curam gerat, quouſque per Abbatem Generalem (cui ſtatim ipſe Vicarius hoc ipſum nunciare ſtudeat) de alio deliberetur Vicario.

Si quis

verò, quibus ex commisso eis munere competit, Officiales singuli Religionis nostræ singulis contenti officijs, aliorum officia præter honestum non vsurpent; Horum autem officiorum varietatem, vel discrimen modo sequenti duximus distinguendum.

## §. VIII.

PRimo tamen hoc duximus præmittendum, scilicet, omnia, & singula nostræ Congregationis Monasteria, & loca non eodē modo, neque per easdē personas pari dignitate, aut officio præditas regi; Ea enim Monasteria, in quibus commodè sustentari possunt duodecim personæ, computatis etiam famulis, per Abbatem Conuentualem reguntur; quæ verò sex personarum numerum tantùm alere possunt, per Priores reguntur, reliqua verò, quorum facultates tot minus alere possunt, per Vicarios reguntur, iuxtà Pauli V. dispositionem in sua Bulla ad fauorem Ordinis nostri exaratam, saluo tamen iure Abbatis Generalis, qui omnibus, & singulis Monasterijs eisdem præsidet, iuxta Bullam D. Petri Cœlestini Institutoris nostri; Conueniunt autem eisdem Abbatibus Conuentualibus noua Abbatiali dignitate insignitis functiones Abbatiales facere, præter ea, quæ sunt propria habitus Prælati Regularis, & quæ conueniunt Abbati Generali ex speciali Indulto Cœlestini V. Ita tamen, vt functiones Abbatiales exercere valeant ter dumtaxat per annū, cum, scilicet, maior populi concursus ad Ecclesias nostri Ordinis cōfluxerit, facultate tamen obtenta ab Abbate Generali, qui tamen eam denegare non debet, & dummodo in Ciuitate, in qua extiterint Monasteria, eodem tempore, eademque festiuitate Episcopus non fuerit solemniter celebraturus; Quæ autem ad eorundem Abbatum Conuentualium officium, & Priorum etiam prædictorum spectant, hæc sunt, quæ sequuntur:

## §. IX.

ABbas, aut Prior, aut etiam Superior Monasterij, qui videlicet in Monasterio omnibus sub eius obedientia existentibus personis præponitur ab Abbate Generali, præstare debet alijs bonis moribus, ceterósque omnes bono sui ipsius exemplo ad bona opera inuitare, primusque pro explendis horis ad Ecclesiam accedere, Regulamque in omnibus seruare, vt ipsius vita regularis regula sit Confratribus suis benè viuendi, & in sancto ipsorum proposito proficiendi,

ficiendi; Primam Antiphonam ad nocturnum quotidie,& ad vtrasque Vesperas in festis duplicibus incipere, benedictionem legentibus vbiquè dare, Te Deum laudamus incipere, Euangelium post nocturnos legere, & Te decet laus,post ipsum, & similiter Antiphonas Benedictus, & Magnificat in omnibus festiuis diebus, & per Octauas Natiuitatis, Resurrectionis Dominicæ, ac Pentecostes, & ad Processionem vltimam Antiphonam, vel responsorium incipere; Ad Laudes,& Vesperas Pater noster, quotidie dicere; In omnibus festis duplicibus, & præcipuis defunctorum officiis, alijsque solemnibus, Missas cantare, Lectiones in Ecclesia, Claustro, & Capitulo, mensa,vel alibi corrigere, & terminare; Aquam benedictam post Completorium Monachis dare, diuina officia cum signo inchoari iubere, & ipsa cum signo,ac benedictione adiuncta,terminare; Orationes ad mensam in principio, & in fine dicere; Absolutionem Capituli facere,benedictionem legentibus vbique dare; Ad gratias post cœnam, vel prandium solum ire; secundum signum ad mensam, & tabulam, & ad laborem pulsare, vel pulsari facere; officia maioris hebdomadæ distribuere, & in Ecclesia ordinare; Confessionem ad Primam, & Completorium facere, versus & orationem pro Abbate Generali, & Congregatione post Primam dicere; In fine Completorij benedicere, & orationem B. V. M. post Completorium recitare; Extremam vnctionem Monachis dare; Monachos sub eius obedientia existentes, in casibus sibi a iure concessis absoluere, & ipsos in Choro mutare,& ordinare, atque omnia, quæ diuino cultui necessaria erunt,& opportuna,facere; Capitulum conuocare,& retinere, Regulam explanare, & Monachis monita Regulæ pro ipsius obseruantia proponere, delinquentes corrigere, & castigare, Cellas Monachorum singulis mensibus, & quandocumque opus fuerit visitare; Monasterij officia distribuere cum consilio Patrum Deum timentium, & Capituli bona temporalia custodire, ac dispensare secundum harum Constitutionum Instituta; nihil scilicet per seipsum, sed per Officiales Monasterij exequendo; computa Monasterij de hebdomada in hebdomadam de receptis, & expensis recognoscere, & tempore Visitationis reddere; itaut vnusquisque villicationis suæ coram ipso rationem reddat, & singula,quæ per vnumquemque ipsorum gesta fuerint, recognoscantur. Ceremonialia ad Abbatis Generalis officium pertinētia facere,illis tamen exceptis,quæ ipsius propriæ Iurisdictionis & præeminentiæ sunt, & dummodo ipse non

 sit præ-

sit præsens. Qui Abbas Generalis præmissa,& alia in omnibus Monasterijs, & locis nostræ Congregationis per seipsum principaliter, liberè, & licitè exequi, & exercere potest. In omnibus autem tam præfatis, quàm alijs rebus, & causis Abbates, & Priores Monasteriorum, & locorum, tam præsente, quàm Abbate Generali absente, domi & foris in omnibus, & per omnia sub ipsius obedientia regant, & gubernent.

## §. IV.

VIcarius verò Conuentualis, aut etiam Superior, dum Abbas, aut Prior in aliquibus detinetur negocijs, in cæteris debet eius vices gerere: scilicet in primis, Ecclesiæ curam habere, ac regularem disciplinam aliorum mentibus imprimere, concordiamque ac pacem inter Monachos conseruare, eorumque indigentias, & necessitates, seu etiam spirituales infirmitates manifestare, vt in necessitatibus eis prouideatur, & in infirmitatibus curentur, Monachos in vtroque Choro ad officium excitare; in Abbatum, & Priorum suorum absentia omnia eorum præfata ceremonialia exequi, Abbatialibus exceptis.

## §. V.

AD Cantoris officium pertinet in dextro Choro, ad Succentoris in sinistro, in suis tamen iuxta professionis tempus conuenientibus sibi locis Ecclesiæ stare. Ad vigilandum, & cantandum se, ac alios excitare, errores in antiphonis, & responsorijs, hymnis, & versiculis imponendis corrigere. Ad Missam introitum, Kyrie eleison, &, In terra pax hominibus, Graduale, Patrem omnipotentem, Offertorium, Sanctus, Benedictus qui venit, Agnus Dei, & Postcommunionem in diebus ferialibus solus; In festiuis verò cum Succentore incipere versus Graduale Alleluia, ac Tractum, quibus voluerit, binis (si festum fuerit) dicendos mandare. Hymnos diebus festiuis solemnioribus; quoad Vesperas, & Laudes tantum, ad omnes horas incipere, libros in Ecclesia aperire, & conseruare, omnes in Ecclesia præuenire, ad nutũ Sacristæ citius ad Ecclesiam accedendo, Ad Matutinum in nocte cantare omnes Antiphonas, post Psalmos quoslibet; Versum per singulos dies in Hymno, Te Deum laudamus, in medio Chori incipere; Ad Benedictus, & Magnificat in principio priuatis diebus Antiphonam imponere, & Præsidenti, quando

debet

debet cantare, dictas Antiphonas cantandas ostendere. Hebdomadarios officiales Chori, & Ecclesiæ, ac Mensarum futuræ hebdomadæ quolibet Sabbato scribere, & publicare, Lectiones, & Responsoria in festis duplicibus præcipuè melius legentibus, & cantantibus in nocte distribuere; Processiones ordinare, omnes Antiphonas, & Responsoria (exceptis vltimis responsorijs) imponere; lecturis, quid legere debeant, demonstrare, & ipsas lectiones auscultare. Ad mensam Benedicite, versusque tam antè, quàm post Refectionem dicendos inchoare, Kyrie eleyson dicere, Psalmoque, cùm gratiæ aguntur, principium dare; diebus priuatis prædicta solus dicere, & explere: festiuis verò cum socio, vt dictum est. Si verò Cantores defuerint, prædicta eorum officia Succentores, Vicarij, vel Superiores implebunt.

## §. VI.

AD Hebdomadarium Missæ pertinet omnes horas in Ecclesia incipere, Missam Conuentualem in hebdomada sua dicere, ac in feriali defunctorum officio, psalmum De profundis, & Versus post Primam, ac Orationes, & Psalmos pro absolutione Capituli incipere; Prædicta etiam Ceremonialia Abbatum, & Priorum, & Superiorum, ipsis absentibus, Abbatialibus exceptis, in Ecclesia, & in Mensa adimplebit. Primum locum in Ecclesia, in Mensa, & Capitulo post Prælatos in Choro suo tenebit; & tam in legendo, quàm in cantando locum non mutabit: ac sicut in Antiphonis, ita in Lectionibus, & alijs diuini officij operibus, & ceremonialibus eundem seruet ordinem, quem seruat in sedendo. Quòd si aliquando defuerit Sacerdos, qui iuxta ipsum est infra, vel supra, si inferiorem non habebit, ipsius officium adimplebit: quòd si nullus Sacerdos in Choro suo fuerit, primus Sacerdos, qui fuerit in alio Choro, illud agat.

## §. VII.

AD Hebdomadarium Inuitatorij pertinet feriatis diebus solum, festiuis verò cum proximo monacho sibi inferiore, Domine labia mea, & Deus misereatur nostri, & versiculos omnes horarum post Capitulum, & Hymnum, & Cum inuocarem incipere; ac cum proximè præterito Hebdomadario Inuitatorium, Venite, Responsoria ad Vesperas, & alia Responsoria breuia in medio Chori cantare; Primam Antiphonam ad Laudes, & Vesperas, & per omnes

horas, omnes Hymnos priuatis diebus Alleluia; In secundo nocturno, & Antiphonam post cantica incipere, Benedicamus Domino ad Laudes, & ad Vesperas cum hebdomadario Sacerdote cantare; In collatione, & Capitulo legere. Qui si quando defuerit, is, qui est iuxta eum inferior in Choro, eius officium exequatur: & hoc idem seruetur in alijs hebdomadarijs.

## §. VIII.

AD Hebdomadarium ministrum Altaris pertinet seruire omnibus Missis tam votiuis, quàm Conuentualibus suæ Hebdomadæ, tam horarum Primæ, quàm Tertiæ, Sextæ, & Nonæ: Aquam pro lauandis Sacerdotum manibus, & Ministrorum in Missis ad locum debitum deferre. Vinum ad collationem afferre, cum socio præcedentis hebdomadæ in ipsa collatione seruire; ignem in thuribulo ponere; Lectiones, Inuitatorium Venite, & Responsorium ad Vesperas, Responsoria breuia, Orationes, & Antiphonas in Ecclesia inuenire, & in armario in medio Chori patenter ponere; candelas ad Laudes, & Vesperas accendere, aquam benedictam, qua Monachi aspergantur post Completorium, præparare, & ipsam ad benedicendum die Dominico in hebdomada sua, hora prima Sacerdoti cum sale præbere: sequenti verò hebdomada priuatis Missis deseruire, ac lampades in Dormitorio accendere.

## §. IX.

AD Hebdomadarium Lectorem pertinet die Dominico post Missam petere ab omnibus pro se orari, prout in Regula continetur; ad primam mensam legere; Lectiones omnes breues, idest Capitula in Ecclesia recitare cantando, vel legendo; primum signum statim finito officio illius horæ, qua debent comedere Monachi, facere; & ad mensam secundam postquam comederint, & de Refectorio cum gratijs exierint, ad comedendum pulsare.

## §. X.

SAcristæ munus erit ad omnes horas Canonicas horis debitis die, noctuque pro primo, & secundo signo campanas pulsare, seu pulsari facere secundum temporum differentias; hoc est in duplicibus omnibus primæ Classis, ad nocturnas vigilias, ad vtrasque Vesperas, & Tertiam ter, & omnes campanas. In reliquis duplicibus,
& in

& in Dominicis per annum bis, ſed duplas. In Dominicis verò primæ Claſſis pulſentur campanæ, prout in duplicibus primæ Claſſis: Pro alijs autem horis ſcilicet Sexta, Prima, Nona, & Completorio ſemel tantum, ſed duplas, aut triplas, ſecundùm dierum prædictorum differentiam; cæteris autem diebus ſemel vna pulſetur.

Item eius officium eſt, candelas, cereos, & candelabra pro Altaribus, ac diuerſis Eccleſiæ locis in officio, & ſacrificio, prout opus fuerit, præparare, ac diſtribuere iuxta eorundem dierum differentiam. Pro feſtis quidem diebus duplicibus in Miſſa, Tertia, Veſperis, atque in Antiphona B.V. in Completorio, & in nocturnis vigilijs decantatur Te Deum laudamus vſque ad finem Laudum, candelas ſex maiores ſenum vnciarum ſingulas: in duplicibus verò per annum, & in Dominicis diebus, & ſemiduplicibus quatuor, & quatuor vnciarum ſingulas: cæteris autem diebus duas trium vnciarum ſingulas. Pro alijs autem horis Canonicis in feſtis tantum duplicibus duas, & pro candelabris, quæ per Ceroferarios, vel Acolithos deferuntur, in ſolemnitatibus maioribus duas. In alijs autem feſtis duas, & pro Miſſæ ſacrificio tam feſtiuis diebus, quàm Dominicis duo intortitia; cæteris autem diebus vnum. In Miſſa verò Abbatiali ad eleuationem deferantur quatuor intortitia.

Debet item Sacriſta in ſingulis Altaribus Crucem apponere, portas aperire, & claudere, & quando horæ matutinorum citius cãtandæ ſunt, Cantori ſignificare; Cineres, ramoſque palmarum, & ignem nouum ad benedicendum parare: Ad vngendum infirmum oleum ſanctum, & alia neceſſaria præparare; Omnia vaſa, veſtimenta, & alia Eccleſiæ vtenſilia, quæ ſibi per inuentarium conſignanda ſunt, cuſtodire, & reponere, & ita conſeruare, vt nihil deperdatur: atque in fine officij ſimiliter, ſcilicet, per inuentarium conſignare, & reſtituere; Demum cætera alia facere, quæ ad ornatum, & decus Eccleſiæ pertinere noſcuntur.

## §. XI.

AD Cellerarium pertinet omnia vaſa Monaſterij tàm coquinæ, quàm alia non ſacra cum magna diligentia cuſtodire; Sal, Oleum, Vinum, & vtenſilia Monaſterij, quæ ſibi committuntur, & conſignantur, conſeruare; menſam Monachorum, dum comedunt circumire, & eis ſubminiſtrare neceſſaria, & eſſe ſanis, & infirmis omnibus tanquam Patrem, qui curam gerat de Monachis, eoſque

non contriſtet,& conſtitutam annonam,& pictantiam,ſiue obſonium ſine mora horis opportunis præbeat.

## §. XII.

AD officium Procuratoris pertinet curam de temporalibus habere, redditus, cenſus, & omnes prouentus Monaſterij vbicumque fuerint tàm per inſpectionem titulorum, quàm regiſtrorum ſcire; Iura Monaſterij ſollicitè conſeruare; cum Præſidentis Monaſterij, & Conuentus conſenſu lites mouere, proceſſuſque facere, motaſque ad finem deducere, aut vijs pacificis, habito Capituli Monaſterij conſenſu, & ſapientum conſilio concordare; Credita Monaſteriorum diligenter petere, & via iuridica debitores ad ſoluendum compellere; pecunias omnes vtcumque Monaſterijs debitas, & obuenientes, quas recipit, Depoſitarijs quamcitiùs conſignare, quietantias debitoribus, & alijs,quibus opus fuerit, facere, & ſigillum pro illis obſignandis, & librum habere, in quo quæ conſignat,& recipit, annotentur. In omnibus autem, & per omnia pro voluntate Prælati, & Capituli ſe gerere, eiſque in omnibus ſemper humiliter obedire debeat.

## §. XIII.

AD Depoſitarios pertinet omnia Monaſterio aduenientia mobilia, tàm pecuniam, quàm res alias,frumentum,videlicet,ordeum,legumina, & oleum ſub clauibus in Depoſito conſeruare, ac Inuentaria, tàm generalia Monaſterij, in quibus bona ipſius deſcripta ſunt, quàm particularia officialium, Sacriſtæ, videlicet, & Cellerarij, atque artificum facere, eorumque exemplar apud ſe retinere; Inſtrumenta, Priuilegia, & Contractus, & ſi qua ſint alia in fauorem Monaſterij Iura, tàm mobilium,quàm ſtabilium, vel ſeſe mouentium, necnon apodixas,& quietantias in fauorem facientes, aliaque omnia, quæ ſibi,& Capitulo pro vtilitate,atque immunitate Monaſterij neceſſaria & opportuna videbuntur, in Depoſito collocata cuſtodire.

De quibus omnibus apud eos depoſitatis, & in cuſtodiam datis, communiter inter ſe librum vnum conficiant, in quo per rationes diſtinctas mentionem faciant cum appoſitione temporis, anni, videlicet, menſis, diei, aliarumque clauſularum neceſſario apponendarum. Ipſa autem depoſita, ſeu res depoſitatæ, & pecuniæ de vo-

luntate

luntate Præsidentis per eosdem Depositarios consignentur Officialibus, & de consignatione ipsarum in eodem libro similiter fiat mentio specialis.

## §. XIV.

AD Expensorem pertinet commissam sibi pecuniam a Depositariis pro vtilitate Monasterij de voluntate Præsidentis tàm ordinariè, quàm extraordinariè expendere; res,& bona Monachis, & Monasterio necessaria emere; Creditoribus satisfacere, aliaque omnia exequi, quæ sibi à Superiore iniunguntur; librumque de receptis, & expensis cum partitis distinctis, & singulis tàm in exitu, quàm in introitu facere; De receptis, & expensis vnà cum Depositarijs, & Procuratore Præsidenti de hebdomada in hebdomadam rationem reddere.

## §. XV.

AD Infirmarium pertinet Monachos cùm infirmantur monere, vt quamcitissimè poterunt confiteantur, opportunoque tempore Eucharistiæ Sacramentum sumant, ipsosque confessos de licentia Præsidentis ad Infirmariam ducere, & eorum cum charitate curam gerere, eisque omnia necessaria secundùm Medicorum consilia ministrare; & in mortis articulo positos hortari, & eos, quo opportuniori tempore velint, vngi Oleo sancto, interrogare, atque illos vngi facere, & eorum animas bene disponere; demum in Infirmaria dormire, & de Infirmis attentius curam habere.

## §. XVI.

AD Mensarum famulos spectat, Monachis discumbentibus fercula primæ mensæ portare, & in secunda ad ponendum incipere; vasa omnia diligenter mundare, & in fine hebdomadæ integra, & mundata alteri consignare; & alia quæ oportuerit explere, vt moris est.

## §. XVII.

CAeteri autem Officiales Monasterij, aut artifices, ita in propriorum Officiorum exequutione se gerant, vt singuli in singulis Monasterijs, & Monachorum necessitatibus inuigilent, & tales de se præbeant, vt sine murmuratione, aut querimonijs, & cum omni

humilitate, diligentia, charitate, & prudentia, Deique in primis timore munus ſibi commiſſum adimpleant, & pro voluntate Præſidentis in omnibus, & per omnia iuxta Regulæ diſpoſitionem ſe gerant.

## §. XVIII.

VBi verò maior fuerit Congregatio, pro Abbatis arbitrio prædictis Officialibus addantur ſocij, ſiue ſolatia, iuxta diſpoſitionem Regulæ; ac ad alia, & ſingula Eccleſiæ, ac Monaſterij ſeruitia, prout opus fuerit, alij deputentur famuli, & Officiales, qui iuxta ſuorum munerum commiſſionem illa fideliter exequantur.

# De Adminiſtratione Temporalium. Cap. XVIII.

## §. I.

DE triennio in triennium Abbates, Priores, cæterique Officiales, quibus adminiſtratio credita eſt, faciant duo Inuentaria de bonis mobilibus, & ſtabilibus ſingulorum Monaſteriorum, quibus præſident, cum interuentu Viſitatoris, & ſanioris partis eorundem locorum, cum expreſſa mentione, & diſtincta quorūcumcumq. fructuum, redditūum, prouentuum, emolumentorumq. tàm præſentium, quàm futurorum, quotannis percipiendorum, cum debita ſubſcriptione prædictorum, aliorumque Monachorum.

Horum autem alterum Inuentarium regiſtretur in libro maiori computorum, aliud verò adſportetur ad Capitulum Generale, vt infra. Liber autem prædictus computorum ſit ad minus quingentarum cartarum integrorum foliorum; conſigneturque huiuſmodi liber per Prælatum prædeceſſorem Vicario Capitulari, ſub pœna priuationis vocis actiuæ, & paſſiuæ, & officij per annum; & a Vicario Capitulari Prælato ſucceſſori, ſub pœna ſtricti carceris per annum, & alijs ad arbitrium Abbatis Generalis.

Ipſa ergo inuentaria adſportanda, bene collata cum inuentarijs deſcriptis, & relictis in ſingulis Monaſterijs, vt ſupra, præſententur Patribus Diffinitorialibus in Capitulo Diffinitoriali, prout infra.

Abbates

Abbates verò, & Priores ſupradicti cùm primùm in Capitulo Generali electi fuerint, Inuentariorũ prædictorum exemplar accipiant, quiſque, ſcilicet, pro ſuo Monaſterio; Cùmque ad ipſa peruenerint, in primis per Inuentarium bona ipſorum ſimiliter recipiant, in quo præcipuè vniuerſa ſupellex Sacriſtiæ, ſacræ Reliquiæ, & ſcripturæ, & libri, & Dormitorij, Infirmariæ, horrei Cellarij, Promptuarij, & Coquinæ deſcribantur, conferantque cum eo, cuius exemplar acceperunt, an aliquid abundet, vel deſideretur, & omnia notificent Abbati Generali.

## §. II.

PRælatus quiſque, & Officialis Monaſterij ad Generale, vel Annale Capitulum, ſeu ſponte iuxta ſolitum, ſeu Abbatis Generalis iuſſu acceſſurus, vel vtrumque officium dimiſſurus, ante diſceſſum coram Patribus Monaſterij, ſi præſens non fuerit Viſitator, aut Diffinitor, de omnibus in ſuo officio receptis poſt Viſitationem, & expenſis, ac de rebus alijs pro Monaſterio tractatis, rationem reddat; & bona ſibi per Inuentarium in principio ſui officij conſignata cuiuſcumque ſint generis, & valoris, iuxta eiuſdem Inuentarij notam recognoſci faciat, & ſic recognita conſignet cum alijs bonis, & rebus dicti Monaſterij iuxta cõſuetudinem: Et de præmiſſis ab eiſdem litteras teſtimoniales habeat, quæ nihilominus neutiquam à Patribus obſignari debeant, ad pœnam falſi, niſi prædicta recognitione, & conſignatione facta, & ratione, vt præmittitur, reddita cum clauſula de rebus deficientibus, ſi forſan res deficiant; ſine quibus litteris non admittantur ad votum neque actiuum, neque paſsiuum huiuſmodi Capituli.

## §. III.

ET quia bona mobilia vſu conſumuntur, ſtatim quod aliquid deperditum fuerit, vel conſumptum, Sacriſta, vel Cellerarius, ſeu Officialis quilibet, qui ea habuit in commiſſis, Præſidenti debeat indicare, & ipſe Præſidens ſtatim emere debeat aliud ſimile, vel melius illo, quod deperditum fuerit, vel conſumptum, cùm bona mobilia temporis iniuria diminuta debeant reparari. Et ſi aliquid de dicto Inuentario tempore prædicti Præſidentis fuerit imminutum, ſi propter negligentiam ſuam id euenerit, vel fuerit malitioſè deperditum, vel ſubtractum, ad nutum Abbatis Generalis, vel Viſitatoris

toris, iuxta rei subtractæ, vel deperditæ valorem, & qualitatem, Præsidens puniatur. Si autem ob negligentiam alicuius Officialis quicquam de bonis mobilibus deperditum fuerit, simile per Præsidentem ipsius Monasterij, vel loci, dictus Officialis negligens de sua negligentia, vel de malitia puniatur, si per eius malitiam, vel negligentiam res deperdita fuerit.

## §. IV.

IPsorum autem fructuum, reddituum, prouentuum, & emolumentorum Monasterijs aduenientium de triēnio in triennium à Diffinitoriali Capitulo distributio, ac dispensatio fiat pro Monasteriorum, & locorum expensis necessarijs, & communibus, iuxta numerum personarum in dictis Monasterijs manutenendarum, ac iuxta locorum, & temporum qualitates pro victu, vestitu, & communibus necessitatibus earundem; Ac propterea iuxta reddituum quotannis percipiendorum quantitatem, tot personæ teneantur, quot commodē possunt cum ijsdem redditibus ali. Si quando autem Prælati numerum prædictum dolo, vel negligentia minuerint, Visitationis tēpore, singulis annis pro rata victus, & vestitus deficientium personarum satisfaciant; itaut tantam de assignata portione pecuniam deponere, & consignare debeant, quanta pro talibus personis deficientibus (si adessent) pro eorum victu, & vestitu expenderetur, sub pœna suspensionis ab administratione per annum.

## §. V.

SI autem Dei clementia fructus superfuerint de portione Monasteriorum pro vsibus supradictis Prælatis assignata, ac pro ipsarum personarum in dictis Monasterijs existentium vsu, & commodo expendenda; portio altera superabundans ita deponatur, & in deposito conseruetur, vt de ipsa non nisi per Abbatem Generalem, & Generales Visitatores, & Diffinitores in Annali, vel Generali Capitulo cum interuentu Prælati Monasterij, vel intra triennium per ipsum Abbatem Generalem cum Patribus Diffinitorialibus Quarteriorum respectiuè, & Prælato Monasterij in casibus necessarijs, & quæ præsentanea prouisione indigebunt, vt puta Ecclesiarum necessarijs reparationibus, & similibus ædificijs, similiter necessarijs, possit disponi.

Incer-

## §. VI.

INcertorum autem reddituum per Generalem Visitatorem quot annis descriptio fiat, & per Capitulum Diffinitoriale cum interuentu Prælati Monasterij similiter pro necessarijs reparationibus, & ædificijs disponatur: necessarijs autem supradictis cessantibus causis, depositum prædictæ portionis custodiatur pro Congregationis, & vniuersalis regiminis necessitatibus, & commodis, ad Generalis tantum Capituli dispositionem, & mandatum. Cæterùm assignatæ portionis administratio tàm aduenientium pecuniarum ex redditibus, seu censibus, vel aliorum bonorum mobilium, vt puta frumenti, vini, olei, aliarumque rerum similium venditionibus suis loco, & tempore, modo, & forma faciendis, quàm earundem, aliarumque rerum vndecumque, & qualitercumque dictis Monasterijs legitimè prouenientium, per Depositarios deputatos fieri debeat, & non per Prælatos solum tractari, ministrari, vel dispẽsari, seu distribui valeat.

## §. VII.

SVperiores cùm primùm creati fuerint, & ad propria Monasteria transmissi, conuocent Capitulum Monasterij, in quo eligantur de communi ipsius Capituli consensu duo Patres Depositarij, qui depositum seruent, tàm pecuniarum, quæ per Procuratorem eis consignabuntur, quàm etiam frumenti, vini, olei, leguminum, hordei, cæterarumque rerum: & circa hæc iuxta eis traditam potestatem, & commissam obedientiam, prout supra de diuersis Officijs Monasterij disponitur, per omnia vniformiter se gerant. Eligatur similiter Procurator, qui prout supra dictum est, suum exerceat officium.

Item eligatur Expensor Monachus, siue oblatus, qui pro sui officij ratione, prout supra, fideliter consignatas sibi pecunias expendat. Eligantur demum cæteri Officiales, Sacrista, Cellerarius, Magister hospitum, alijque prout supra, qui itidem, prout dispositum fuit supra, suo fungantur officio.

Item eligatur Cancellarius, siue Actuarius Capituli Conuentualis, qui describat electiones Officialium Monasterij; & omnia acta, quæ fieri continget in Capitulis Conuentualibus, & ad hunc effectum librum magnum habeat in folio integro, in quo prædicta omnia fideliter describat, & registret.

Bona

## §. VIII.

BOna mobilia, quæ pro sustentatione Monachorum, aut aliàs pro Monasterij necessitatibus vendi solent, sicut custodiæ commissa sunt Depositarijs, ita nequeant ea Præsidentes Monasteriorum, aut cæteri Officiales in toto, vel in parte, sine Capituli Conuentualis consensu, vendere, distribuere, aut earum pretium in extraordinarios casus, quantumuis necessarios, absque ipsis conuertere; seruata nihilominus ipsarum forma, quæ in præsenti Capitulo, & in præcedentibus, & in subsequentibus traditur, & assignatur. Assignatam portionem reddituum, & bonorum Monasterij pro victu, & vestitu Monachorum, & Monasterij necessitatibus expendendam, Officiales ita ministrent, vt seruata Regula, Monasticisq. Institutis, de ea communiter, & regulariter omnes viuant; & neque plus vni, quàm alteri, nisi secus Abbas, iuxta Regulæ præscriptum disposuerit, ministretur; neque quod ministratur tanquam proprium habeant, aut recipiant, neque singulariter singulis in victu, sed communiter distribuatur, & non in pecunia numerata. Contrafacientes in omnibus supradictis, tãquam monasticæ disciplinæ contemptores, acerrimè corrigantur, & puniantur grauiori pœna, alijsque pœnis contentis in decretis generalibus Clementis Papæ VIII.

## §. IX.

DE eadem assignata portione ex redditibus Monasterij emantur vtensilia pro Coquina, Cellario, Refectorio, Infirmaria, Dormitorio, Hospitio, & pro cæteris in similibus requisitis; vt propterea quotidie non fatigentur Officiales in his, quæ pro quotidiano vsu, rebusque in dies occurrentibus requiruntur, & Monachi, tam Conuentuales, quam hospites commodè indè sustententur, & quiescant. Vtensilia autem prædicta de anno in annum, prout opus fuerit, & expediet, reficiantur, & emantur; & per Inuentarium custodiæ Officialium Infirmorum, qui eorum ministerio pro sui officij executione opus habent, relinquantur; & ab eis de anno in annum, & toties quoties discedunt, vel dimittunt officia, exacta ratio Abbati, aut Priori reddatur. Paretur autem præcipuè, & ornetur quammaximè fieri poterit, Sacrarium de omnibus ad diuinum cultum, officium, & sacrificium spectantibus; Vasis, Vestibus, Libris, Mantilibus, Insignibus, Thuribulo, Candelabris, Cruce, 

Pace,

Pace, cæterisque ad commoditatem, & necessitatem Chori, & Ecclesiæ vtensilibus eorum, quorum opera, & cura Superior Monasterij de consensu Patrum disposuerit; vel aliàs ipsa vtensilia sacra perquirantur, & visitentur ab Abbate, aut Priore Monasterij. Sacrista verò, qui vtensilia huiusmodi fideliter, & cum conuenienti decore non custodierit, ad eorum arbitrium grauiori pœna puniatur.

## §. X.

CHaritatis opera, quæ potissimùm pro subuentione pauperum nobis ex Domini præcepto iniunguntur, inter Religiosas personas maximè vigere debent; Ideò reddituum, bonorumque nostrorum, portionisque pro Monachorum victu assignatæ, participes fiant pauperes, eisque ad ianuam Monasterij bis, vel vbi exigui sunt redditus, saltem semel in hebdomada, de pane, & vino eleemosynæ porrigantur, prout opus habent.

Vbi verò vberiores fuerint fructus, quotidiè eleemosynæ pauperibus erogentur, itaut portio vna bonorum nostrorum detur Christo; iuxta illud: *Esuriui, & dedistis mihi manducare*; quod Officiales maximoperè curent. Superiores autem, qui in præmissis defecerint, acriter ab Abbate Generali, aut Visitatore in actu Visitationis corrigantur.

Nobilibus egestate compulsis, qui publicè mendicare erubescunt, si ad nos confugerint, eleemosynas secreto erogari mandamus, de consensu tamen Patrum, si eleemosyna decem Iulios excesserit; secus verò non admittantur in ratione reddenda.

## §. XI.

NEc liceat alicui in alicuius officium se ingerere, nec in commisso sibi munere alia facere, quàm quæ eis conceduntur pro administratione proprij officij. Ideoquè cùm primùm Procurator pecunias, aliaque bona ad Monasterium spectantia exegerit, ea omnia confestim Patribus Depositarijs consignare teneatur; nulloque modo, vel causa pecunias, vel res alias apud se retinere præsumat, neque ipsi Depositarij res prædictas ministrare valeant, sed eas communiter in deposito cum separatis, & distinctis clauibus custodientes, singulis hebdomadis dictarum rerum portionem inferioribus, & minoribus Monasteriorum Officialibus, vel res ipsas in totum per Inuentarium consignent, & custodiendas committant. Pecuniam

cuniam verò pro vſu Monachorum de hebdomada in hebdomadam Expenſori tradant. Omnia verò cum conſenſu, & voluntate Præſidentis faciant, rerum ſibi conſignatarum loco, & tempore rationem redditurí.

## §. XII.

PRædicti Depoſitarij vnum, & Expenſor alium quinternum faciant, ipſi, videlicet, Depoſitarij de receptis omnibus, & datis in ſumma Expenſori eidem, & ipſe Expenſor de receptis ab eiſdem Depoſitarijs, & expenſis per ſeipſum particulariter, & diſtinctè continentibus menſem, diem, quid, quantum, cui, à quo, & per quorum manus, & de quorum mandato ſpeciali, & manu, quorum ſingula ſint recepta, & expenſa; nec non familiæ numerum in capite libri expenſarum, ordinariè ſcilicet in Monaſterio degentis, & extraordinariè hoſpitum, aduenientium, amicorum, & familiarium, cum eorum famulis diſtinctè ſimiliter continentibus.

## §. XIII.

OFficiales quoque alij quocumque nomine cenſeantur, Vicarij paruorum Monaſteriorum, & Maſſarij, quicquid recipiunt, ſeu expendunt ratione ſuorum officiorum, ſcribant, vel ſcribi faciant, vt dictum eſt, particulatim, & diſtinctè in quaternis proprijs, quos fieri diſtrictè mandamus. Volumus quoque, vt diſtinctè & particulariter in libris prædictorum Officialium conſcribantur frumentum, vinum, oleum, hordeum, fabæ, & legumina omnia cuiuſcumque generis, linum, canapis, & alij agrorum fructus, menſuram quoque omnibus reſpondentem, ſecundum varios locorum vſus ſignando. Qui verò hæc neglexerint, pro ſuſpectis habeantur, & officio careant. Depoſitarij verò ipſi, & Expenſores de hebdomada in hebdomadam de receptis, & expenſis vnà cum Procuratore Monaſterij coram Superiore rationem reddant; & ſignificetur omne id, & totum, quod per prædictos fuerit expenſum, & conſumptum pro victu ipſorum, tam de pecunijs, quàm de frumento, vino, & oleo, & cæteris ipſorum Monaſteriorum mobilibus, ac ei legantur omnes partitæ librorum ſupradictorum, eaſque partitas omnes inſpiciat, & ſubſcribat.

Expen-

## § XIV.

EXpensor autem ipse sine Prælati, & Capituli consensu nihil possit expendere, nisi quod pro quotidiano victu, ac rebus alijs communibus quotidie occurrentibus, moderatis tamen, & ordinarijs, ac etiam extraordinarijs (si opus fuerit) extraordinariarum expensarum in libro computorum expressa mentio fiat. Si quis verò Superior per se, vel per alium, præterquàm per Expensorem, pecuniā expenderit, nisi rationabili causa, pro vice qualibet vno die in pane, & aqua ieiunet. In dictis in ratione recipienda, & ponenda, vt diximus, hi, qui illam recipiunt, & ad quos pertinet, non admittant de facili, quæ fortè malè expensa fuerint, & quæ non fuerint admittenda; sed tàm reddentes; quàm recipientes ijdem diuinæ, & humanæ iustitiæ se conforment, vt hi, qui a prædictis deuiauerint, secundum culparum demerita puniantur.

## §. XV.

EXpensores autem non scribant in libris partitas Expensarum ab alijs sine licentia Superioris factarum, neque de non receptis adhuc pecunijs expensas faciant, seu non factas pro factis scribant, etiam si faciendæ forent, & pro factis haberi deberent, pecunijs quouis modo assignatis, vel assignandis pro dictis expensis faciendis. Depositarij similiter in libro Depositi res, & pecunias adhuc non habitas, vel non consignatas non scribant. Itidem faciat Procurator de pecunijs non exactis; itaut nulla ex causa ipsi Depositarii, Procuratores, & Expensores in libris suis partitas aliquas describant in introitu, & exitu, nisi prius realiter, & cum effectu, & integrè prædictæ partitæ exactæ, consignatæ, & expensæ fuerint.

## §. XVI.

PRocuratores autem nequeant, sine Capituli Conuentualis consensu, debitores quietare in totum, vel absoluere, neque absque ipsius Capituli mandato speciali redditus, & prouentus exigere, vel recipere pecunias. Item neque ipsi, neque Superiores, aut Depositarij prædicti debitum aliquod cuiuscumque sit quantitatis, & summæ, quod debetur Ecclesiæ, vel in bonis, vel in pecunia, cuicumque remittere, & condonare præsumant, quominus Ecclesiæ persoluatur. Cùm autem pietatis intuitu alicui ob pauperiem, vel

indi-

indigentiam, aut in laboris præmium, vel aliàs ex iusta, & rationabili causa debitum aliquod remittendum esse iudicauerint;cum Capituli Conuentualis consensu, si fuerit in parua quantitate, non excedente summam decem scutorum: si verò fuerit in magna quantitate, id nequaquam fiat absque Abbatis Generalis licentia. Bona verò, aut quomodocumque ad ea spectantia donare nullo modo audeant. Contrafacientes in aliquo prædictorum, priuentur officio, & respectiuè in carceribus detineantur.

## §. XVII.

NVllus Abbas, Prior, aut Officialis, neque alius quicumque nostræ Congregationis Monachus sibi appropriare, vel retinere, vel occultè conseruare audeat bona Monasteriorum nostrorum cuiuscumque generis, & qualitatis mobilia, vel stabilia, aut sese mouentia, seu etiam scripturas, libros, & quascumque pecuniarum summas quomodocumque ipsis Monasterijs iusto titulo, vel iure legati, vel relicti, aut donationis, aut aliàs spectantia. Nec similiter quispiam audeat asportare eadẽ bona ad aliud Monasterium, etiam si ab eodem Officiali fuerint empta sumptibus, & nomine Monasterij, cuius administrationem immediatè gesserit, sub pœnis contra proprietarios contentis in sacris Canonibus, Constitutionibus Apostolicis, sacro Concilio Tridentino, & in Regula nostra, aliisque arbitrio Abbatis Generalis. Huiusmodi verò res, & bona Monasterio, vnde ablatæ sunt, restituantur.

## §. XVIII.

IN Monasterijs, quæ reguntur per Abbates, & Priores, sit Depositum, & Archiuium, in quo conseruentur omnia priuilegia, instrumenta, iura, & cautelæ eorundem Monasteriorum, & res pretiosiores, quæ ad Ecclesiæ necessitatem, aut ornatum faciunt. Conseruentur etiam in eo registrum principale, & libri computorum, & expensarum, qui de triennio in triennium fiunt ab vnoquoque Superiore pro suæ administrationis officio, cum Inuentario, vt supra, Insuper processus litium cum summarijs earum.

Secularium autem bona nullo modo audeant Superiores, aut Depositarij in eo conseruare, nisi coram Patribus, & testibus bona conseruanda notificata fuerint; ita tamen, vt ex deposito dictorum bono-

bonorum nullum Monasterio periculum, aut detrimentum subsequi vnquam possit.

Et vltra alia eligatur vnum insigne depositum, siue Archiuium in aliquo principaliori Monasterio, in quo non solum iura eiusdem Monasterij deponantur, sed etiam aliorum Monasteriorum paruorum de eodem Quarterio iura, & scripturæ conseruentur, eorum scilicet, quæ aliàs in tuto loco, & apto nequeunt eadem iura conseruare.

## §. XIX.

CAueant Abbates, Priores, Depositarij, & Procuratores Monasteriorum, ne sub quouis prætextu, vel causa, priuilegia, instrumenta, & omnia, ac singula supradicta, aut etiam granum, vinum, aliaque ad victum necessaria, aut prouentus, eleemosynas, legata, donata quomodocumque Ecclesiæ, & Monasterio spectantia, apud consanguineos, & amicos, aut etiam extraneos dolosè in damnum Ecclesiarum, & Monasteriorum deponere, vel transportare præsumant, sub excommunicationis pœna ipso facto incurrendæ; nec eisdem extraneis dare, aut donare de sibi in custodiam commissis in Ecclesiarum, & Monasteriorum damnum, sub eadem excommunicationis pœna, & inhabilitatis perpetuæ ad quælibet Congregationis officia.

Cùm verò pro Monasteriorum commodo, & vtilitate prædicta, aut aliquid prædictorum forsan extra Monasteria conseruari expediet, nonnisi de consensu totius Capituli Conuentualis apud fideles amicos, aut consanguineos, bonæque famæ viros, cautione legitima iuridicè recepta, deponantur.

## §. XX.

LOcationes bonorum stabilium vltra triennium nullo modo faciant, neque permittant Superiores Monasteriorum, sub pœnis a iure expressis ipso facto incurrendis. Locationes verò, quas ad longum tempus, aut in emphiteusim fieri contigerit, necnon permutationes similiter bonorum stabilium, non fiant, nisi secundum dispositionem Iuris communis, & præcipuè extrauagantis, Ambitiosæ tit. de reb. Eccles. non alien. sub pœnis, & censuris in eadem Extrauaganti contentis, & nonnisi de facultate Capituli Generalis, aut Annalis.

Quòd si contigerit Emphiteoticam aliquam locationem de iure fieri posse, ad tertiam tantum lineam masculinam de legitimo matrimonio descendentem, comprehensa persona primi acquirentis, fieri posse declaramus; & quòd vltra annuum responsionis fructuum, debeant locatarij pro certa quantitate melioramenta facere, vt res locata maiorem reddat fructum, vbi ad Monasterium redierit: secus verò factas, aut in futurum faciendas, eas irritas, & nullius roboris esse, nunc prout ex tunc asserimus, & declaramus. Locatores autem contra huius articuli dispositionem facientes, sui officij administratione careant.

## §. XXI.

CVm verò locationes, seu permutationes in casibus à Iure permissis in augmentum, & vtilitatem Monasteriorum, temporis dilationem interdum minimè patiantur, nec ad Capitulum Generale, siue Annale queant sine præiudicio differri; tali casu Abbas, aut Prior Monasterij, et Patres Diffinitoriales Quarterij, de Abbatis Generalis consensu, permutationem, aut locationem facere possint, et debeant. Instrumenta verò intra triennium taliter confecta, in quibus, scilicet, reseruatus est assensus Abbatis Generalis, ad ipsum Diffinitoriale Capitulum producantur, & contenta in eis publicentur; & publicata non prius per Abbatem Generalem firmari possint, quàm per Capitulum decretum sit, in Instrumentis huiusmodi assensum præstari posse, attenta iurium dispositione, Congregationis indemnitate, Monasteriorum vtilitate, & commodo.

## §. XXII.

CVi etiam Constitutioni adijcimus statuentes, quod Abbas Sancti Spiritus de Murrone, siue Prior, & Conuentus eiusdem Monasterij, qui pro tempore fuerint, ex nunc in antea nullum feudum, nec gentilitium, seu nobile, neque rusticanum, siue cuiusuis alterius naturæ nuncupetur, quod solitum sit infeudari, vel in emphiteusim dari, & in præsenti in suo proprio demanio sit, vel in futurum, quouis iure, et titulo adipisci poterunt largitione Principum, donatione, vel legatione piarum personarum, siue emptione, nec vsumfructum ipsorum alijs relocare, vendere, infeudare, vel insubfeudare, aut concedere possint, tam in feudis Pratularum, quàm in feudis Roccæ, Casalis, Vrsæ, Cerrani, & Turris, sine voluntate

totius

totius Capituli Generalis, vel Annalis, seu Diffinitorialis, et euidenti vtilitate Ecclesiæ; idque fieri possit illis personis, earumque hæredibus, et successoribus masculini sexus legitimis, et naturaliter descendentibus de proprio corpore, quibus relocatio facienda erit, exclusisque omninò fœminis, et non aliter, nec alio modo. Qui autem contra formam præsentis Constitutionis facere præsumpserit, eo ipso pœnam priuationis ab officio ad sexennium incurrat, dictaque locatio, et concessio sit nulla, irrita, et inanis. Pecuniæ vero, quas ex huiusmodi relocationibus, et nouis inuestituris percipi contigerit, ac etiam quæ ex laudemijs, quarterijs, tertiarijs, decimæ, pretiis, et alijs Iuribus feudalibus, etiam ex venditionibus inter subfeudatarios, vel emphiteotas faciendis receptæ fuerint, nullatenus expendantur ad quotidianos vsus, vel in necessitatibus alijs; sed in deposito Monasterij, aut pęnes aliquam idoneam personam cumulentur, et depositentur, vt de illis antequam triennium elabatur (consulto prius Abbate Generali) fiat emptio bonorum stabiliũ, vel annui census; Idque statuimus obseruandum esse etiam respectiuè in omnibus feudis, et emphiteoticis bonis in Monasterio, et Baronatu Sanctæ Crucis de Litio, et Sanctæ Mariæ de Casaluccio, et aliorum Monasteriorum, in quibus sunt feudalia iura cum hominibus, et vassallis; et in Laudemiis, Inuestituris, et Recadentijs, in quibuslibet aliis Monasteriis occurrentibus. Secus autem præsumentes, et contrafacientes ipso facto excommunicationis pęnam incurrant, necnon priuationis officiorum, aliasque pęnas arbitrarias.

## §. XXIII.

Rerum stabilium, aut magni pretij mobilium alienationem nullo modo, nullaque de causa, nullus nostræ Congregationis Officialis, aut Prælatus, etiamsi Generalatus officio, et dignitate fulgeat, fieri permittat, aut facere præsumat, sub pœnis, & censuris a Iure comminatis ipso facto incurrendis. Si verò aliquid ex stabilibus, aut pretiosum quidpiam pro Monasterij alicuius, siue Congregationis vrgentissima necessitate, de licentia Summi Pontificis alienari necesse fuerit, talis venditio Abbatis Generalis, vna cum Diffinitorum omnium, & aliorum in Capitulo Generali vocem habentium consensu fieri debeat, prout sequitur. In eodem igitur Capitulo Patres Diffinitoriales instructi per litteras, & rogati vt super tali necessitate præbeant pro venditione assensum, adhibito sa-

pientum consilio, plures tractatus incant inter se; trinaquè super id præcedente deliberatione, si ita expediat, facultatem impendant, conficiantque ad id commissionales litteras opportunas cum præscripta in eis forma contractus, vt infra.

## §. XXIV.

CAusas necessarias esse declaramus, quæ pro collapso Monasterio, seu Ecclesia, vel pro vniuersalis Congregationis necessitate, aut pro oneribus, quæ interdum pro vrgentibus Ecclesiæ necessitatibus à sancta Sede Apostolica imponuntur, prouenire solent, si aliàs in præmissis euentibus, & necessitatibus ex redditibus Monasteriorum prouideri non poterit. Quas iudicio, & declarationi prædictorum Patrum Diffinitorialium, & Capituli Generalis relinquimus.

## §. XXV.

COntractus super venditionibus his faciendis fiant cum expressa causa, & necessitate venditionis, cum insertione litterarum Commissionalium ad hæc facientium, & cum pacto expresso de redimendo eadem bona vendita, & quòd pecuniæ non expendantur nisi pro causis expressis, seruatisque alijs solemnitatibus de iure seruandis: idemque respectiue seruetur in permutationibus, & alienationibus supradictis.

## §. XXVI.

ALiter contrahentes, vendentes, permutantes, siue alienantes quàm supra, pecuniamque in alios conuertentes vsus, officio, & administratione ipso facto priuentur, & ad illud, & alia perpetuò sint inhabiles: contractusque pro nullis, & irritis habeantur, nullumque ius tribuant ijs, cum quibus facta fuit venditio, permutatio, aut emphiteotica locatio.

Pecuniæ autem ex huiusmodi venditione prouenientes in deposito Monasterij, aut apud aliquem idoneum, & fidelem trapezitam deponantur, pro illis tantum vsibus, necessitatibus, & causis expendendæ, pro quibus venditio huiusmodi facta fuit.

Si ve-

§. XXVII.

SI verò infra triennium, instanti vrgente necessitate, venditio fieri contingat, tunc Abbas, & Patres Diffinitoriales in Capitulo Annali, seruata forma, vt supra, facultatem tribuant, Instrumentumque fieri mandent; reseruato tamen futuri Capituli Generalis consensu, & sanctæ Sedis Apostolicæ beneplacito, prout supra de permutationibus, & locationibus ad longum tempus expressum fuit.

§. XXVIII.

LItes magni momenti, quæ pro iurium Congregationis, & Monasteriorum nostrorum conseruatione mouendæ videbuntur, nullus in posterum Superior, aut Officialis mouere, aut quomodolibet terminare audeat, absque Abbatis Generalis expressa licentia in scriptis obtenta, idque vnius pluriumvè legisperitorum consilio; & vbi constiterit de bono Congregationis, Monasteriorumque nostrorum iure, & facti ratione. Cùm ergo pro bonis Monasteriorum nostrorum conseruandis, defendendis, aut recuperandis lites mouere oportuerit, Superior loci Abbatem Generalem de iuribus omnibus, quæ ad rem faciunt, reddat certiorem, vt de Iurisperitorum sententia, deque Capituli Diffinitorialis consilio, & consensu, quid facto opus sit, deliberet, & licentiam si eis expedire videbitur, impendat.

§. XXIX.

QVod si infra triennium ex causis necessarijs lites moueri debeant, ne mora Iuribus nostris præiudicium inferat, consilio habito de bono iure Monasteriorum, vt supra, de licentia Generalis Visitatoris moueantur; & nihilominus Præsidentes de eisdem in Capitulo Diffinitoriali rationem faciant, deque causarum huiusmodi meritis Patres Diffinitoriales instruant, vt in dicto Capitulo deliberare possint de ipsarum prosequutione, terminatione, concordia, aut transactione, prout eis expedire videbitur.

§. XXX.

ET quia interdum ob paupertatem locorum, lites magni momenti, etiamsi constiterit de bono iure eorundem, nequeunt

moueri, aut motæ ad finem, & sententiam deduci; Idcirco præsenti hac Constitutione mandamus, vt in vnoquoque Quarterio prouideatur de communi ære Prouinciæ pro litis prædictæ negocio: qua tamen peracta, teneatur locus, ad cuius fauorem lis cesserit, resarcire pecuniam pro eadem summa Deposito Quarterij, vnde extracta fuerit.

Has verò, vt supra, benè incœptas lites prosequi teneantur Superiores succedentes ijs, à quibus eædem incœptæ, motæque fuerant, & ad finem eas pro Monasteriorum viribus deducere; ad quod eos compellere curet Visitator tempore visitationis.

## §. XXXI.

QVia liberam fabricandi facultatem quandoque maximum attulisse locis nostræ Congregationis compertum est detrimentum; Idcirco attendant Patres ne quid ad pompam, aut luxum, vel superfluitatem in fabricis faciendum permittant, neque vltra Monasteriorum, & Congregationis vires, magnas, aut non necessarias fabricas confici sinant; sed illam in his rationem ineant, vt honesta, & decentia sint habitacula Monachorum, statui paupertatis, ac morum conuersioni conuenientia, & Monasteria propter sumptus profusiores in indigentiam, & egestatem non reducantur: In quibus fabricis reparandis, conseruandis, aut erigendis ita duximus disponendum.

## §. XXXII.

IN primis Abbates, Superioresque locorum, tam principalium, quàm paruorum, ea, quæ ad conseruationem ædificiorum spectant, faciant, & exequantur, sicut eis ex officio incumbit; necnon necessarias reparationes quamprimum fieri curent, ne Monasteria temporis iniuria, aut vetustate collabantur.

Nullus autem fabricas erigere, seu facere audeat, aut aggredi præsumat, vltra sumptus decem ducatorum, sine expressa Abbatis Generalis licentia. Quod si ædificia ruinam minentur, ac reparatione præsentanea indigeant, pro qua oporteat maiorem pecuniarum summam expendi, id non nisi de Capituli Monasterij consensu Superiores aggrediantur, nec aliter restaurent, & reparent; qui nihilominus de huiusmodi reparatione, quando Capituli Annalis, vel Generalis tempus, & consensus eiusdem expectari non potest, Visitatorem

torem Generalem Quarterij faciant certiorem.

Magni verò momenti fabricæ sine consensu Capituli Annalis, aut Generalis nullo modo fieri permittantur, antequam assensus præstetur eiusdem Capituli; Assensum verò huiusmodi non præstet Abbas Generalis cum Patribus Diffinitorialibus, nisi præcedente consilio Peritorum, confecto typo, aut modello, & habita fideli informatione de modo, & sumptibus opportunis.

## §. XXXIII.

INcœptas fabricas de consensu Capituli, vt præmittitur, & de consilio Peritorum, nisi perfecerint Abbas, siue Prior, aut Vicarius suæ administrationis tempore, teneatur omnino Superior, qui in eius locum suffectus est, per subsequens triennium prosequi pro Monasterij, aut loci facultatibus; idque maximè Visitator Generalis visitationis tempore curabit, vt prædictus Superior Monasterij ab incepto fabricæ opere non desistat, iuxta typum eundem, & formam, qua de consilio Peritorum fuerat eiusdem fabricæ opus inceptum.

## §. XXXIV.

NVllus Prælatus, aut Officialis nostræ Congregationis, cuiuscumque status exîstat, fructus, redditus, seu census anticipata solutione, accipere audeat, eosque nisi suis temporibus maturatos exigere præsumat, neque dictos census, redditus, & prouentus pignorare, obligare, vel hypothecare quouis prætextu. Quòd si quando contrarium necessitas postulauerit, id non nisi de totius Capituli Conuentualis consensu, & Abbatis Generalis licentia fiat, nec aliter, quàm si dictos fructus infra suum administrationis tempus maturari contigerit. Transgressores irremissibiliter priuentur officio ad Abbatis Generalis arbitrium.

## §. XXXV.

MVtuum autem pecuniarum, & bona, siue ad victum, siue ad vestitum necessaria, vel ad credentiam, vt dicitur, ex graui tantum necessitate sumi posse permittimus: cùm scilicet ex redditibus, & bonis Monasteriorum Prælati, Officialesque Monasteriorum nequeunt necessitati prædictæ prouidere, vel quia fructus ad hæc exigi nõ possunt, aut non sine notabili iactura vẽdi, vel distrahi.

Vltra verò valorem decem ducatorũ nullatenus accipiant, etiam vrgente necessitate, nisi de expresso consensu Capituli Conuentualis, & Abbatis Generalis licentia, sub pœna priuationis officiorum, & alijs pœnis arbitrio Abbatis Generalis.

## §. XXXVI.

DE ijs autem, quorum pretium taxandum est, vt sunt quæ sumuntur ab Aromatarijs pro Pharmacis, mandamus, vt res huiusmodi accipiendæ de anno in annum, anno quolibet taxentur, seu æstimentur, & creditoribus de tota summa pretij satisfiat, itaut in fine triennij nihil supersit successori soluendum. Quòd si summa aliqua reperta fuerit à successore soluenda, teneatur statim is eam Abbati Generali, aut Visitatori Quarterij denunciare, & iuxta transgressionem delinquens debitæ subiaceat correctioni; & si vltra decem ducatorum summam in Monasterijs principalibus, vltra quinque verò in paruis, debitum excesserit, priuetur officio.

## De Capitulo quotidiano culparum. Cap. XIX.

## §. I.



VBi morum disciplina contemnitur, ibi Religio periclitatur, & vita Monastica corrumpitur: Ideò præsenti Constitutione statuimus, quòd in singulis Monasterijs, & locis principalioribus, quæ per Abbates reguntur nostræ Congregationis, bis in hebdomada, scilicet quarta, & sexta feria, Capitulum culparum habeatur per Præsidentes dictorum Monasteriorum, & in eorum defectu per Vicarios, nisi fortè festum aliquod duplex incidat in prædictos dies, vel aliud obstet legitimum impedimentum. In minus verò principalibus, scilicet in ijs, quæ per Priores reguntur, saltem semel in hebdomada scilicet quarta, aut sexta feria, per eosdem Priores haberi mandamus.

§. II.

EO ergo die, quo Capitulum prædictum habendum est, horæ Primæ ad orationem ipsiusmet horæ terminetur, relicta scilicet Pretiosa, & quæ sequuntur: qua finita, Monachi tam Professi, quàm Nouitij, tam Clerici, quàm Oblati, ordinatè, & cum silentio ad locum Capituli procedant, nisi fortè ad horam Completorij Superiori videatur ex causa esse differendum; ibique disponantur per ordinem, stantesque se inclinent Præsidenti dum transit: postquam verò sederint, immediatè pro modo salutationis inclinent se consedentibus hinc inde, qui similiter se inclinando salutationi respondeant.

§. III.

TVnc facto signo à Præsidente, surgant simul omnes: Hebdomadarius autem Inuitatorij inclinatus dicat, Iube Domne benedicere, quem Præsidens benedicat, dicens, Dies & actus nostros, &c. Deinde idem Hebdomadarius legat Martyrologium ex more, & responso ab omnibus Deo gratias, surgentibusque omnibus, Hebdomadarius missæ legat versiculos, scilicet Pretiosa in conspectu Domini, cum alijs versiculis, & responsorijs, & cum oratione Dirigere, & sanctificare. Deinde legatur ab eodem Hebdomadario Inuitatorij Capitulum Regulæ cum altero ex Constitutionibus, quod Præsidens legi iusserit, termineturque lectio cum versiculo, Tu autem Domine miserere nobis, & responso ab omnibus, Deo gratias, mox omnes se prosternant: Præsidens autem dicat versiculum, Adiutorium nostrum in nomine Domini, &c. Benedicite, &c. Kyrie eleison, Christe eleison, &c. cum alijs versiculis solitis: Et vltimo dicat Orationem pro Abbate Generali, & Congregatione, Omnipotens sempiterne Deus, qui facis mirabilia magna solus, prætende super famulum tuum Abbatem Generalem nostrum, & super cunctas Congregationes illi commissas, spiritum gratiæ salutaris: & vt in veritate tibi complaceant, perpetuum eis rorem tuæ benedictionis infunde; & aliam, Deus cui omne cor patet, &c. & aliam, Auxilium tuum, &c.

Peractis

## §. IV.

PEractis ijs, Hebdomadarius Inuitatorij culpam dicat, prostratus coram Præsidente, reddatque ei librum Regulæ, & Constitutionum, quibus acceptis, Præsidens quæ lecta sunt exponat lingua vernacula, facta competenti exhortatione conformiter ad ea, quæ lecta sunt.

Deinde commendet orationibus Monachorum tam Benefactores viuos, quàm mortuos, iniungatq. peculiares orationes, & preces pro felici statu sanctæ Romanæ Ecclesiæ, pro Romano Pontifice, & Illustrissimo nostro Protectore.

## §. V.

POst hæc Nouitij, si aderunt, de eorum negligentijs, & culpis spontè coram Præsidente prostrati pœniteant, dicentes, Offendi multum in silentio in locis, & horis prohibitis, & in seruitio Dei fui piger, & negligens: de his, ac de omnibus alijs erroribus meis dico meam culpam. quos Præsidens moneat, prout ipsos monendos in aliquibus fore iudicauerit; & si accusati fuerint, corrigat, & puniat: & statim Nouitij exeant de Capitulo, qui ante Altare maius genuflexi de iniunctis orationibus satisfaciant.

Tum si qui ex alijs, qui Capitulo intersunt, ab aliquo pro emendatione proclamati fuerint de errore commisso, mox ad pedes Præsidentis se prosternant, & de veritate requisiti respondeant: & si se legitimè expurgauerint, absoluantur; culpabiles verò, vel de plano confessi, vel ab alijs proclamati, coram omnibus arguantur, & iuxta commissorum grauitatem virgis cædãtur, aut aliter condemnentur.

## §. VI.

POst hæc prosternant se omnes simul dicentes culpam, & de omnibus negligentijs, & omissionibus culpabiles se cognoscant; & cùm ad signum Præsidentis surrexerint, idem Præsidens de correctione morum, & extirpatione vitiorum, si opus fuerit, tam in communi communiter, quàm particulariter in particulari tractet. Postea singuli, à maioribus incipiendo, coram Præsidente prostrati, de silentio, negligentia diuini officij, & de alijs offensionibus, prout de Nouitijs dictum est, se accusent: Omnibus autem, aut commuter, aut singulariter iniungat Præsidens Psalmos, & Orationes dicẽdas.

Vt

Vt autem ex his humilitatis exercitationibus maiorem, & vberiorem fructum percipiant Monachi, rec. me. Paulus Papa V. in litteris, quæ incipiunt, Romanus Pontifex, in calce præsentium Constitutionum inserendis, ijs Religiosis, qui contrito corde, & pœnitentes proprias culpas, & peccata, ac imperfectiones in Capitulis culparum accusabunt, & spiritualiter communicabunt, & exercitium virtutum facient, tres annos, & totidem quadragenas concessit de Indulgentia: quæ mouere debent Monachos ad se præparandos, & ad huiusmodi exercitia virtuosè, & fructuosè adimplenda.

## §. VII.

DVm in Capitulo Monachi sunt, liceat eis sedere in lectione Martyrologij, Regulæ, & Constitutionum, & in explanatione earum, & dum Nouitij, & alij culpam dicunt; in cæteris verò stent. Non liceat proclamare aliquem vltra duas vices in vno, & eodem Capitulo: poterit tamen tertiò à Præsidente proclamari. Ne quis proclamet aliquem nisi sedens. Alter quoque alterum non defendat, nec excuset, nisi à Regente Capituli requisitus: secus qui præsumserit, pro modo culpæ debitè corrigatur.

## §. VIII.

NVllus verò audeat Capitulum Conuentuale conuocare, aut retinere, etiam si Conuentus, aut maior pars illius consenserit, absque Præsidentis licentia, & voluntate; Instigatores autem, & suggestores, necnon conuocantes illud quomodolibet, interdicti sententiam per tres menses incurrant ipso facto.

Postquam omnes culpam dixerint, & Præsidens iniunxerit iniungenda, Hebdomadarius Inuitatorij commemorationem defunctorum fratrum, & benefactorum dicat. Præsidens verò dicat versiculum, Requiem æternam, &c. & dicto psalmo De profundis, recitet orationem solitam, prout in fine horæ primæ in Breuiario: quibus peractis, exeant omnes de Capitulo cum silentio, & coram Altari satisfaciant de orationibus sibi iniunctis.

## §. IX.

QVotidie etiam conueniant omnes in locum Capituli ante Completorium; & dicto, Iube Domne, ac benedictione data per Præsidentem, recitato Capitulo, Fratres, &c. ante Completorium

torium, sedeant omnes; & vnus, cui id munus iniunctum fuerit, ad eam rem idoneus, legat collationes, vel vitas Patrum, & Sanctorum, aut certè aliquid, quod ædificet audientes, vt præscribit S. P. Benedictus in Regula cap. 42. legantur autem libri, vel lingua vernacula, vel si latini fuerint, vulgari sermone explicentur pro rudibus; à Lectore, vel Superiore post lectionem, quæ tamdiu duret, vt vnusquisque aliquem fructum ex ea capere possit. Ad hanc autem lectionem omnes conueniant, omissis cæteris occupationibus. Lectio tamen sacræ Scripturæ, vel casuum Conscientiæ, aut saltem Cathechismi, diebus, quibus haberi debet, poterit huius loco succedere. Neque hæ lectiones vnquam omittantur, iuxta mandatum Regulæ supra citatum.

## De peccatis, & pœnis. Cap. XX.

### §. I.

MOnachos Religionis nostræ transgressores legum Regulæ, & Constitutionum nostrarum, infrascriptis pœnis decernimus subiacere. Qui fortasse in Simoniam, Sacrilegium, Periurium solemne inciderint, aliaque delicta, & facinora detestabilia, & enormia, seu (quod Deus auertat) capitalia, contra canonica instituta commiserint, Abbas Generalis amoueatur, Officiales autem cæteri ab officijs deponantur, cum adiectione pœnarum etiam, quæ in nostris Constitutionibus transgressoribus infliguntur.

Si quis per longum fortasse tempus, nullo legitimo impedimento districtus, diuinum officium dicere, Missas celebrare, confiteri, & communicare distulerit, & ter monitus non resipuerit, ad quæcumque ipsius Congregationis officia sit inhabilis, pœnisque alijs nihilominus subiaceat in canonibus expressis.

### §. II.

QVicumque nomen Dei, Beatæque Virginis, & Sanctorum blasphemauerint, per mensem prima vice; secunda verò per duos menses, & deinde vltra ad Abbatis arbitrium carcerentur; interimque ieiunijs affligantur. Si quis Monachus solemniter iurauerit,

uerit, nisi coactus per suos Præsidentes, qui ipsum cogendi habent potestatem, aut per Corpus Christi, aut per Sanguinem, & Sanctorum nomina, negando, vel affirmando: si quidem inde damnum non inferatur alicui, per vicem quamlibet in Capitulo recipiat disciplinam, & vno die in pane, & aqua ieiunet. Si verò ex iuramento huiusmodi damnum alicui euenerit, aut falsum iurauerit, ad Abbatis arbitrium, grauiori pœnæ subiaceat.

Si quis peccata sibi in confessione sacramentali detecta reuelauerit, pœnis in sacris Canonibus expressis irremissibiliter subiaceat, & nihilominus per triennium in atrociorem carcerem detrudatur, & vilibus, vt pœnitentiam agat, seruitijs Monasterij destinetur.

Monachus, qui Religionis nostræ, vel alicuius Monasterij nostri secreta aperuerit sæcularibus, vel alterius Congregationis Religiosis, propter quod infamia alicui Monachorum resultet; per duos menses continuos; si verò toti Conuentui, per sex menses; si autem toti Congregationi, per annum pœnam sustineat grauis culpæ.

## §. III.

PRælati, cæterique Officiales Congregationis nostræ, qui delinquentes in grauis culpæ delictis non corrigent, seu corrigere malitiosè different, suspendantur ab officio, & administratione tanquam consentientes delictis, si de suspicione consensus legitimè se purgare non potuerint. Abbas Generalis, qui scienter vltra, vel contra Constitutionum nostrarum dispositionem, quæ hactenus editæ sunt, vel edentur in posterum, in quibus eidem Abbati Generali est limitata, seu de cætero limitabitur potestas, aliquid præsumpserit attentare, & admonitus semel, atque iterum coram saltem sex probatæ fidei, & vitæ Patribus, non se emendauerit; in eo in quo delinquit, nullam immunitatem, seu gratiam per easdem Constitutiones nostras concessam Abbati Generali renuncianti, post suam renunciationem valeat consequi, & aliàs corrigatur pro excessu huiusmodi ad voluntatem succedentis Abbatis Generalis, & totius Capituli Generalis, & huiusmodi attentata nulla sint.

## §. IV.

SI quis cuiscumque sit dignitatis, gradus, & præeminentiæ, aliquod priuilegium subreptitiè, aut obreptitiè contra communem libertatem, & regularia instituta, votorumque professionem impe-

impetrauerit, vel impetrare procurauerit, ipſo facto excommunicationis ſententiam incurrat, & officio, quod obtinet, illicò priuatus exiſtat, & perpetuò ad illud, & alia ſit inhabilis, voceque careat tam actiua, quàm paſsiua.

Qui recurrerint ad fauores quarumcumque perſonarum, tam ſæcularium, quàm Eccleſiaſticarum ad Prælaturas, dignitates, gradus, honores, adminiſtrationes, functiones, & alia officia noſtræ Congregationis, vel etiam pactis, pollicitationibus, alijſque vijs illicitis directè, vel indirectè, palam, vel occultè ad Prælaturas, gradus, honores, dignitates, adminiſtrationes, functiones, & alia officia prædicta obtinenda aſpirauerint, aut etiam ſponte oblatis, & minimè conquiſitis vſi fuerint, illorumque complices, & fautores; nouerint ſe excommunicatos eſſe, atque ad quaſcumque Prælaturas, dignitates, officia, gradus, honores, adminiſtrationes, & munera in noſtra Congregatione obtinenda, perpetuò inhabiles, aliaſq. pœnas, de quibus in Conſtitutione Pauli V. quæ incipit. Quoniam nemo, quæ inferius regiſtrabitur.

## §. V.

QVicumque litteras tam Superiorum ſuorum, quàm aliorum Patrum, ſeu etiam extranearum perſonarum adulterauerint, ſiquidem officiales fuerint, ipſo facto priuentur officijs, & ad illa, & alia in poſterum obtinenda perpetuò reddantur inhabiles: Si verò ſubditi, omnibus actibus legitimis priuentur, & per annum pœna grauiori plectantur. Item quicumque aliorum diſcindere, vel aperire, aut impedire litteras præſumpſerint, maximè verò Superiorum, & Officialium, per tres menſes carceribus mancipentur. Si autem Officiales fuerint, proprijs priuentur officijs, & ad illa, & alia per triennium promoueri nequeant.

Quicumque famoſos libellos contra aliquem compoſuerint, vel publicauerint, perpetuò voce careant actiua, & paſſiua, omnique actu legitimo ſint priuati, & ad quæcumque Congregationis officia ſint inhabiles, & nihilominus per triennium in carcerem detrudantur.

## §. VI.

QVicumque doloſos contractus, aut apochas, ſeu ſcripturas falſas feciſſe, ſeu fieri mandaſſe, vel permiſiſſe comperti fuerint,

rint, aut post officij carentiam, scripturas aliquas, vel declarationes fecerint, aut Monasterium obligauerint sub eo tempore, quo erant in officio, per annum pœnam sustineant grauis culpæ.

Negociatores, & mercibus se applicantes, aut quid vilius emendo, vt carius vendant; siue iumentorum locatione abutentes, siue aliud quid sordidè agentes, quod lucri auiditatem sapiat, bona ipsa Monasterijs applicanda deperdant, & per tres menses in carcere detineantur.

Si quis Alchimiæ operam dare compertus fuerit, tanquam infamis ad quæcumque officia reddatur inhabilis. Et si Officialis fuerit, ipso facto officium amittat, & aliàs ad Abbatis Generalis arbitrium, corrigatur.

Si quis receperit ab vsurario publico, vel dederit aliquid ad vsuram, si dederit, per annum, si receperit per vnum mensem, vel amplius, iuxta delicti mensuram: Prælatus, vel Officialis à suis suspendatur officijs: Subditus verò similiter per mensem, vel amplius pœnam grauioris culpæ sustineat. Eandem etiam pœnam sustineat, qui fideiusserit, vel se obligauerit pro alijs, quàm pro Religionis nostræ Monachis, personis, & rebus. Quòd si pecunia soluta fuerit pro vsura, fideiussione, vel obligatione prædictis, non absoluatur à dicta pœnitentia grauis culpæ, quousque præfixum tempus pœnæ fuerit duplicatum, nisi fortè recuperata sit pecunia iam soluta.

## §. VII.

SI quis Monachus furtum commiserit, si quidem res sacras de sacro abstulerit, per annum; si verò non sacras, nec de sacro, iuxta quantitatem valoris per sex menses, & infra, pœnam sustineat grauis culpæ. Vbi verò valor furti tres auri vncias excesserit, tunc per annum ad Abbatis arbitrium dicta pęnitentia prorogetur.

Adijcientes ad hæc, quòd Monachus, quem pro furto excedente vnum florenum in pecunia, vel in rebus, contigerit carcerari, ab ipso carcere liberari nequeat, absque Abbatis Generalis licentia, & mandato peracta pęnitentia, atque ex tunc omni actu legitimo sit priuatus, & per decennium ad aliquod officium assumi nequeat, nunquam tamen ad Abbatiatum.

Si qui

## §. VIII.

SI qui Monachi in Claustro, Dormitorio, aut Refectorio horis debitis, & in Regula constitutis, silentium perturbauerint, pro vice qualibet in Capitulo recipiant disciplinam. Si verò hoc ex inueterata consuetudine fecerint, per quatuor dies continuos; si reprehensi publicè non se correxerint, pęnam sustineant grauis culpæ. Quicumque venationi operam dare, aut canes, vel aues ad venandum alere præsumpserint, per mensem pęnam sustineant leuioris culpæ.

Si quis Monachus schismata, vel diuisiones, aut nouitatem in aliquod Monasterium nostrum, seu Religionem excitauerit, propter quas posset verisimiliter ipsorum Congregatio dissolui, & corrumpi, excommunicationis sententiam ipso facto incurrat, & per biennium pęnam sustineat grauis culpæ, & ad quælibet Congregationis officia perpetuò sit inhabilis. Qui verò in Abbatem, Visitatorem, vel Prælatum suum conspirauerit, pęnam per annum hanc eandem sustineat, & similiter ad officia perpetuò sit inhabilis: Conspirationem autem dicimus quandocumque aliqui contra Religionis disciplinam, & sacras maiorum sanctiones contra aliquam personam confęderant, vel iunguntur.

Quicumque fecerint seditionem, vel rumorem in Capitulo, siue Monasterij, siue Generali, aut Annali, sint inhabiles ad quæcumque officia, & actiua, & passiua voce pro illa vice priuentur.

## §. IX.

SI quis Monachus apud sæculares Iudices, absque Abbatis licentia, querelam exposuerit contra personam secularem, aut in causa criminali contra aliquem deposuerit, vltra pęnas à sacris Canonibus inflictas per mensem carceribus mancipetur. Si verò crimen aliquod Monachus Monacho apposuerit, vel eum accusauerit de falsò crimine, quod legitimè non poterit comprobare, accusatus quidem nullam, accusans verò illam pęnam sustineat, quæ de iure, vel constitutionibus pro ipso crimine iniungitur. Nullus autem omninò Monachus contra suum Prælatum, vel Superiorem super crimine, vel criminibus quomodolibet audiatur, nisi se prius obligauerit ad pęnam Iudici arbitrariam, iuxta qualitatem delicti,

si defe-

si defecerit in probatione propositorum, vel alicuius ex eis, irremissibiliter subeundam.

Quicumque verò peccatum alterius, quod legitimè probare non potest, alteri quàm Prælato suo reuelauerit, præmissa tamen correctione fraterna, pęna carceris per mensem puniatur, atque etiam grauiori, iuxta delicti, & scandali qualitatem. Si quis Monachus alicui Monacho in eius absentia, vel præsentia exprobrauerit super excessu aliquo, quod commisit, & de quo pęnitentiam egerit, vel super pęnitentia iam per eum acta, per tres dies continuos in Capitulo recipiat disciplinam, & per totidem ieiunet in pane, & aqua; & ad pedes Monachorum comedat.

## §. X.

SI quis Monachus aliquem Monachum, vel Religiosum, aut sæcularem voluntariè occiderit, vsque ad vitæ suæ terminum pęnam sustineat grauioris culpæ, & ab exercitio suorum ordinum, si in sacris fuerit constitutus, perpetuò suspensus remaneat; sin minus ad illos, atque ad omnia Congregationis officia perpetuò sit inhabilis, voceque careat actiua, & passiua in perpetuum, omnique actu legitimo sit priuatus. Quòd si mutilauerit aliquod membrum alicui Monacho, aut sæculari, per tres annos irremissibiliter carceri mancipetur. Si aliquo modo percusserit ad sanguinem vsque, vel grauiter, eandem pęnam per annum ad Abbatis arbitrium luat.

Quicumque gladium, aut fustem, aut aliquid aliud tulerint, vt aliquem percutiant, si sequatur effectus, per mensem, sin minus per dies quindecim in carceribus irremissibiliter includantur: Si verò Officiales fuerint, vltra pœnam prædictam suspendantur ab officio. Si qui verò Officiales cuiuscumque sint gradus, ira, impetu, & suasu Diaboli Monachos, & subditos in legitima ætate constitutos, quocumque colore verberauerint; si non Sacerdotes, & verbera nonc sint leuia, per annum; si verò Sacerdotes, per integrum triennium sui officij careant dignitate, & ad eorum correctionem procedatur secundùm delicti mensuram, & circumstantias, & nihilominus in carcerem ad Abbatis Generalis arbitrium detrudantur. Eandem sustineant pœnam talia procurantes, vel fieri mandantes. Monachus verò alium verberans, per mensem in carcerem tradatur, & vltra, iuxta delicti mensuram, & aggrauantes circumstantias. Si qui (Diabolo suggerente) venena pro inferenda morte, siue offen-

ſiua, aut etiam in Cella, vel alibi detinere abſque Superioris licentia præſumpſerint, per tres menſes pœnam grauioris culpæ ſuſtineant, & pęnam excommunicationis eo ipſo incurrant. Si verò Officiales fuerint per idem tempus ab eorum officijs ſuſpendantur.

## §. XI.

SI quis Monachus, cuiuſcumque ſit ſtatus, conditionis, & gradus, procaciter Abbati, Viſitatori, Priori, vel Superiori ſuo in honeſtis, iuſtis, & licitis reſtiterit, eique noluerit obedire, monituſque trina monitione præcedente, per diem naturalem inobediens perſeuerauerit, per menſem carceribus mancipetur, & in quolibet Capitulo recipiat diſciplinam, & per menſem alterum diebus Dominicis, & feſtiuis ad pedes Patrum manducet; interim etiam quouſque ab Abbate diſpenſatus, & abſolutus fuerit, ab aliorum conſortio, & communione ſeparatus exiſtat.

Quicumque Prælato ſuo procaciter, & arroganter reſponderit, aut irreuerenter, & contumelioſè loquutus fuerit, per annum voce careat, tam actiua, quàm paſſiua, & nihilominus per menſem vnum, & vltra, ad Abbatis, ſeu Prioris arbitrium in carcere recludatur.

Quicumque conuicia, & improperia, ſeu iniurioſa verba dixerint alijs Patribus, in Capitulo recipiant diſciplinam, & ad pedes Patrum manducent. Quicumque alicui perſonæ minati fuerint, in Capitulo recipiant diſciplinam; Qui verò contra Prælatum ſuum prædicta commiſerint, per annum pęnam ſuſtineant grauis culpæ.

## §. XII.

CVm verò aliquando ſuperbiæ, aut arrogantiæ ſpiritu agitati aliqui, ſanctæque obedientiæ meritum contemnentes, præcepto Prælati ſui eum condemnantis temerè contradicunt; vimque verbo, aut factis facientes, iuſtitiæ medelam proijciunt, impediuntque iurium executionem, propter quod non ſine ratione timetur de damno, ſcandalo, vel periculo Monaſterij, & Monachorum; ideò priuentur voce actiua, & paſſiua perpetuò, vel ad tempus, atque etiam carceri mancipentur iuxta delicti, & ſcandali qualitatem.

## §. XIII.

PRohibetur Prælatis, & cuilibet Monacho cuiuſcumque qualitatis exiſtenti ſuſcipere infantes de fonte Baptiſmatis, atque

pueros

pueros in ſacramento Confirmationis. Qui ſi contrauenire præſumpſerint, Superiores, & Officiales per ſex menſes ab ipſorum officijs ſuſpenſos eſſe declaramus; reliqui verò per annum qualibet ſexta feria in pane, & aqua ieiunent, & in Capitulo recipiant diſciplinam.

## §. XIV.

QVicumque Monachus cuiuſcumque dignitatis, ſtatus, & conditionis exiſtens, àd Tribunalia ſęcularia quouis prætextu, & quæſito colore appellare, & ad ea temerè confugere præſumpſerit, ſciat ſe incurrere excommunicationem latæ ſententiæ, aliaſque pęnas contentas in Breui Apoſtolico Clementis VIII. quod incipit, Quoniam, &c. in fine præſentium regiſtrato. Si verò ad alios, quàm ad proprios Superiores recurſum habuerint, ſeu brachium ſæculare inuocauerint, aut propterea externas perſonas, vel amicos, & familiares adierint, per ſex menſes irremiſſibiliter carceribus mancipentur, omnique actu legitimo ipſo facto ad triennium priuati exiſtant; & ſi Officiales fuerint, illico proprijs careant officijs.

## §. XV.

SI quis in incontinentiæ vitium repertus fuerit damnabiliter incurriſſe, per tres menſes continuos pęnam ſuſtineat grauis culpæ, vel vltra, iuxta delicti aggrauantes circumſtantias, & Canonum diſpoſitionem, & pęna eadem tot vicibus infligatur duplicata, quot, delinquentes huiuſmodi probabuntur delicta hæc eadem, vel ipſorum aliquod commiſiſſe. Quod ſi fortè iam dicta facinora ad notitiam ſæcularium peruenerint, vel Monaſterium, aut Religio fuerit exinde per aliàs aggrauantes circumſtantias infamata, pęna prædicta grauioris culpæ, ad Abbatis arbitrium excedatur, & imponatur.

Si quis in peſſimæ incontinentiæ vitio volutatus fuerit, ſi infra legitimam ætatem erit, per annum verberibus, & ieiunijs caſtigetur, & in carcerem detrùdatur. Si autem ſupra legitimam ætatem, perpetuò carceri mancipetur. Et ſi de carcere per Capitulum, ſeu aliàs contigerit liberari, perpetuis temporibus omni actu legitimo ſit priuatus. Si qui Officiales, aut ſubditi mulieres cuiuſcumque conditionis, vel ſtatus in locis noſtris, hortis, domibus, ſeu Terris intra clauſuram Monaſteriorum noſtrorum ſitis admiſerint, ipſo fa-

ĉto à diuinis ſint ſuſpenſi, & ab officio, quod obtinent, priuati ſint, ac ad illud, & alia in poſterum obtinenda perpetuò inhabiles cenſeantur, præter aliàs pęnas in Decretis, & Conſtitutionibus contentas.

Si qui Monachi abſque ſpeciali Superiorum licentia, vel ſoli abſque adiuncto eis ſocio loquantur cum aliqua muliere, aut cum perſonis extraneis etiam conſanguineis, vel affinibus, etiam Religioſis, vel Clericis ſæcularibus, ſeu etiam Monachis noſtris, qui non ſunt de corpore Monaſterij, vt ſunt hoſpites, in Capitulo recipiant diſciplinam.

## §. XVI.

SI quis Proprietarius repertus fuerit, videlicet ſi Officialis in tribus tarenis in pecunia, vel ſex in valore; ſi verò ſubditus fuerit, ab vno paruo denario vſque ad carolenum, tot diebus pęnam ſuſtineat grauis culpæ, in quot denarijs proprietarius inuenitur. Si verò vltra excedens ſumma fuerit, ad Abbatis arbitrium infra tres menſes pęnam ſuſtineat grauis culpæ, omnique actu legitimo ſit priuatus, & proprio careat officio, & per triennium ad officia quæcumque ſit inhabilis, præter pęnas à ſacro Concilio Tridentino iniunctas.

## §. XVII.

SI qui Officiales in adminiſtratione temporalium malè ſe geſſerint, vtputa debita contrahentes, quæ abſque eo, quod Monachorum victus, & veſtitus, & aliorum onerum, ac indigentiarum ſatisfactio, & prouiſio minuatur, tolli non poterunt, ac bona præſertim ſtabilia malè tractando, ſeu non cuſtodiendo deteriorantes, itaut inde minores propterea fructus percipiantur, vt vineas, hortos, domos, arboreta, ſyluas, & ſimilia: ſeu etiam bona mobilia diſſipantes, & nuda, vt dicitur, Monaſteria, nudaſque tenentes Eccleſias, & Altaria, necnon redditus, & prouentus anticipantes, ac Monachos ſibi ſubditos verbis, & factis malè tractantes, cultumque diuinum ex profeſſo minuentes, officio, quod obtinent, priuentur, & alijs de cætero careant.

## §. XVIII.

QVicumquè crimen aliquod commiserint, pro quo in sæculo foret iniungenda pœna mortis, in perpetuum carcerem detrudantur.

Sunt & alia multa delictorum genera, quæ similiter diuersa pęnarum genera exigunt; quorum ratio à Prælatis habenda est, vt illæ pro peccatis pęnæ infligantur, quæ in sacris Canonibus sunt expressæ; ideoque cùm talia occurrunt, peritum consulant, & iuxta legum sancita decernant; Et si in his Constitutionibus in aliquò non fuerit apposita pęna; ad arbitrium Superioris puniatur.

# De pœnitentijs, & remissionibus. Cap. XXI.

## §. I.

NE nostræ Religionis Prælati, ad quos de iure spectat subditos corrigere, excedant modum iustitiæ in corrigendo, nec relinquant peccata impunita, eisdem omnibus, & singulis sub obtestatione diuini Iudicij strictissimè præcipiendo mandamus, vt peccantes Monachos subditos pœna grauis culpæ secundùm criminum qualitatem, & moderamen præsentium Constitutionum iustè puniant, & corrigant, pro illis tamen criminibus, quæ aut sunt manifesta, aut notoria, ita vt cælari aliqua tergiuersatione non possint, aut ipsi eadem confessi sint in iudicio, aut quæ legitimè sint probata. Si autem culpa fuerit leuis, iustè similiter puniant, & corrigant; etiamsi delictum plenè probatum non fuerit. In criminibus autem, quæ non per accusationem, nec specialem inquisitionem, seu notorietatem, sed per generalem inquisitionem probata sunt, & non sunt talia; quæ impediant executionem ordinis, aut retentionem officij, etiam post peractam pœnitentiam non pœna ordinaria, sed extraordinaria; secundùm merita personarum, & qualitatem excessuum; procedendum erit.

Peccata, & crimina, quæ detecta non fuerint, quorum cognitor

 est so-

est solus Deus, non possunt, nec debent de iure puniri, cùm Ecclesia non iudicet de occultis; nam secundùm Canonicas sanctiones non habent peccata latentia vindictam, & probatione cessante, vindictæ ratio quiescit.

## §. II.

IPsæ grauioris culpæ pœnitentiæ non dentur, nec dari, vel infligi possint, nisi in pleno Capitulo, prius tamen crimine, & testibus publicatis, dataque Monacho corrigendo copia respondendi; vt cæteri, qui viderint, metu pœnæ non peccent, & in seipsis comprimere discant, quæ vident, in alijs plecti: maximè verò in grauioris culpæ correctione, Capitulum omnino conuocari decernimus.

## §. III.

VIsitatores, Abbates, & cæteri Prælati pęnitentias grauioris, seu leuioris culpæ in totò, vel in parte remittere nequeant, sed secundùm has Constitutiones ipsos decet procedere, & nemo in actibus, siue iudicijs, suo libito, sed harum Constitutionum, & sacrorum Canonum auctoritate ducatur. Abbas tamen Generalis licèt non possit vltra limitatos terminos in corrigendo procedere, vbi eius arbitrio pęna remissa non est, potest tamen infra eosdem, non tamen in totum, easdem pęnitentias secundùm quod viderit contritiones, & merita pęnitentium exposcere, de sua potestate diminuere.

## §. IV.

VBi autem arbitrio Superiorum pęnæ delinquentibus iniunguntur, ex horum Statutorum dispositione nequeant inferiores, vel pares Officiales in pęnis illis dispensare, reosquè aliqua gratia, vel venia donare, cùm par in parem, & inferior in superiorem imperium non habeat. Ideò eorundem Superiorum arbitrio seruetur earum moderatio, qui eas inflixerunt, vel eorum qui habent in Congregatione superiorem potestatem. Criminosi verò, qui delicta grauia commiserunt, item scandalosi, & incorrigibiles, gratiæ cuiuscumque expertes sint, sed pęnis afficiantur, quæ secundùm criminum qualitatem in his Constitutionibus specificantur, quę nec per Abbatem Generalem, nec per Capitulum minui possint.

In il-

In illis casibus, vbi tempus pęnitentiæ limitatum, reique absolutio Abbati Generali reseruata est, Prælatus Monasterij, siue loci in quo pęnitens fuerit, absque Abbatis Generalis licentia, vel mandato, iuxta ordinationem in his Constitutionibus traditam, reum non valeat absoluere, nec ab ipsa pęnitentia liberare. Debet tamen Abbas Generalis, cùm condemnat, Prælato committere, vt peracta pęnitentia, reum liberet, & ad ipsum pro absolutione transmittat.

In infligendis, & exequendis pęnis, præcipuè arbitrarijs, Superiores modum non excedant: ideòque adhibito sapientum consilio, pęnam grauem non infligant, nisi pro graui crimine, misericordiamque præferant iudicio.

§. V.

NVlli Officiales, prænterquam Abbas Generalis, necnon Generales Visitatores visitationis tempore, ac Vicarius Generalis, & alij à latere Commissarij, dummodò specialem in hoc facultatem in suis commissionibus expressam in scriptis habuerint, & Abbates Conuentuales, excommunicationis sententiam in subditos valeant quocumque imminente necessitatis articulo promulgare. Si quis autem contrarium fecerit, vel attentauerit, ipso facto talis sententia sit irrita, & inanis: Et Officialis talem sententiam proferens ad Abbatis Generalis arbitrium puniatur.

In ferenda autem sententia excommunicationis Iudex potestatem habens seruet formam sacrorum Canonum, vt in scriptis illam proferat, & causam excommunicationis expresè describat. Contra facientes verò ab ingressu Ecclesiæ, & officiorum administratione per mensem se nouerint suspensos, infra quem si fortè se diuinis ingesserint, eo ipso irregularitatem incurrant iuxta Canonicas sanctiones.

Si quis autem (suadente Diabolo) latam sententiam excommunicationis paruipendens in ea perstiterit, absolutionísque beneficium quamcitissimè poterit, ab eo, qui potestatem habet, non impetrauerit, vel petierit, atque omni, qua decet, sollicitudine impetrare non procurauerit, carceretur, dònec resipiscat: Si verò per annum in ea perstiterit, deferatur ad sanctissimum Inquisitionis officium, vt de hæresi suspectus.

## §. VI.

ILli, qui carceribus sunt ad tempus destinati, ter in hebdomada ieiunent, & semel disciplinam in Capitulo recipiant, prout Iudex disposuerit.

Item ij, qui carceribus traditi sunt, vltra pęnam corporis afflictiuam, sequestrationemque ipsorum, alijs similiter connexis pęnis subiaceant. Itaque cùm primùm per sententiam carcerantur, omnibus, eo ipso actibus legitimis sint priuati.

Priuati verò prædictis actibus, siue per Constitutionum dispositionem, seu per carcerem, in electionem Abbatis Generalis, cæterorumque Officialium in Generali, & Annali Capitulo non habeant votum, nec ad Capitulum Generale, vel Annale accedere possint, nec sæcularium confessiones audire, aut legitimæ personæ actus, & actiones exercere. Qui autem liberantur à carcere, non propterea ad actus prædictos restituantur, sed ita priuati remaneant, quousque per Generale Capitulum fuerint dispensati.

Quicumque aliquem carceratum de carcere eduxerint, non habentes facultatem illum excarcerandi, seu ad fugam arripiendam ei consilium, auxilium, vel fauorem dederint, pęnis illis afficiantur, & subiaceant, quibus talis carceratus condemnatus, vel condemnandus extiterat.

## §. VII.

PRo grauioris culpæ noxa Monachum culpabilem ad eiusdem culpæ pęnam iustè per illum, qui poterit, condemnatum, his constituimus subiacere. Primo, videlicet, recipiat in Capitulo disciplinam ad Miserere mei Deus, & demum ducatur ad carcerem, ac ponatur, si demeritorum id exegerit ratio, in compedibus ferreis, vel ligneis, & ibi sedeat vsque ad tempus deputatum, alijsque quæ circa prædicta mandantur in Regula, in suo robore permansuris: Cùm autem pęnas dederit, vel veniam impetrauerit, & de carcere eductus fuerit, veniat ad Capitulum, & coram Præsidente humi prostratus suam culpam dicat; iussusque surgere, iterum coram singulis prostratus Patribus, ipsos similiter pro se oratores imploret. Deinde coram Præsidente omnem emendationem in futurum promittat, sicque iussus sedeat in illo loco, quem meretur.

Leuiores

## §. XVIII.

LEuiores autem, quas recipere disciplinam, sedere in terra, amittere vinum, vel vnum ferculum per vnum diem tantum, & similia vocamus, tam Abbas Generalis, quàm Visitatores, & cæteri Prælati, ac Præsidentes, extra Capitulum, cùm viderint subditorum culpas expetere, iniungere posſint. Alias autem forsan à prædictis maiores, etiam si leuiores existant, Præsidentes iniungere non posſint extra Capitulum. Abbas autem Generalis poterit vbi, & quando voluerit. Rei ergo leuioris culpæ secundùm Regulam, & harum Constitutionum tenorem castigentur, & ad præfatas leuiores pęnas condemnentur, à quibus leuioris culpæ pęnis non detur appellatio, sed executioni mandentur.

## §. IX.

DEmum disciplinam, qua Monachi pro pęnitentijs corriguntur, in maiore Quadragesima, & vigilia Natiuitatis Domini, ac omni sexta feria aliorum temporum, præterquam infra octauas festorum, & in festis quibuscumque duodecim Lectionum, ac inter Pascha, & Pascha, omnes, & singuli Monachi Religionis nostræ recipiant ab illo, qui præest, postquam compleuerint Matutinum; & illi, qui recipiunt dicant confessionem breuem, & dantes similiter breuiter absoluant consueta absolutione. Qui verò pro manifesta causa non poterunt recipere, dicant quinquies Pater noster pro qualibet disciplina. Quod si fortè distulerint, tunc in Capitulo eam recipere teneantur.

Disciplina verò ipsa detur cum virgulis subtilibus pluribus, hoc est duodecim, vel tredecim simul compactis.

In recipiendo quoque disciplinam in quotidianis Capitulis, vel dando, non requiratur magna culparum probatio, cùm pro causis leuibus datur. Productis autem in medium causis etiam non confessis, nec plene probatis, Præsidentes Capituli iniungant disciplinam, & per se, vel alios dent.

Flagella verò cum sanguine non sint, & à Sacerdotibus tantum ætate prouectioribus impingantur, qui nihilominus in his modum teneant. Caueant autem tam mandantes, quàm dantes à manuum iniectione in aliquem, nec ipsi odio, sed amore tantummodo impulsi errantes corrigant.

Præua-

## §. X.

PRæuaricatorem autem harum Constitutionum ad pœnam animæ nolumus obligari, sed pœnis corporalibus subijci, & affligi, præterquam in sententijs ad pœnam animæ obligantibus in his Constitutionibus expressis, atque in concernentibus essentialia Regulæ.



# CONSTITVTIONES MONACHORVM Ordinis S. Benedicti CONGREGATIONIS COELESTINORVM.

## *Tractatus Secundus.*

## De statu, & vnione Monasteriorum, & Prælatis ipsorum. Cap. I.



OTA nostra Congregatio in tria genera Monasteriorum distributa est; videlicet in ea, quæ reguntur per Abbates; in ea, quæ per Priores; & in ea, quæ prædictis vnita sunt, vti habetur ex Constitutione fel. rec. Pauli Papæ Quinti, quæ incipit, Ad sacram Beati Petri Sedem, edita die xxix. Ianuarij M. DC. XVI. in qua statuit, & ordinauit, in hæc verba.

### §. I.

*OMnia prædicta Congregationis Monasteria, quorum redditus, & prouentus ad congruam duodecim Monachorum, computatis tam Professis, quàm Oblatis, & famulis, ex quibus saltem sex Sacerdotes esse debeant, sustentationem, ab vno ex prædictis Monachis, spectatæ tamen virtutis, & disciplinæ, sub titulo Abbatis: alia verò Monasteria, ex quorum redditibus*

ditibus sex dumtaxat, computatis omnibus, vt supra, congruè ali, & manuteneri possunt, per Priores canonicè eligendos, iuxta dictæ Congregationis Instituta gubernentur: Excepto tamen Monasterio sancti Spiritus de Maiella, quod primum omnium Monasteriorum dictæ Congregationis fuisse asseritur: & idcirco ab Abbate gubernari posse volumus, etiam si prædictum Monachorum numerum non habeat, dummodo non minus quàm decem Monachi, vt supra, in eo alantur. Priores autem Abbatibus decedentibus Monasterijs maioribus per gradum, prout eorum virtutum merita, & administrationis ratio postulare videbuntur, canonicè similiter, vt præfertur, præficiantur.

§. II.

OMnesque Abbates, & Priores supradicti gaudeant omnibus priuilegijs, immunitatibus, exemptionibus, facultatibus, & præeminentijs, quibus gaudent alij Abbates, & Priores eiusdem Congregationis, quocumque iure, sine tamen præiudicio iurium Abbati Generali, & aliorum qui Abbatis Generalis munere functi fuerunt, eis, iuxta dictæ Congregationis statuta competentium; & ita quod propter præmissa Monasteriorum status in aliquo non alteretur.

§. III.

ALia verò Monasteria, seu domus, & membra eiusdem Congregationis prædictis Monasterijs maioribus vnita, & annexa sint, & esse censeantur, iuxta distributionem in proximè futuro Capitulo Diffinitoriali faciendam. Et in ipsis minoribus Monasterijs, seu domibus, ac membris sic vnitis, nulla in posterum constituatur familia; sed in illo, seu illa vnus dumtaxat Monachus Sacerdos quadraginta annorum maior, ac probatæ vitæ, cum vno Conuerso, seu Oblato collocetur, qui sint, & esse censeantur ex familia Monasterij, cui domus, seu membrum

illud

*illud vnitum, & annexum fuerit, ac in ea Ecclesia celebrent, & bonorum, & redditũum curam respectiuè habeant.*

## §. IV.

*SI verò forte contigerit, vt aliquod, seu aliqua ex minoribus Monasterijs prædictis, vel domibus, ad formam Monasterij maioris redigantur, competenterque dotentur, itaut duodecim in eo Monachi, vel saltem sex ali possint, vt præmittitur, tunc cum Capituli Generalis consensu, & Protectoris licentia restituantur sub Abbatis, vel Prioris obedientia gubernanda.*

Hucusque, & his verbis, & in dictam formam de prædictis statuitur, & ordinatur in prædicta fel. rec. Pauli Papæ Quinti Constitutione.

## §. V.

SI quando autẽ contigerit noua Monasteria acquiri, aut fundari, quæ ob ipsorum cõmoditatem, & facultates in principalia deputari possint, illa in principalia erigãtur, & inter infrascripta principalia connumerentur. Sed tamen sine Capituli Generalis, vel Diffinitorialis consensu nemini Congregationis nostræ Officialium, etiam si Abbas Generalis fuerit, noua Monasteria erigere liceat. Ipsum autẽ Generale, vel Diffinitoriale Capitulum noua Monasteria fundandi, vel recipiendi consensum dare, aut concedere non possit, nisi Monasteria de nouo recipienda, aut fundanda vniri possint cũ eorum redditibus alijs Monasterijs maioribus, vel ipsa præfixam, & expressam Monachorum Congregationem proprijs redditibus alere, & retinere valeant, aut si in itinere fuerint, aut hospitia, aut curata.

Sed si fortè bello, aut aliquo alio euentu principalia, & maiora nunc Monasteria nominanda destitui, ac sine reparationis spe relinqui oporteret, tunc principalia prædicta vicinioribus principalibus vniantur, & applicentur, vbi reparari non possint, nec expediet.

## §. VI.

ISta ergo sunt Monasteria, quæ regi debent per Abbates, & Priores, & quibus vnita fuerunt parua Monasteria ex decreto Capituli Diffinitorialis, iuxta Constitutionem fel. rec. Pauli Papæ V.

Mona-

## Monasteria, quæ regi debent per Abbates, & Vniones ipsis factæ.

### In primo Quarterio.

ABbatia sancti Spiritus de Murrone prope Sulmonem, quæ nunc omnium nostrorum Monasteriorum est caput, cui vnitæ sunt Ecclesiæ, & Monasteria sancti Stephani de Vallebona, sancti Onuphrij, & sanctæ Crucis liberatæ, cum alijs Ecclesijs in Territorio Pratularum, sanctæ Iustæ de Vrsa, sancti Iacobi in Castulano de Sulmone, & sanctæ Luciæ de Sulmone, sanctorum Cosmæ, & Damiani in Monte Cerrani, sancti Nicolai in Padulibus.

Abbatia sancti Ioannis de Plano, iterum erecta est, & restituta in titulum pro R. Priore Abbatiæ sancti Spiritus de Murrone pro tempore existente cum præeminentijs, & prærogatiuis cæterorum Abbatum, priuilegio speciali fel. rec. Pauli Papæ V.

Monasterium sanctæ Mariæ de Collemadio prope Aquilam, cui vnitæ sunt Ecclesiæ sanctæ Mariæ de Gratia, sancti Laurentij de Rodio, sancti Cesidij de Caporciano, sanctæ Mariæ de Centorillis, sancti Pij, sancti Benedicti in Perillis, sancti Matthæi, sanctæ Mariæ de Attoio de Populo, cum alijs beneficijs, locis, & membris.

Monasterium sancti Spiritus de Magella, cui vnita sunt Monasteria sancti Thomæ de Caramanico, & sancti Georgij de Rocca Mauritij, cum alijs, &c.

Monasterium sancti Eusebij de Vrbe, cui vnitæ sunt Ecclesiæ, & Monasteria sancti Petri de Supino, sancti Antonij de Ferentino, & sanctissimæ Annunciatæ de Cascia, sancti Leonardi de Scurcola, cum alijs, &c.

Monasterium, & Præpositura sanctæ Mariæ in Moyulamo de Coropoli, Rectoria sanctæ Agnetis intra Coropolum, cui vnitum est Monasterium, & Ecclesia sancti Stephani de Adria, & alia.

Monasterium sanctæ Mariæ Ciuitellæ Ciuitatis Theatinæ, cui vnita sunt Monasteria, & Ecclesiæ sancti Spiritus de Buclamo, sanctæ Crucis de Rocca Montis Plani, sancti Petri de Guardia greli, cum alijs, &c.

Monasterium sancti Angeli de Celano, cui vnita sunt Monasteria, & Ecclesiæ S. Marci de Fuco, & S. Petri de Sora, cum alijs.

Mona-

Monasterium sancti Onuphrij de Camplo, cui vnita sunt Monasteria, & Ecclesiæ sancti Iacobi de Montorio, sanctæ Mariæ Splendoris de Iulia noua, Ecclesia sancti Benedicti de Camplo, S. Honuphrij de Cesumano, cum alijs, &c.

Monasterium S. Benedicti de Nursia, cui vnitæ sunt Ecclesiæ sanctæ Scholasticæ prope Nursiam, & S. Petri de Ancaiano.

## In secundo Quarterio.

MOnasterium S. Petri ad Magellam, & S. Catharinæ de Neapoli, cui vnitæ sunt Ecclesiæ S. Mariæ ad Niues Redemptionis captiuorum, S. Catharinæ de Cauiano, cum alijs, &c.

Monasterium S. Michaelis in Plagis de Neapoli, cui vnita, & annexa est Ecclesia sanctissimæ Ascensionis in Plagis.

Monasterium S. Mariæ de Capua, cum Ecclesiæ beneficijs, &c.

Monasterium S. Catharinæ de Terranoua, cui vnitæ sunt Ecclesiæ S. Veneris, S. Mariæ Castellarij iuxta flumen, S. Victoris Lucrensis, S. Leonardi de Siderno, S. Petri de Mammula, cum alijs beneficijs, &c.

Monasteriorum S. Georgij de Nouo, cui vnitæ sunt Ecclesiæ sanctæ Mariæ in Monte, S. Nicolai de Veterano, S. Petri de Massa, S. Blasij Casalis Carnutorum, S. Saluatoris, S. Angeli, & S. Blasij in Oppido noui, cum alijs beneficijs, &c.

Monasterium S. Petri de Auersa, cui vnita est Ecclesia S. Bartholomæi prope portam Ciuitatis Auersæ.

Monasterium S. Mariæ Annunciatæ de Iesualdo, cum quibusdam membris, &c.

Monasterium S. Mariæ de Casaluico, cui vnita est Ecclesia S. Zenobij in Bosco, cum quibusdam beneficijs.

Monasterium S. Iacobi de Salerno, cui vnita sunt Monasteria, & Ecclesiæ sanctæ Mariæ Annunciatæ de Serris, S. Petri de Ebulo, & alia beneficia, &c.

## In tertio Quarterio:

MOnasterium S. Bartholomæi de Luceria, cui vnita sunt Monasteria, & Ecclesiæ S. Petri de Aritia, S. Mariæ de Libera de Campobasso, cum alijs beneficijs, &c.

Mona-

Monasterium sanctissimæ Trinitatis de sancto Seuero, cum quibusdam beneficijs, membris, &c.

Monasterium S. Benedicti de monte Gargano, cui vnita sunt Monasteria, & Ecclesiæ sanctorum Petri & Marci Vestis, & sancti Petri de Manfredonia, & alia membra, &c.

Monasterium sanctissimæ Trinitatis de Barulo, cui vnita sunt Monasteria, & Ecclesiæ sanctissimæ Trinitatis de Melphicto, & sanctæ Mariæ Gratiarum Ciuitatis Tranensis, & Ecclesia S. Eligij de Barulo, cum quibusdam beneficijs, membris, &c.

Monasterium S. Ioannis Baptistæ de Vria, cui vnita sunt Monasteria, & Ecclesiæ S. Mariæ de Partu de Monopoli, & alia beneficia, &c.

Monasterium S. Crucis de Litio, cui vnitæ sunt Ecclesiæ S. Luciæ in feudo Castri Cauallini, cum alijs, &c.

## *In quarto Quarterio.*

MOnasterium S. Ioannis Baptistæ de Bononia, cui vnitæ sunt Ecclesiæ Spiritus sancti, & S. Leonardi ad carceres in Prætorio, & S. Nicolai de Veduro.

Monasterium S. Stephani de Bononia, cui vnita est Ecclesia sancti Bartholomæi de Musiano, & alia beneficia, & membra, cum suis iuribus.

Monasterium S. Michaelis Vicedominorum, & S. Petri de Murrone de Florentia, cui vnita est Ecclesia S. Michaelis de Formicis Volateranensis dioc.

Monasterium S. Mariæ, & Trinitatis de Fauentia, cui, &c.

Monasterium S. Hieronymi de Cesena, cui vnitum est Monasterium, & Ecclesia S. Petri de Saltaria.

Monasterium S. Christiphori de Mantia, cui vnitum est Monasterium, & Ecclesia S. Mariæ de Pilastro prope Loreum, & S. Hieronymi de Sachetta absorpta, &c. & S. Mariæ de Sarca extra Tridentum.

Monasterium S. Nicolai de Bergamo.

Monasterium S. Petri Cœlestini de Mediolano.

Monasterium S. Mariæ Assumptæ de Mazenta, cui vnita est Ecclesia S. Mariæ septem dolorum ad Pontem Mazentæ, &c. & Monasterium S. Mariæ de Capsinis.

Mona-

# Monasteria, quæ debent regi per Priores, & vniones aliorum cum ipsis.

## In primo Quarterio.

MOnasterium sancti Spiritus de Ortona.

Monasterium S. Saluatoris Ciuitatis Pennarum.

Monasterium sancti Spiritus de Anxiano.

Monasterium S. Mariæ de Anglono, cui vnitum est Monasterium, & Ecclesia S. Mariæ de Triuento, & Abbatia S. Crucis de Verrino in Castro Caprecottæ, & Rectoria S. Saluatoris de Monte Formoso.

Monasterium S. Mariæ de Lama, cui vnita sunt Monasteria, & Ecclesiæ S. Petri de Archis, S. Ioannis Baptistæ de Gipso sancti Spiritus de Atissa, & S. Liberatæ de Palena.

## In secundo Quarterio.

MOnasterium S. Petri Cœlestini de Isernia, cui vnita sunt Monasteria sancti Spiritus de Isernia, & Ecclesiæ sanctissimæ Annunciatæ, S. Angeli Rupis Caninæ, S. Petri de Venafro, S. Martini de Boiano, cum alijs, &c.

Monasterium S. Mariæ de Alifio.

Monasterium S. Mariæ Annunciatæ de Diano, cui vnitæ sunt Ecclesiæ S. Rocchi iuxta portam, & S. Antonij iuxta sanctum Angelum.

Monasterium S. Iacobi de Marsico.

Monasterium S. Catharinæ de Nicotera.

Monasterium S. Mariæ Annunciatæ de Turri, cui vnita est Ecclesia S. Viti de Vico, cum alijs, &c.

Monasterium S. Mariæ Annunciatæ de Murcone, cui, &c.

Monasterium sanctæ Mariæ de Vetulano, cui vnitæ sunt Ecclesiæ sancti Spiritus, sanctæ Mariæ Magdalenæ, ac alia beneficia, & membra, &c. sancti Leonardi, & sanctæ Mariæ de Flumine Terræ Murconis.

Monasterium S. Catharinæ de Beneuento.

Monasterium S. Catharinæ de Theano.

## *In tertio Quarterio.*

MOnaſterium S. Mariæ Annunciatæ de Collenifio, cui vnita ſunt Monaſteria, & Eccleſiæ S. Petri de Limoſano, S. Petri de Petrella, S. Roberti de Murrone, S. Petri Cœleſtini in Montorio, S. Angeli de Termolis, ſancti Spiritus de Vaſto, cum alijs, &c.

Monaſterium S. Mariæ in Bethleem, & S. Bartholomæi de Meſſapia extra Oppidum, cui vnita ſunt Monaſteria, & Eccleſiæ S. Petri de Vgento, S. Angeli de Alexano, & S. Archangeli de Brunduſio, S. Bartholomæi intra Oppidum, cum alijs, &c.

Monaſterium S. Viti de Bario, cui, &c.

Monaſterium S. Mariæ Anuunciatæ de Tarento, cui, &c.

## *In quarto Quarterio.*

MOnaſterium S. Nicolai de Arimino, cui vnitæ ſunt Monaſteria, & Eccleſiæ S. Antonij, & S. Petri Cœleſtini extra S. Ioannem de Marignano, & S. Mariæ de Petroſa de Monteflorum.

Monaſterium S. Petri Cœleſtini in Vrbino, cui vnita ſunt Monaſteria, & Eccleſiæ S. Blaſij intus, & S. Mariæ extra Eugubium, & S. Antonij extra Forum Sempronij, cum alijs Eccleſijs iuribus beneficijs, &c.

Monaſterium S. Deſiderij de Brixia.

Monaſterium ſanctæ Mariæ Annunciatæ de Como.

Prædictæ verò vniones Monaſteriorum ita cenſeantur, vt Monachi, & Officiales in vnitis exiſtentes ſubditi ſint Abbatibus, vel Prioribus principalium Monaſteriorum quibus ſunt, quoad correctionem. Quod ſi quæ ex vnitis obnoxia, & obligata ſint ſoluere onera, vel taxas, vel impoſitiones alijs Monaſterijs, non ſint exempta à conſueta ſolutione, ſed vt prius ſoluere teneantur.

Prædictæ verò vniones Monaſteriorum factæ fuerunt, ſaluis ſemper oneribus, & ſubſidijs conſuetis, & ſolitis ſolui quibuſdam Monaſterijs ab aliquibus ex paucis vnitis, quæ ſicut prius ſoluere teneantur.

Mona-

# Monasteria principalia in Prouincia Galliarum, & partium vnitarum.

Monasterium S. Mariæ de Amberto, cum quibusdam membris, beneficijs, & grangijs, &c.

Monasterium S. Petri de Castro, cum quibusdam membris, beneficijs, &c.

Monasterium S. Mariæ de Parisijs, cum quibusdam membris, beneficijs, &c.

Monasterium S. Mariæ de Ternis, cum quibusdam membris, beneficijs, &c.

Monasterium S. Martialis de Gentilino, cum quibusdam membris, beneficijs, & grangijs.

Monasterium S. Mariæ de Senone, cum quibusdam membris, beneficijs, & grangijs.

Monasterium sanctissimæ Trinitatis de Medunto, cum quibusdam membris, beneficijs, & grangijs.

Monasterium S. Petri de Auenione, cum quibusdam membris, beneficijs, & grangijs.

Monasterium S. Antonij de Ambiano, cum quibusdam membris, beneficijs, & grangijs.

Monasterium S. Mariæ de Messis, cum quibusdam membris, beneficijs, & grangijs.

Monasterium sanctissimæ Trinitatis de Suessione, cum quibusdam membris, beneficijs, & grangijs.

Monasterium S. Crucis de Essemonte, cum quibusdam membris, beneficijs, & grangijs.

Monasterium sanctissimæ Trinitatis de Marcoziaco, cum quibusdam membris, beneficijs, & grangijs.

Monasterium sanctissimæ Trinitatis de Vxiaco, cum quibusdam membris, beneficijs, & grangijs.

Monasterium S. Mariæ de Lugduno, cum quibusdam membris, beneficijs, & grangijs.

Monasterium S. Mariæ de Rothomago, cum quibusdam membris, beneficijs, & grangijs.

Monasterium S. Catharinæ de Villa Saletti, cum quibusdam membusdam membris, beneficijs, & grangijs.

Monasterium sanctæ Mariæ Effrem apud Louanium, cum quibusdam membris.

Monasterium Beatæ Mariæ prope Castrum Eclimontis, cum quibusdam membris.

## De regimine vniuersali Congregationis. Cap. II.

### §. I.



Diuturna experientia compertum est, res malè gubernari sine Principe,& multitudinem absque Duce, qui veluti corpori caput, illi præsit. Idcirco inter omnes ipsius Cógregationis Monachos vnus sit, qui tanquam caput, & Pater præsit omnibus Monasterijs, & locis ipsius Congregationis, eiusq. personis in ea regularem vitam ducentibus, & iuxta traditam sibi in Regula, & præsentibus Constitutionibus facultatem, & potestatem moderetur, & regat.

### §. II.

IS autem sit Abbas S. Spiritus prope Sulmonem, cum ipsa Abbatia S. Spiritus sit caput omnium Monasteriorum, & locorum ipsius Congregationis omniaque loca, & Monasteria ipsius sint membra, eique tanquam membra subdantur ex antiquo, & penè primæuo nostrorum Patrum statuto, & S.Patris nostri Petri Cœlestini olim Papæ V. Constitutione. Quod si mutatione temporum facti mutationem requirente, aliquod aliud Monasterium, iuxta concessa eidem Congregationi priuilegia, Caput aliorum Monasteriorum, & locorum deputatum, & ordinatum fuerit, Rector illius, eo quo vocabitur nomine super omnia eiusdem Congregationis Monasteria, eorumque personas ordinariam iurisdictionem, & potestatem exerceat, cunctisque locis vt Pater, & Caput iure præsideat, sicuti nunc Abbas prædictæ Abbatiæ S. Spiritus.

### §. III.

SIcut nullus sibi Pontificatum assumere debet, nisi vocatus tanquam Aaron; ita ad regendam Abbatiam prædictam, & Con-

gregationem nullus assumatur, nisi vocatus, & electus ab illis, qui eiusdem Congregationis principalem aliquam tum Monasteriorum, tum verò negociorum curam habent, vt qui ministerio regiminis circa spiritualia, & temporalia in particularibus assistunt; circa generalia etiam pro conseruatione particularium inuigilent in electione Pastoris, vt propterea paterno, & filiali teneantur inuicem charitatis vinculo, vocemque Pastoris oues cognoscant, & sequantur, dirigatque eos Pastor in viam pacis, & virtutis.

## §. IV.

NE autem solus ipse Abbas Generalis, vel inconsultus prouideat, vel superbiat, addantur, & eligantur pro vniuersali regimine aliqui, qui pro pacifico, & tranquillo Congregationis statu, ac defensione, & obseruantia Regulæ, atque in præcipuarum causarum tractatu, ac terminatione cum eo inuigilent, & consultò in omnibus, & per omnia prouideant.

## §. V.

ABbas Generalis cæteriq. Officiales omnes propriorum officiorum renunciationem,ac depositionẽ spontè faciant in Capitulo Generali,cui Capitulo,siue Diffinitorio eosdem,aut alios subrogandi,& eligẽdi Abbatem Generalẽ,Prælatos,& Officiales,etiam si primi non renunciauerint,facultas,& potestas tributa sit,& cõcessa.

## §. VI.

IDeoque pro executione præmissorum, & renunciationibus publicè, vt præmittitur, faciendis, & pro ipsius Congregationis Præsidentibus, & Prælatis, Visitatoribus, & Officialibus, iuxta sanctæ memoriæ Cœlestini olim Papæ V. Patris nostri Constitutionem, & nostri Ordinis Instituta creandis, & eligendis, vt ritè, rectèque fiant omnia, & canonicè procedatur in omnibus, cùm ista sint præcipua Congregationis negocia, vniuersam sæpius congregari multitudinem, vt in subsequentibus Capitulis ordinabitur; simul, & capitulariter congregari, & generale Capitulum celebrari decernimus, & mandamus, in ipsa scilicet Abbatia sancti Spiritus, dum ipsa fuerit Caput aliorum Monasteriorum, vel etiam alibi in alio Monasterio, quod forsan temporum successione, ipsius Congregationis Caput instituetur.

# De tempore Capituli Generalis. Cap. III.

## §. I.



Vm verò Generale Capitulum secundùm antiquam consuetudinem Monachis vagandi occasionem, Monasterijs impensam, atque incommoda plurima, Prælatis absentibus, prout passim docuit experientia, attulerit. Nos præmissis prouidere cupientes hac in perpetuum valitura Constitutione decernimus, & mandamus, quod dictum Generale Capitulum in nostra Congregatione de triennio in triennium semel celebretur in fine ipsius triennij.

## §. II.

TEmpus autem idoneum, & minùs damnosum tam Monasterijs, vnde discedunt prædicti nostræ Congregationis Prælati, quàm loco, vbi Capitulum celebrari contingit, statuimus esse inter tertiam, & quartam Dominicam post festum Resurrectionis Domini, itaut initium, & prima dies Capituli Generalis sit feria quinta ante Dominicam quartam post idem festum Resurrectionis, quo tempore dictum Capitulum Generale perpetuis futuris temporibus de triennio in triennium celebrari districtè mandamus, & pro intimato haberi declaramus, locum autem, in quo omnes, qui votum habent actiuum conuenire, & Capitulariter congregari debent, esse declaramus Monasterium principale sancti Spiritus de Sulmone, quod caput est aliorum Monasteriorum nostræ Congregationis.

## §. III.

QVod si infra triennij tempus Religio nostra Abbate Generali per obitum, siue alio casu vacauerit, volumus nihilominus, quod eodem tempore inter tertiam, & quartam Dominicam pòst festum Resurrectionis Domini Capitulum Generale conuocetur, & celebretur præmissa intimatione eiusdem Capituli per quinque menses ante, vt Patribus Galliæ ad Capitulum commodus detur accessus.

Nec

§. IV.

NEc liceat alicui ex Monachis nostri Ordinis cuiuscumque gradus,& conditionis existat temporis prædicti terminum transgredi, ac electiones, statuto, vt diximus tempore, differre, seu differri facere, quouis prætextu, aut quæsito colore,neque tale aliquid absque totius Capituli Diffinitorialis consensu attentare, seu super hoc litteras derogatorias impetrare; & qui subreptitiè, vel obreptitiè eas obtinuerit, voce careat actiua, & passiua, & per triennium sit inhabilis ad quæcumque officia, aut gradus.

§. V.

IPso interim vacationis tempore, Congregationis totius cura, & administratio in tali casu deuoluatur ad Coabbatem antiquiorem, vt infra, & Prior Abbatiæ sancti Spiritus ipsum principale Monasterium regat in temporalibus,& spiritualibus sub eiusdem Coabbatis cura, &regimine. Officialium electiones,vel priuationes, Monachorum item mutationes nullo modo fiant dicto vacationis tempore: secus factæ electiones, & priuationes sint irritæ ipso iure, & nullatenus in futuro Generali Capitulo admittantur.

§. VI.

IPsius ergo Generalis Capituli cura totalis, siue in prædicto casu, quo Congregatio nostra Abbatte Generali vacauerit intra triennium, siue etiam in fine triennij post eiusdem Abbatis renunciationem, ad Coabbatem antiquiorem spectat, & in Coabbatum defectu, ad Priorem Abbatiæ sancti Spiritus,& in prædictorum omnium defectu, ad antiquiorem Abbatem ex Diffinitorio. Qui antiquior Coabbas prædicto vacationis tempore statim per litteras omnibus, & singulis in Capitulo vocem actiuam habentibus futurum Capitulum indicere teneatur, illudque statuto tempore congregare, & congregatum regere, electoresque,si opus est, compellere opportunis iuris remedijs ad electionem Abbatis Generalis,

# De ijs qui votum habent in Capitulo Generali. Cap. IV.

## §. I.



E indiſcreta diuerſitas, & multitudo eligentium, ſiue electorum in electionibus faciendis Abbatis Generalis, aliorumque Prælatorum, aut Officialium poſſit confuſionem adducere; præſentis Conſtitutionis edicto prohibemus, vt tam de principali Monaſterio Abbatiæ, quàm de eiuſdem membris, & ipſius noſtræ Congregationis Monaſterijs præſentibus, & futuris nemo ad Generale Capitulum debeat conuenire, & agendis intereſſe, niſi qui in eodem Capitulo actiũum habent votũ, vt infra.

## §. II.

IN quo ſanè Capitulo quoad electiones publicorum Officialium faciendas, votum actiuum habeant pro tempore exiſtens Abbas Generalis, Coabbates, Vicarius Generalis, Prouincialis Galliæ, Prior Abbatiæ Sancti Spiritus de Murrone, Viſitatores Generales, Diffinitores, Procurator Generalis in Vrbe, Abbates Conuentuales, Secretarius, & Socius Abbatis Generalis, Decanus Abbatiæ prædictæ, Priores, Diſcretus, ſiue Procurator Galliæ, Procurator Generalis Neapolis, & Vicarius Caſtrorum Abbatiæ Sancti Spiritus de Murrone, dummodo dicti Abbates, & Priores non fuerint tantum Titulares.

## §. III.

IN electionibus autẽ faciendis Abbatum Cõuentualium, & Priorum votũ actiuũ habeant Abbas Generalis nuper electus, Coabbates, Prouincialis Galliæ, Prior Abbatiæ, Viſitatores Generales, Diffinitores, & Procurator Generalis in Vrbe; qui ſimiliter dumtaxat votum habeant in Capitulis Annalibus, aut Diffinitorialibus.

## §. IV.

DE Monaſterijs autem Galliæ, ex quibus Priores ſine maximis ſumptibus, & labore venire nequeunt de triennio in triennium

nium, volumus, & mandamus, quod eadem Prouincia de nouennio tantum in nouennium Prior Prouincialis cum vno Monacho socio, quem pro Discreto, vel Procuratore, Priores omnes aliorum Monasteriorum ad id elegerint, veniat ad Capitulum Generale prædictum celebrandum, vt supra. Quod si fortè iusta causa impeditus personaliter venire nequeat, mittat, aut deputet suo loco Monachum alium cum suis litteris testimonialibus. Huiusmodi autem ita missus, siue deputatus votum habeat in Capitulo Generali tantum.

## §. V.

PRæter prædictos non possit Abbas Generalis aliquem ad votum dandum assumere sine consensu totius Capituli Generalis: Si quis autem ex prædictis votum actiuum habentibus venire, vel mittere ad dictum Capitulum malitiosè distulerit, suæ administrationis officio careat ipso facto, & per tres annos sequentes sit inhabilis ad quæcumque officia exercenda. In quo casu Conuentus Monasterij, cui idem præsidet, conuocato Capitulo per Sacerdotem seniorem secundùm professionem, prouideat de Rectore, siue Vicario, qui denunciato Abbati Generali, qualiter, & quomodo res sese habeat, tamdiu regat, quamdiu proprias Abbatis Generalis litteras super hoc habeat responsiuas. Qui legitimè impeditus venire non potuerit, excusationem mittat Abbati Generali, & licentiam ab eo obtineat.

## §. VI.

QVi autem ex prædictis ad dictum Capitulum iusta causa impediti venire non potuerint, Procuratorem pro seipsis capitulariter electum mittant, qui electus Procurator impedimenti causam referat, & Monasterij occurrentia negocia denunciet, & tractet, cum Patribus Diffinitorialibus, & Abbate Generali; votum tamen non habeat, excepto dicto Procuratore Galliæ.

## §. VII.

NVllus præter prædictos ad Capitulum accedere præsumat sub quouis prætextu, vel causa, nisi licentia in scriptis obtenta ab Abbate Generali, aut à Coabbate antiquiori tempore vacationis, prout supra. Qui autem sine licentia accesserint ad Monasterium in quo Capitulum celebratur, carcerentur; & sic remaneant

toto

toto tempore Capituli Generalis, ac deinde ad propria Monasteria, siue loca redire compellantur. Poterit tamen laudabiliter Abbas Generalis ad dictum Capitulum aliquos ex Lectoribus, & Studentibus ad prædicandum, & disputandum idoneos vocare, aut etiam alios ex rationabili causa accersire, prout expedire cognouerit.

## §. VIII.

PAssiuum votum verò habeant omnes, & singuli, tam ipsius Capituli, quam totius Congregationis Patres ad omnia, & singula eiusdem Congregationis officia, Prælaturas, iuxta Regulæ tamen, & præsentium Constitutionum dispositionem, & si aliud non obstet legitimum impedimentum, habilesque & idonei ad Prælaturas, & ad officia exercenda fuerint iudicati. Illa vero impedimenta, quæ à duobus mensibus ante Capitulum exorta sunt, nisi publica, manifesta, & notoria sint, obstari alicui nolumus.

## §. IX.

STatuimus vt Officiales prædicti votum actiuum habentes, ad Capitulum dum accedunt, Monasterium Sancti Spiritus, siue aliud in quo fortè contigerit celebrari, statim ingredi debeant, præscripto tempore absque mora, prout infra, nec extra ipsum Capitulo durante, nec ante ipsius inchoationem pernoctare, vel vagari audeant. Quicumque verò parere contempserit, votum actiuum amittat pro illa vice.

## §. X.

NE Monasterium sancti Spiritus nimis, quàm par est, grauetur, statuimus vt Prælati, & quicumque votum actiuum habent in Capitulo, habita consideratione distantiæ locorum, seu Prouinciarum à proprijs Monasterijs eo tempore discedant, sicque dietas itineris distribuant, & metiantur, quatenus recto tramite ad prædictum Monasterium sancti Spiritus perueniant. Patres quidem Diffinitoriales feria quarta ante Dominicam tertiam post festum Resurrectionis: cæteri verò feria quarta ante Dominicam quartam eiusdem post dictum festum. Qui verò vocati fuerint, & licentiam, vt præmittitur, obtinuerint, veniant eo die prout in commissis habuerint: secus, si ante peruenerint, puniantur ad eiusdem Abbatis Generalis arbitrium.

Capi-

§. XI.

CApitulum ipsum perturbantes,aut quomodolibet impedientes, seu perturbari, aut impediri facientes, aut etiam Monachos ad ipsum accedentes, vel inde redeuntes molestari, seu offendi curantes, aut tale quid agentes, aut fieri mandantes, vel procurantes quominus Capitulum ipsum Generale liberè in loco suo solito, & more solito, iuxta ipsius Congregationis regularia Instituta, retineri, aut celebrari possit,ad officia quæcumque ipsius Congregationis reddantur inhabiles,& actiua,& passiua voce, omnibusq. actibus legitimis perpetuo priuati sint, & per sex menses carceribus mancipentur. Super quibus neque per Abbatem Generalem, neque per Capitulum ipsum dispensentur.


Item procurantes sæcularium,aut aliarum personarum interuentum ad dictum Capitulum, seu etiam cum sæcularibus,& dictis personis eiusdem Capituli negocia circa electiones in eo faciendas conferentes,& tractantes, aut disponentes, vt eorum fauore, vel opera, propria desideria impleantur,votis cõtrarijs,aut persuasis,& oppressis,aut quomodolibet impeditis,vel coactis,eisdẽ pœnis subiaceant.

§. XII.

SI quis etiam odij, aut inimicitiæ causa, regularis honestatis, ac modestiæ oblitus contra aliquem in Capitulo ipso inuectus fuerit, aut aliàs tumultum fecerit, reprimatur inimicus, & odiosus homo, ne seditionem faciat: Quòd si pertinax in contentione fuerit, & seditionem, aut rumorem ibidem excitauerit, actiua, & passiua voce durante Capitulo priuatus existat.

## De ordine, graduum, & locorum habentium votum in Capitulo. Cap. V.

§. I.



D hoc diuinæ dispensationis prouisio distinctos ordines,& gradus esse constituit, vt dum reuerentiam minores exhiberent maioribus,& maiores minoribus dilectionem impenderent, vera concordia fieret ex diuersitate contexta, & recta officiorum gereretur admi-

administratio. Graduum ergo dignitatum, & officiorum ordinem eorum, qui in Capitulo Generali, aut Diffinitoriali votum habent actiuum, talem esse declaramus. Primò Abbati sancti Spiritus prope Sulmonem, qui, tanquam omnium Monachorum nostræ Congregationis Pater, alios omnes dignitate, & administrationis cura antecedit: huic succedit Vicarius Generalis, si fuerit Coabbas, sin minus, sedet post vltimum Coabbatem; deinde Coabbates eiusdem Abbatis Generalis Collegæ, qui benedictionis munere aliquando decorati fuerunt, qui sedent inter se eo ordine, quo fuerunt ad Abbatiatum Generalem promoti: sequitur Prouincialis Galliæ, cui succedit Prior Abbatiæ sancti Spiritus de Murrone, postea quatuor Visitatores Generales; inde quatuor Diffinitores, post hos Procurator Generalis in Vrbe; postremò Abbas illius Monasterij in quo Capitulum celebratur, si extra Abbatiam sancti Spiritus contigerit celebrari. Qui omnes tam in Capitulo Generali, quàm Annali, aut Diffinitoriali votum habent actiuum. Exinde Abbates Conuentuales hos sequuntur; Secretarius, & Socius Abbatis Generalis, atque Decanus Abbatiæ prædictæ, Priores, & post ipsos Discretus, siue Procurator Generalis Neapolis, & Vicarius Castrorum Abbatiæ sancti Spiritus de Murrone. Qui Abbates, Priores, & Officiales præfati votum habent actiuum in Capitulo Generali tantum.

## §. II.

VOcalium prædictorum distributionem locorum, & ordinem, dum Capitulo Generali intersunt, & assistunt, aut etiam dum alicubi contigerit congregari, siue stando, siue sedendo, ita duximus esse describendum modo, & forma inferius descripta.

## Ordo præcedentiæ inter Prælatos, & Officiales Congregationis Cœlestinorum in Generali Capitulo actiuum votum habentes, perpetuò, & vbique obseruandus.

ABbas Generalis.

Vicarius Generalis, si fuerit Coabbas, sin minus, post Coabbates sit eius locus.

Coabbates, quisque in ordine suæ promotionis.

Prouin-

Prouincialis Galliæ.
Abbas S. Ioannis in Plano, & Prior Abbatiæ sancti Spiritus de Murrone.
Visitator Generalis primus.
Visitator Generalis secundus.
Visitator Generalis tertius.
Visitator Generalis quartus.
Diffinitor primus.
Diffinitor secundus.
Diffinitor tertius.
Diffinitor quartus.
Procurator Generalis in Romana Curia.
Abbas illius Monasterij, in quo celebrabitur Capitulum Generale, vel Annale, si extra Abbatiam Murronensem vrgentissima causa, & de Sedis Apostolicæ expresso mandato celebrari aliquando contigerit.
Qui omnes, & singuli votum habent in Diffinitorio.
Abbas sancti Spiritus de Magella.
Abbas S. Mariæ Collis Madij de Aquila.
Abbas S. Petri ad Magellam de Neapoli.
Abbas S. Bartholomæi de Luceria.
Abbas S. Ioannis Baptistæ de Bononia.
Abbas S. Eusebij de Vrbe.
Abbas S. Catharinæ de Terranoua.
Abbas S. Crucis de Litio.
Abbas S. Petri Cœlestini de Mediolano.
Abbas S. Benedicti de Nursia.
Abbas S. Georgij de Nouo.
Abbas S. Michaelis de Florentia.
Abbas sanctissimæ Trinitatis de sancto Seuero.
Abbas S. Angeli de Celano.
Abbas S. Petri ad Magellam de Auersa.
Abbas S. Benedicti de Monte Gargano.
Abbas sanctissimæ Trinitatis de Fauentia.
Abbas S. Mariæ Ciuitatis Theatinæ.
Abbas S. Mariæ de Capua.
Abbas S. Ioannis Baptistæ de Vria.
Abbas S. Nicolai de Bergamo.

Abbas

Abbas S. Honuphrij de Mamplo.
Abbas S. Mariæ Annunciatæ de Gesualdo.
Abbas sanctissimæ Trinitatis de Barulo.
Abbas S. Christophori de Mantua.
Abbas S. Mariæ Meiulanæ de Corropolo.
Abbas S. Mariæ Casalucis.
Abbas S. Hieronymi de Cesena.
Abbas S. Iacobi de Salerno.
Abbas S. Mariæ de Magenta.
Abbas Conuentualis S. Stephani de Bononia.
Abbas S. Michaelis in Plaga Neapolitana.
Secretarius Abbatis Generalis.
Socius eiusdem.
Decanus Abbatiæ sancti Spiritus de Murrone.
Prior sancti Spiritus de Anxiano.
Prior S. Mariæ de Collenisio.
Prior S. Mariæ de Anglono.
Prior S. Iacobi de Marsico.
Prior S. Nicolai de Arimino.
Prior sanctissimæ Annunciatæ de Tarento.
Prior S. Saluatoris Ciuitatis Pennarum.
Prior sanctissimæ Annunciatæ de Diano.
Prior S. Mariæ de Messapia.
Prior S. Petri Cœlestini de Isernia.
Prior sancti Spiritus de Orthona.
Prior S. Petri Cœlestini de Vrbino.
Prior S. Catharinæ de Nicotera.
Prior S. Catharinæ de Beneuento.
Prior sanctissimæ Annunciatæ de Murcono.
Prior S. Mariæ de Lama.
Prior sanctissimæ Annunciatæ de Turri.
Prior S. Desiderij de Brixia.
Prior S. Mariæ de Theano.
Prior sanctissimæ Annunciatæ de Como.
Prior S. Mariæ de Alifio.
Prior S. Mariæ de Vitulano.
Discretus siue Procurator Galliæ.
Procurator Generalis Neapolis.

Vicarius

Vicarius Castrorum Abbatiæ sancti Spiritus de Murrone.

Secretarius autem, & Socius Abbatis Generalis necnon Decanus sancti Spiritus de Murrone in sessionibus Capituli Generalis habeant locum in Choro inferiori, vel alio aptiori loco prope prædicti Abbatis Generalis personam, vt promptiores, & expeditiores sint ad mandata, & seruitia eiusdem exequendum. In cæteris autem omnibus assignatum sibi superius locum ante omnes Priores immediatè post vltimum Abbatem teneant.

## §. III.

Alij præter prædictos vocem in Capitulo non habentes siue Officiales, siue subditi, Lectores, vel Prædicatores, siue alij ab Abbate Generali ad negocia pertractanda, vel ad orandum, prædicandum, aut disputandum vocati, dum eidem Capitulo intersunt, antequam ianuæ claudantur, prout infra, collocentur in Choro post prædictos Vocales, & eum ordinem seruent inter se, quo de eisdem dispositum est supra de ordine Monasterij.


## §. IV.

SI quando autem, præstante Deo, contigerit noua Monasteria acquiri, vel fundari, aut alias ad præsens parua existentia ad pinguiorem statum reduci, quæ ob sufficientiam reddituum, & facultatum in principalia deputari possint, iuxta præscriptum Bullæ Pauli V. hac nunc pro tunc valitura Constitutione mandamus, vt in Capitulo Generali Patres comperta sibi super hoc veritate, in principalia erigant, & inter supradicta connumerent. In eorumque administrationis regimen Abbatem deputent, aut Priorem, qui post prædictos Vocales locum, & votum habeant in Generali Capitulo. Qui Abbates, & Priores eum ordinem seruent inter se, quem seruant eadem Monasteria de nouo fundata, aut in principalia erecta, & deputata.

De

# De eligendis, & eorum qualitatibus. Cap. VI.

## §. I.



Anè rationabile esse duximus, antequam de his tractemus, quæ per Electores in Capitulo Generali, aut Diffinitoriali agenda sunt, præmittere, de eligendorum, siue publicandorum, siue aliorum Officialium qualitatibus, & de forma electionis eorundem, vt quisque ritè ad electiones procedere possit, locusque nullus supersit excusationi, vel ignorantiæ, quominus omnia canonicè peragantur. Præcipua igitur Generalis Capituli ratio, & finis est, vt ipsius Congregationis Officiales tam principales, & publici, quàm priuati, qui finito suo administrationis tempore, de triennio in triennium, seu aliàs, prout superius est expressum, ad ipsum Generale Capitulum celebrandum conueniunt, Abbas quidem Generalis publicè toti Capitulo, cæteri autem nouo Abbati Generali propria resignent officia, Vicarij autem Grangerij votum in eodem Capitulo non habentes, in proprijsque locis remanentes tempore celebrationis prædicti Capituli, vsque ad prouisionem nouorum Officialium, siue Vicariorum per Abbatem Generalem faciendam, habeantur ad ipsius Abbatis Generalis dispositionem, & nutum amouibiles.

## §. II.

PRælati, Officialesvè in ipso Capitulo eligendi sunt, in primis Abbas Generalis, qui tanquam caput, & Pater omnium Monasteriorum ipsi Abbatiæ sancti Spiritus, omnibusque Monasterijs totius Congregationis vbique existentibus, eorumq. personis præesse debet. Item Vicarius Generalis, Visitatores Generales, quatuor Diffinitores. Item Prior Abbatiæ sancti Spiritus, Procurator Generalis in Vrbe, aut etiam alter alibi si opus fuerit. Item Abbates Conuentuales, & Priores.

Et vt

## §. III.

ET vt Prælatis, & Officialibus ad tyrannidem, ſuperbiam, aut officiorum quorumcumque perpetuitatem via omnimodè occludatur, Abbatis Generalis electio ad triennium dumtaxat, iuxta Inſtitutoris noſtri ſanctiſſimi Cœleſtini Bullam fiat. Qui finito triennio ſui Generalatus, liberè ſuo muneri cedat, nec ex quauis vrgentiſſima cauſa iterum in Abbatem Generalem aſſumi, aut eligi poſſit, niſi poſt lapſos tres integros annos.

## §. IV.

SImiliter tam Viſitatores, quàm cæteri Officiales Diffinitoriales, nullatenus ad eadem officia aſſumi valeant, ſed omnes vacent per integrum triennium ab eodem officio, nec ſuper id Capitulum ipſum diſpenſare poſſit. Cæteri verò Abbates, Priores, & Vicarij ſimiliter à locis vacent, quibus præſident, niſi fortè rationabilis cauſa, aut inſignis vtilitas aliud poſtulet; in quo caſu iterum ad eadem loca eligi queant per Patres Diffinitoriales capitulariter ad tres ſequentes annos dumtaxat, exceptis Coabbatibus, qui tam ex vigore Conſtitutionum, quàm ex antiqua conſuetudine poſſunt ſibi eligere eadem Monaſteria.

## §. V.

NE ex diſtributione publicorum Officiorum aliqua oriatur perturbatio, dum vel pauciores, aut plures ex hac, vel illa Prouincia, quàm ex altera ad eius Congregationis officia aſſumuntur: Ideo publici Officiales non quidem indifferenter ex tota Congregatione, ſed pro rata partium, ſinguli ex ſingulis Quarterijs, videlicet quatuor Viſitatores ex quatuor Quarterijs, & ſimiliter Diffinitores quatuor ex dictis quatuor Quarterijs eligantur. Abbas autem Generalis eligatur ex tota Congregatione.

## §. VI.

VErum ſi ex aliquo Quarteriorum contigerit intra triennium idoneas defeciſſe perſonas, eo caſu fiat electio de perſonis vicinioris Quarterij: ſed antequam dicta electio fiat, Patres Diffinitoriales defectum huiuſmodi in Capitulo Generali referant, ac vota Patrum eiuſdem Capituli pro dictæ Conſtitutionis moderatio-

ne requirant, & maiori partę ſuffragante, moderatio tunc facienda, cum clauſula *pro illa vice tantum*, fiat. Quod ſi pluries, & in pluribus ſucceſſiuè Capitulis id accidet, ſemper nihilominus dicta clauſula adijciatur, ad hoc vt iſta Conſtitutio in ſuo robore perpetuò conſeruetur.

## §. VII.

IN electionibus exequendis quorumcumque Officialium, in primis curent Electores, vt gratis, & abſque vlla pactione, officia conferantur; ſecus autem tam promittentes, quàm recipientes, aut quomodolibet paciſcentes, tanquam ſimoniacæ prauitatis rei, perpetuò ad quæcumque officia ipſo facto reddantur inhabiles, & per tres menſes pœnam ſuſtineant grauioris culpæ.

## §. VIII.

CAueant præterea tam Abbas Generalis, quàm cęteri Electores, ne quempiam precibus, litteris, vel fauoribus adducti, vel aliàs ad inſtantiam, requiſitionem, vel contemplationem Principum, ſiue Prælatorum, aut aliorum quorumcumque, tam ſæcularium, quàm Eccleſiaſticorum ad cuiuſcumque generis Prælaturas, gradus, honores, dignitates, adminiſtrationes, functiones, & officia promoueant; alioquin excommunicationis ſententiam ipſo facto nouerint incurriſſe, prout in Bulla Pauli V. habetur, quæ incipit: Quoniam nemo debet, &c. Et electiones huiuſmodi irritæ, & inualidæ cenſeantur.

## §. IX.

VT omnis officiorum ambitus occaſio recludatur, caueant noſtræ Congregationis Monachi cuiuſcumque ſint gradus, & conditionis; à directa, vel indirecta ſuffragiorum procuratione, tam pro ſeipſis, quàm pro alijs in Capitulis Generalibus, aut Diffinitorialibus, ſub pœnis contra ambitioſos à Summis Pontificibus, & præſertim priuationis officiorum, quæ obtinent, & inhabilitatis ad quæcumque alia à Clemente VIII. inflictis.

## §. X.

ELectores ergo Deum præ oculis habentes, illos ad officia exercenda proponant, quorum moribus, exemplo, & regimine Ordo noſter, eiuſque perſonæ ſalubriter in Chriſto proficiant, ſcilicet

Patres

Patres bonum teſtimonium habentes,adminiſtratores fideles, in diuinis obſequijs, & cultu Dei inſtructos, feruentes, & aſſiduos.

## §. XI.

SPecialiter autem ad Generalatus officium eum promoueant,qui vitæ probatioris eſſe dignoſcitur, omni carens ſuſpicione odij, vel amoris, quique præditus ſit meritis, virtutibus, ſapientia, & doctrina; vt iuxta D. Benedicti Patris noſtri Regulam, doctus in lege Dei, ſciat de theſauro ſuo proferre noua, & vetera, ſed præſertim charitate, & prudentia diuini cultus, & regularis obſeruantiæ zelo cæteros antecellat.

## §. XII.

ITtem non eligatur in Abbatem Generalem affinis, nec conſanguineus,vſque ad quartum gradum incluſiuè,eius,qui proximè ceſſit Generalatui: aliàs ſi contingeret huiuſmodi nominatio, aut electio, irrita ſit ipſo iure, aliuſque idoneus eligatur.

Item non eligatur ad Generalatus officium, qui per annos viginti quatuor ab emiſſa profeſsione,& regulari obſeruantia,in Congregatione non vixerit, & qui per annòs nouem Abbas non fuerit, & publica, vel principalia officia non exercuerit.

## §. XIII.

VT autem officià Religionis noſtræ illis conferantur, qui non modò laudabilis famæ fuerint, ſed etiam prudentia præditi, quæ vt plurimum tempore acquiritur;Ideò ad Viſitatoratus officium non aſſumantur,niſi qui per ſexennium ſaltem in officio Abbatiatus conſtituti,benè ſe in officij adminiſtratione geſſerint,quiue ab emiſſa ipſorum profeſſione per annòs decem, & octo ſimiliter integros, & continuos intra Religionem permanſerint. Ad officium autem Diffinitoriatus promoueri nequeant, niſi qui per annos viginti quatuor ſimiliter continuos, & integros intra Religionem commorati fuerint, principaliumque Monaſteriorum Abbates per annos duodecim extiterint.

## §. XIV.

PRocurator Generalis in Vrbe is eligatur,qui iura, & principalia Congregationis, & Monaſteriorum tueri ſciat, & in tractandis

causis, & litibus prouidus sit, ac sollicitus,& talis,cui meritò confidendum sit prædicta iura, & priuilegia committi posse.

## §. XV.

IN Abbatem Conuentualem,& Priorem eligantur viri probi,& fideles, Monasticæ regularisque vitæ moribus prædìti,& sufficienter instructi: & in Abbatem prædictum non præficiatur, qui per annos quatuordecim similiter in regulari obseruantia non vixerit ab emissa professione, & qui prius per annos tres Prioratus officium non exercuerit. Nec ad Prioratus officium assumatur,qui per annos duodecim in Congregatione simili modo laudabiliter non vixerit.

## §. XVI.

REctores, vel Vicarij Grancerij paruorum locorum, in quibus, vt plurimum dignoscitur maius esse periculum, sint senes, vel prouectiores ætatis, ad minus scilicet quadraginta annorum, & ij de quibus nullum scandalum,aut malum timeri possit,in moribus, aut in regimine.

## §. XVII.

NEque super prædictorum eligendorum Officialium qualitates omnes,& singulas per Abbatem Generalem,aut per Capitulum Generale dispensari possit, nisi prius per vota secreta Patrum cum duabus ex tribus partibus votorum fuerit dispensatum.

# Forma Electionis. Cap. VII.

## §. I.



Ntequam ad electiones deueniant Electores in Capitulo Generali, aut Diffinitoriali faciendas, præmissis præmittendis: Primò edicant, & mandent claudi ianuas Capituli, extra missis omnibus, & singulis, qui votum non habent in eodem Capitulo, neminemque ingredi, nec de Electorum numero quempiam exire, quousque electionis negocium fuerit absolutum.

Eligendi

## §. II.

ELigendi modum, antiquarum noſtrarũ Conſtitutionum quoad id Statutis inhærendo, taliter duximus ordinandum: vt electiones, tam Abbatis Generalis, quàm publicorum Officialium, Abbatum, & Priorum, fiant per ſecreta ſuffragia, tam per ſchedulas, quàm per fabas hoc modo, qui ſequitur: ſcilicet vt ſcrutinium per ſchedulas, ſiue ſchedulæ ipſæ faciant nominationem, & concurſum; ſcrutinium autem per fabas, ſiue fabæ ipſæ albæ, aut calculi compleant electionem.

## §. III.

ITaque ſi plures in ſcrutinio per ſchedulas ad Generalatus, Viſitatoriatus, Diffinitoriatus, Abbatiatus, aut Prioratus officium fuerint per ſchedulas, vt ſupra nominati, pluraque vota, non tamen pauciora tertiæ partis, habuerint; tunc completo ſcrutinio per ſchedulas, procedatur vlterius ad eorundem electionem per fabas, etiam ſi alter eorum ad duas integras partes votorum, ſiue ad numerum requiſitum ad Generalatus, vel Diffinitoriatus officium aſcendat in primo ſcrutinio per ſchedulas.

Verùm ſi facto primo ſcrutinio nullus interueniat concurſus, in hoc caſu ſchedulæ faciant electionem.

## §. IV.

PRæparentur ergò quinque menſæ, altera pro Scrutatoribus, & Actuario, ſeorſum ab Electoribus, quantũ commodè fieri poteſt; aliæ verò quatuor minores paratæ cum atramento, & calamis in loco apto prope Altare maius pro conſcribendis votis, diſtantes ab Electoribus ipſis, & inter ſe, vt videri quidem poſſint ſcribentes, quid verò ſcribitur nullo modo appareat. Præparetur etiam capſula pro excipiendis votis, & ponatur ſuper Altare maius.

Præparentur inſuper tot ſchedulæ in diſco vno, aut etiam altero pro ſuffragiorum votis, quot ſunt vota actiua pro electionibus faciendis, conſcriptæ vna, & eadem manu Abbatis Generalis, aut Actuarij Capituli, modo vt hic deſcribitur.

| |
|---|
| Eligo in Scrutatores Primum Reu. D.N. Secundum Reu. D.N. Tertium Reu. D.N. Quartum Reu. D.N. |

| |
|---|
| Eligo in Visitatores Primum Reu. D. N. Secundum Reu. D N. Tertium Reu. D.N. Quartum Reu. D.N. |

| |
|---|
| Eligo in Diffinitores Primum Reu. D.N. Secundum Reu. D. N. Tertium Reu. D. N. Quartum Reu. D.N. |

| |
|---|
| Eligo in Abbatem Generalem Congregationis nostræ Cœlestinorum Reu. D. de |

Itaut in eadem schedula supersit locus, vbi debeat scribi ab Electore nomen electi cum expressione patriæ eiusdem electi, siue nominati; singulæ insuper sint obsignatæ paruo sigillo eiusdem Abbatis Generalis. Quæ omnes antequam opportuno tempore distribuantur, diligenter conspiciantur, an conscriptæ, & obsignatæ sint, vt præmittitur, alioquin non admittantur.

## §. V.

ANte Abbatis Generalis, & Officialium omnium electionem, primò Abbas Generalis absoluat omnes Electores ab omnibus censuris, si quibus quomodolibet innodati existant, ad effectum electiones legitimè dũtaxat faciendi; & deinde eligantur in Capitulo Generali quatuor Scrutatores per vota secreta, adhibitis ad prædictorum electionem Scrutatoribus elapsi Capituli, in quorum omnium, siue aliquorum defectum Capituli Præsidens alios subrogare posit; adhibitaque forma inferius describenda, ij ad scrutinij officium eligantur, & publicentur, in quos maior pars totius eiusdem Capituli consenserit, qui mox electi iurent singuli in manibus Præsidentis in hanc formam, videlicet.

*Forma Iuramenti Patrum Scrutatorum.*

TEstem inuoco cum omni reuerentia IESVM CHRISTVM, qui eſt ſapientia æterna, quòd ego D. N. illum eligam, & nominabo in Abbatem ſancti Spiritus de Murrone, & Præſidentem Generalem noſtræ Congregationis Cœleſtinorum, quem duæ ex tribus partibus Electorum ad id deputatorum elegerint, & nominauerint; & in Scrutatores, Viſitatores, & Diffinitores, illos, quos maior Electorum prædictorum pars elegerit, & nominauerit.

## §. VI.

QVæ ab Electoribus ante electionis acta obſeruare, aut fugere oportet, hæc ſunt: Iurent ſinguli Electores ante actum electionis, iuxta Clementis VIII. Pontificis decreta, in manibus Præſidentis, prout ſupra, in hanc quæ ſequitur formam.

*Forma Iuramenti omnium Electorum.*

TEstem inuoco cum omni reuerentia IESVM CHRISTVM, qui eſt ſapientia æterna, quòd ego D. N. illum eligam, & nominabo in Abbatem ſancti Spiritus de Murrone, & Præſidentem Generalem noſtræ Congregationis Cœleſtinorum, quem ad eiuſmodi munus obeundum, & onus ferendum aptiſſimum ſentio; & ſimiliter in Scrutatores, Viſitatores, & Diffinitores, eos, quos ad eadem munera reſpectiuè exercenda aptiores iudico.

Nulli liceat pro vno, & eodem duo vota in eodem ſcrutinio dare, ſiue per ſchedulas, ſiue per fabas. Qui verò dolosè vota bina dederit, excommunicationis pœnam ipſo *facto* ſuſtineat, Abbate Generali excepto.

Item nulli liceat ſeipſum nominare, aut ſibimet ſuffragium dare, aliàs ſuffragium ſit nullum.

Item suffragium, quod præstant Electores, non sit dubium, aut conditionatum, aliàs similiter sit nullum.

## §. VII.

NVmerum requisitum votorum ad officia Generalatus, Diffinitoriatus, Abbatiatus, vel Prioratus, talem esse decernimus: Nemo in Abbatem Generalem censeatur electus, nisi is, in quem duæ partes integræ totius Capituli Generalis legitimè consenserint. In Visitatorem, Diffinitorem, is pro electo habeatur, in quem maior pars totius Capituli Generalis canonicè consenserit. In Abbatem pro alicuius Monasterij regimine, aut in Priorem, ille censeatur electus, in quem maior pars Capituli Diffinitorialis per scrutinium consenserit. Habentium tamen votorum paritatem, nullus censeatur electus.

## §. VIII.

AD electionem ergo perficiendam Abbatis Generalis, ita procedatur. Duo vltimi Scrutatores in discis habentes schedulas, vt supra conscriptas, & obsignatas, consignet alter hinc, scilicet in Choro dextro, alter inde, scilicet in Choro sinistro, quatuor primis Electoribus schedulas quatuor. Qui Electores acceptis schedulis procedant ad mensas ad id paratas, quos comitentur alij duo scrutatores, ibique in schedula accepta conscribat in loco vacuo quisque eorum nomen electi, cum expressione patriæ eiusdem electi, alterato etiam charactere, siue scriptura, assistentibus à remotis prædictis duobus Scrutatoribus.

Deinde claudant dicti Electores schedulas, & complicent, itaut scriptura nullo modo conspici possit; easque sic complicatas sine mora deferant conspicuè, & eleuatè duobus digitis ad Altare, deponantque easdem ordinatè, & sigillatim in capsam scrutinij, quæ est super Altare. Duo verò prædicti Scrutatores assistentes, vt supra, inuigilent, vt quas conscripserunt, easdem deferant, & quas detulerint, immittant in capsam scrutinij.

## §. IX.

INterim dum prædicti Electores vota conscribunt per Scrutatores, qui supra, dispensentur totidem aliæ quatuor schedulæ alijs quatuor Electoribus, qui similiter redeuntibus Prioribus, ad mensas ac-

ſas accedant vt prius, aſsiſtentibus ijſdem Scrutatoribus, vt ſupra, iuxta Altare, ſicque procedatur vſque ad vltimum ſcrutinij.

Simili etiam modo ipſimet Scrutatores votum dent, & recipiant ad inuicem, ita ſcilicet vt duo Scrutatores vltimi conſignent ſchedulas alijs duobus, & ij conſignent eiſdem cæteris duobus. Quod quidem à principio antequam alij omnes votum dent, tutius fieri poteſt, ne ſi in fine ſcrutinij dicti Scrutatores dent votum, ſit in eorum poteſtate electio.

## §. X.

COmpleto ſcrutinio per ſchedulas, Scrutatores aſsiſtentes accedentes ad Altare, numerent ſchedulas omnes, altero eorum extrahente illas ſigillatim ex capſula ſcrutinij, altero verò recipiēte, & numerante eas, aſsiſtentibus alijs duobus Scrutatoribus hinc, & hinc. Quòd ſi numerus ſchedularum nō reſpondeat numero Electorū, omnes ſtatim comburantur in conſpectu Electorum (quæ combuſtio ſchedularū ſtatim poſt completum ſcrutinium, & publicationem eiuſdem ſcrutinij, fieri ſemper debet, ſiue ſecuta electione, ſiue non ſecuta) & combuſtis ſchedulis, iterum ad ſuffragia deueniatur iterato ſcrutinio. Si numerus ſchedularum numero Electorum reſpondeat, tunc delata capſula per vltimum ſcrutatorē, accedant ſimul ſcrutatores ad menſam ſcrutinij, primuſque Scrutator eas ſigillatim extrahat ex capſula, & extractas aperiat, eaſque inſpiciat, & inſpectas det ſecundo ſcrutatori; quas ſimiliter inſpectas, ſecundus det tertio, & tertius quarto, adnotentque ordinatè, & ſigillatim poſt inſpectionem ſchedulę in proprio folio ſinguli nomen electi cum ſigno numeri votorum.

## §. XI.

VLtimus verò ſcrutator antequam adnotet ſingulas ſchedulas ſigillatim, alta, & intelligibili voce legat, & publicet eaſdem, & ſic lectas inſerat in filum cum acu ad hoc parato, vt omnes ſimul comburi poſsint, poſt completam ſcrutinij publicationem.

Exactis, & adnotatis ſchedulis omnibus, & ſingulis redigant in ſummam numerum votorum eorum, qui fuerint nominati, quot ſcilicet vota cuilibet nominato in ijſdem ſchedulis ſuffragantur: & in fine eiuſdem ſcrutinij ſchedularum, nominatos publicent cum numero votorum, quæ ſuffragantur cuilibet nominato, hoc modo ſcilicet,

licet, Reu. D. N. de N. habet vota viginti, Reu. D. N. de N. habet vota decem, & ſic de alijs nominatis.

## §. XII.

TVnc immediatè fiat ſcrutinium per fabas pro eo primo, qui plura vota in dicto ſcrutinio habuit; aut ſi contingeret vota concurrentium eſſe in pari numero, pro eo, qui eſt antiquior, ſecundùm profeſſionem; & ſi is pro quo fit ſcrutinium huiuſmodi, ad numerum requiſitum aſcendat pro Generalatus officio, cenſeatur electus, non expectato ſcrutinio fabarum cum altero, ſiue pro alijs, qui pauciora vota per ſchedulas obtinuerunt. Si verò non aſcenderit ad requiſitum numerum, tunc fiat ſcrutinium ſimiliter pro altero, ſimili modo; qui ſi ad dictum requiſitum peruenerit, habeatur pro electo.

Quod ſi nullus ex nominatis ad numerum requiſitum aſcenderit pro Generalatus officio, iterum in tali caſu ad ſcrutinium deueniatur per ſchedulas, integrumque ſit. Electoribus, aut eoſdem prius nominatos, aut alios nomináre ad idem Generalatus officium.

## §. XIII.

SI verò contingat, vnum tantum in primo ſcrutinio nominari, omniumque vota in vnum conſentire, aut plures quidem nominari, ſed ex his vnum, aut plures non aſcendere ad tertiam partem votorum; tunc non procedatur ad vlteriorem diſcuſſionem per fabas, ſed ille habeatur pro electo, cui vota in ſcrutinio ſchedularum ſic concorditer ſuffragantur. Si autem ij, in quos dicta tertia, vel maior pars votorum conuenerit, concurrere noluerint, & expreſsè concurſui renunciauerint, & ſuo iuri ceſſerint; tunc is canonicè electus intelligatur, qui duas integras partes votorum per ſchedulas, quoad Generalatum; quo verò ad cætera officia, maiorem ſimiliter votorum partem habuerit: in his enim caſibus electiones per ſchedulas fieri declaramus.

## §. XIV.

ABſoluto ergo ſcrutinio per fabas, ſiue per ſchedulas, in caſibus, vt ſupra nominatis, ſi ſecuta ſit electio, tunc per primum ſcrutatorem fiat electio, & publicetur nomine totius Capituli per

verba

verba singularis numeri, scilicet per verbum (Eligo) ita alta, & intelligibili voce dicendo.

In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Ego N. primos scrutator in præsenti Generali Capitulo nomine meo, & omnium Electorum, qui mecum consenserunt, *Eligo* in Abbatem sancti Spiritus de Murrone, & Præsidentem Generalem totius Congregationis Cœlestinorum Reu. D. N. de N.

Tunc duo scrutatores pergant ad electum, & petant ab eodem electo consensum, prout infra disponitur de agendis in Capitulo Generali: quo præstito, is habeatur pro Abbate sancti Spiritus de Murrone, ac Generali Præsidente totius Congregationis. Si verò electus absens fuerit, obseruetur modus præscriptus infra tertia die Capituli Generalis.

## §. XV.

IN electionibus publicorum Officialium faciendis in Capitulo Generali idem modus omnino seruetur, qui supra, præterquam in numero votorum; is enim habeatur pro Visitatore electo, in quem maior pars totius Capituli Generalis legitimè consenserit. Idem de alijs publicis Officialibus dicendum, & obseruandum.

## §. XVI.

IN electionibus Abbatum Conuentualium, & Priorum ita procedatur: Conficiantur ex annotatis ab Actuario Capituli in ipsa legitimatione votorum duæ schedulæ, siue duo folia, in quorum altero Monasteriorum omnium nomina descripta sint, exceptis dumtaxat Monasterijs illis, quæ sibi pro ipsorum residentia Coabbates elegerunt. In altero verò sint descripta nomina Abbatum, & Priorum per ipsum Diffinitoriale Capitulum in sessione de legitimatione votorum approbatorum, illis scilicet dumtaxat exceptis, qui suis exigentibus demeritis, causa cognita, per eosdem Patres Diffinitoriales fuerunt reprobati.

Addatur

## §. XVII.

ADdatur etiam tertia ſchedula, ſiue folium, in quo ſi qui extant abſentes bonæ famæ Monachi, aut aliàs quomodocumque benemeriti, qui adhuc ad officia non fuerunt promoti, eorum nomina deſcribantur, quorum qualitates, & ſufficientiam ipſi Patres Diffinitoriales bene nouerint, prout in prædicta ſeſſione de legitimatione votorum fuit diſpoſitum.

## §. XVIII.

CVm ergò ad Abbatum, & Priorum electionem pro alicuius Monaſterij regimine deueniendum eſt in Capitulo Diffinitoriali, per Actuarium Capituli ſingulis Patribus Diffinitorialibus tria folia, ſiue tres ſchedulæ conformes, prout ſupra conſignentur. Quibus inſpectis, & maturè conſideratis conſiderandis, prædicti Patres, acceptis ſchedulis à Scrutatoribus, ſeorſum, & ſigillatim in menſa præparata in eodem Capitulo Diffinitoriali, ſcribant nomen illius in loco vacuo dictæ ſchedulæ, quem nominare voluerint, pro ſingulorum Monaſteriorum regimine, qui ſibi tali muneri ſecundùm conſcientiam magis aptus eſſe videtur.

## §. XIX.

COmpleto Scrutinio per ſchedulas, ſi plures fuerint nominati ad eiuſdem Monaſterij regimen, pluresque fuerint coucurrentes, fiat ſcrutinium ſigillatim per fabas pro omnibus concurrentibus: & ex nominatis, qui maiorem partem votorum dicti Capituli Diffinitorialis per tale ſcrutinium fabarum habuerit, habeatur pro Abbate, aut Priore illius Monaſterij, pro cuius regimine dictam maiorem votorum partem obtinuit, Abbate Generali tamen ſemper proponente.

De

# De agendis in Capitulo Diffinitoriali. Cap. VIII.

## §. I.



Ntequam conueniant cæteri Patres votum actiuum habentes in Capitulo Generali, Patres Diffinitoriales præueniant, accedentes ad locum destinatum pro eiusdem Capituli proxima celebratione *die Mercurij* ante Dominicam tertiam post festum Resurrectionis Domini, pro his, quæ per eos agenda, & præmittenda sunt ante acta eiusdem Capituli Generalis. Agenda per ordinem hæc sunt, quæ sequuntur, scilicet visitatio Abbatis Generalis, & Visitatorum Generalium, visitatio Depositariorum, relatio visitationum, & legitimatio votorum.

## §. II.

FEria igitur quinta ante Dominicam tertiam prædictam de mane, Patres Diffinitoriales capitulariter congregati, inuocata Spiritus sancti gratia, simul procedant ad visitationis negocium ipsius Abbatis Generalis, expediantque illud omnino intra tres dies: in qua visitatione ea qua decet vigilantia, & circumspectione maturo iudicio exquirant, & exequantur, quæ inquirenda, & exequenda iubentur cap. xvj. de visitatione Abbatis Generalis, eumque in vero iudicio, & iustitia absoluant, & condemnent, prout illius exegerint merita, aut demerita.

## §. III.

DIe Dominico super tertia Dominica post festum Resurrectionis Domini Patres Diffinitoriales de mane quiescant, & sacris incumbant; Post vesperas autem coram ijsdem Patribus capitulariter in Diffinitorio congregatis, Depositarij Quarteriorum, & Procurator Generalis de Vrbe computa producant receptorum, & expensorum per eos toto triennio. Qui Patres Diffinitoriales nomina omnia omnes tam de exitu, quàm de introitu inquirant, videant, & examinent, easque tantum admittant, quarum solutiones aliàs per idemmet diffinitoriale Capitulum fuerint commissæ.

Insu-

## §. IV.

INsuper ijdem Depositarij coram Patribus prædictis referant pecuniarum depositarum exsuperantium summam, si quæ fuerint in singulis quatuor Quarteriorum principaliorum depositis, prout infra de publico ærario dicitur, vt deliberent qualiter applicari, aut impendi debeat, denuncientque eos qui minus tertias soluerint, vt contra eosdem Constitutionum harum opportuno remedio procedatur. Quibus omnibus benè visis, Depositarios, & Procuratorem absoluant, aut condemnent, prout eorum merita, aut demerita exposcunt.

## §. V.

FEria tertiā conueniant iterum Patres in Diffinitorium, vbi Visitatores Generales producant quæcumque reperta sunt circa vitam, & mores, & administrationes singulorum Officialium, ac circa vitam, & mores subditorum, tam in actu visitationis, quàm extra, si quæ fuerint extraordinariæ causæ; super quibus prædicti Patres Diffinitoriales iudicium faciant, & sententiam ferant, absoluant & condemnent absoluendos, aut condemnandos, secundum harum Constitutionum statuta, & iuxta sacrorum Canonum dispositionem.

## §. VI.

INsuper inuentaria singulorum Monasteriorum per eosdem Visitatores producantur, tum noua delata per eosdem ad Capitulum, tum vetera elapsi, & præteriti iam triennij seruata in deposito ipsius Abbatiæ sancti Spiritus; eaque inuicem ijdem Patres conferant, vt quæ de nouo per Officiales aucta fuerunt, aut quæcumque forte diminuta fuerint, appareat: & si deperdita, aut imminuta nonnulla deprehenderint, ab eisdem Officialibus, sub quorum administratione culpabiliter diminuta fuerint, rationem petant, eosque puniant iuxta culpæ rationem. Quæ inuentaria apud se conseruet Actuarius, donec expleto Capitulo consignentur eorum exemplaria nouis Officialibus, vt infra.

## §. VII.

FEria quarta votorum legitimationi incumbant Abbas Generalis, Coabbates, alijque Patres Diffinitoriales; Officiales

les ad Capitulum iam congregatos vocent coram se, eorumq; commissiones, siue literas dimissoriales ab eisdem petitas inspiciant, an legitimæ sint, & an vigore prædictarum votum habeant actiuum, admittantque admittendas, & reijciant reijciendas.

Item à voto actiuo dando excludant priuatos per Capitulum, aut canonicè alio quouis modo: Item etiam absentes, nisi legitimè per eosdem Procurator ad Capitulum fuerit destinatus.

## §. VIII.

QVoad votum autem passiuum ab officio Generalatus, Visitatoratus, & Diffinitoriatus declarentur exclusi ij, qui per integrum trienniũ ab eisdem officijs respectiuè non vacauerũt.

Deinde ab omnibus, singulisque Capituli officijs obtinendis excludantur omnes in præsenti Capitulo, aut aliàs aliquando priuati, siue suspensi: Item spurij, & illegitimi, si qui existant: Apostatæ publicè per sententiam damnati: Publici peccatores, rebelles, fugitiui, etiam si Congregationis habitum non dimiserint: Item alterius Congregationis professi, si (quod absit) fuerint ad nostram de Sanctissimi Domini expresso mandato, & non aliter admissi: & alij, siue per harum Constitutionum decreta, siue per Sacrorum Canonum dispositiones, inhabiles.

## §. IX.

DE omnibus autem approbationibus, & exclusionibus registrum, & notam fieri mandent ab Actuario conseruandum inter acta Capituli. Et primò quoad votorum actiuorum legitimationem tres schedulas confici curent, in quibus describantur nomina Officialium eorum, quos legitimè ipsi Capitulo interesse, votumque dare posse, ipsi Patres Diffinitoriales iudicauerunt, & legitimauerunt, alteram consignandam scrutatoribus eligendis, alteram Abbati Generali, vel Præsidenti ipsius Capituli, tertiam affigendam ad valuas eiusdem Capituli, vt sciri possit, quibus competat legitima eligendi potestas.

Quoad vota verò passiua, notam faciat Actuarius conseruandam similiter inter eadem acta, tam approbatorum, quàm exclusorum. Tresque similiter conficiant schedulas eisdem consignandas, & respectiuè affigendas, vt indè ex tali affixione omnes scire possint quibus danda, & quibus prohibenda in electionibus erunt suffragia.

Exclu-


Exclusionem autem eorum, qui excludendi sunt, siue per præcedentem priuationem, siue suspensionem, aut ob causam vacationis, aut aliàs aliter, adnotent cum causa, illamque distinctè conscribant, præsertim in nota conseruanda inter acta Capituli, & in schedula affigenda vt supra.

§. X.

OMnia vero agenda, siue acta in Capitulo Diffinitoriali hactenus expressa, describantur, & in acta per ordinem gerantur per Actuarium Capituli Generalis præteriti. Sunt alia etiam multa in eodem Capitulo Diffinitoriali agenda, vt electio noui Actuarij, & Scrutatorum Diffinitorialium, Vicarij Generalis, Prioris Abbatiæ S. Spiritus, Procuratoris Generalis in Vrbe, Abbatum Conuentualium, Priorum, & Vicariorum, de quibus infra suo loco.

## De prima die Capituli Generalis. Cap. IX.

§. I.



Eria quinta, quartam Dominicam post festum Resurrectionis Domini immediatè præcedente, mane post Primam, per Priorem Abbatiæ cantetur Missa de Spiritu sancto ad implorandum diuinum auxilium, cum oratione de S. Benedicto, & cum commemoratione pro Congregatione, in qua qui antea non celebrauerint, Sanctissimum Domini nostri Corpus recipiát quotquot Capitulo Generali interesse debent, vt corde mundi, Deoque, ac proximo reconciliati pacificè procedant in omnibus.

§. II.

EXpletis sacris, pulsetur statim ad Capitulum, ad quod omnes conueniant, qui votum in eo habent actiuum, & in proprijs locis dispositi stent, aut sedeant, inde non egressuri absque licentia Præsidentis, & ex causa vrgentissima. Tunc Prior Monasterij S. Spiritus, qui Missam cantauit, Hymnum, Veni Creator Spiritus, indutus Pluuiali, & accensis cereis, incipiat alta voce, quem omnes prosequantur. Et finito Hymno dicat versum, Emitte Spiritum tuum,

tuum, &c. Dominus vobiſcum, &c. & deinde orationes, Deus qui corda fidelium: Actiones noſtras: & aliam, Domine Deus omnipotens, qui nos ad principium huius diei, &c.& ſimiliter Collectas de Sanctis Benedicto, & Petro Cæleſtino.

## §. III.

DEindè à Lectore Capitulari recitentur in ſcriptis nomina omnium principalium Benefactorum viuorum, initio facto à Sũmo Pontifice, Illuſtriſſimo Cardinali Protectore, Regibus, aut etiam Principibus, alijsque ordinatè; pro quibus nominatis ſingulatim humiliter Domino ſupplicetur dicendo Kyrie eleiſon, cum oratione Dominica ſubmiſſa voce dicta, & cum orationibus pro Papa, Deus omnium Paſtor, &c. pro Regibus, Quæſumus Omnipotens Deus, &c. pro Illuſtriſſimo Protectore, Omnipotens ſempiterne Deus miſerere, &c. & pro cæteris Benefactoribus, Omnipotens ſempiterne Deus poſtulationes noſtras, &c.

## §. IV.

EXpletis his ſtatim idem Lector recitet nomina Fundatorum, & principalium Benefactorum mortuorum Congregationis noſtræ, quorum nomina Præſidentes locorum duxerint ſpecialiter commendanda. Quibus omnibus nominatis dicantur pro illis congruentes orationes ſuper, Inclina Domine, &c. Omnipotens Deus cui nunquam, &c. Fidelium Deus, &c. Præmiſſis prius Kyrie eleiſon, & oratione Dominica.

## §. V.

REcitentur deinde nomina Monachorum noſtrorum defunctorum à proximo præterito Generali Capitulo, vſque ad præſens, prout per Viſitatores eorum nomina conſignabuntur in ſcriptis, pro quibus fiant preces ſicuti conſuetum eſt in Capitulo quotidiano. Quibus peractis dicta Tertia, cantetur Miſſa de die ex more à Conuentualibus Monaſterij.

## §. VI.

EAdem die dicta Nona conueniat in Diffinitorium Abbas Generalis cum Coabbatibus ſuis, ac cæteris Patribus Diffinitorialibus; ibique præmiſſis præcibus præmittendis ex more, iuxta

præscriptum in his Constitutionibus modum, & formam, Primò eligant Actuarium Capituli pro agendis, tum in Capitulo Generali, tum in Diffinitoriali, virum scilicet fidelem, ac probum, qui acta omnia in eis facienda fideliter, districtè, & appositè describat.

## §. VII.

EAdem die post Vesperas, facto signo, ad Capitulum Generale conueniant omnes, qui votum habent; ad quod ingressi disponantur in proprijs locis. Tunc Lector recitet petita benedictione à Præsidente, ex Constitutionibus partem, aut partes, in quibus agitur de officio Scrutatorum, super quibus fiat breuis sermo à Præsidente. Quo peracto Scrutatores præteriti triennij, vel alij in locum deficientium subrogati, cum assistentia Prioris Abbatiæ ad mensam scrutinij accedant; ibique in dicta electione facienda nouis Scrutatoribus vota primo per schedulas, & deinde per fabas recipiant, & scrutentur, secundum formam superius traditam; eosque in Scrutatores publicent, in quos maior pars Capituli consenserit.

# De secunda die Capituli Generalis. Cap. X.

## §. I.


Eria sexta de mane pulsetur ad Capitulum, ad quod omnes conueniant, & cum silentio ibi per ordinem stent: & dicta Prima, Lector petat in medio Chori à Præsidente benedictionem, quē Præsidens benedicat, prout de Capitulo quotidiano dictum est, legatque Martyrologium, ac vnum ex Regula, alterum ex Constitutionibus Capitulum conformiter ad agenda; dictisque ijs, quæ de mane dicuntur in Capitulo quotidiano, Præsidens competentem sermonem faciat, aut fieri mandet super ijs, quæ lecta sunt.

## §. II.

QVibus expletis, cantetur Missa de Trinitate per Decanum Abbatiæ cum oratione de Spiritu sancto, & de Sancto Petro Cælestino, omnibus tam votum in Capitulo habentibus, quàm non haben-

habentibus, ad eam aſſiſtentibus. Qua peracta, omnes, & ſinguli, qui in eo votum non habent, exeant, claudanturque ianuæ Capituli, vt nullus ingrediatur, nulluſue exeat.

## §. III.

TVnc Scrutatores electi accedant cum Actuario ad mēſam ſcrutinij pro electione quatuor Viſitatorum Generaliū, ibiq. vota ſecundum formam ſuperius traditam recipiant, & ſcrutentur, eoſq. in Viſitatores Generales publicent, in quos maiorem partem Capituli Generalis repererint conſentire. Qui tamen ante præteritorum Viſitatorum renunciationem, officij locum non teneant.

## §. IV.

EOdem die, facto ſigno, hora competenti conueniant Electores ad Capitulum Generale, ſedeantque per ordinem cum ſilentio: deinde facto ſigno à Præſidente, legatur à Lectore capitulum Regulæ cum capitulo Conſtitutionum, de eligendorum qualitate, & forma eligendi; ſuper quibus fiat ſermo competens, vt ſupra. Quibus peractis exeant, qui locum non habent, & claudatur Capitulum.

## §. V.

TVnc Scrutatores cum Actuario accedant ad mēſam ſcrutinij, votaque exquirant, vt ſupra, pro electione quatuor Diffinitorum, eoſque Diffinitores pronuncient, in quos ſimiliter maiorem partem totius Capituli inuenerint conſentire: qui tamen loco, & officio non ſe ingerant ante præteritorum renunciationem.

# De tertia die Capituli Generalis. Cap. XI.

## §. I.



DIe Sabbati mane dicta Prima, & facto ſigno, conueniant Electores ad Capitulum, ibique lecto Martyrologio, legatur capitulum Regulæ cum capitulo Conſtitutionum ſuper electione Abbatis Generalis, ſuper quibus fiat ſermo vt ſupra. Deinde cantetur

Missa de B.Maria Virgine,cum commemoratione de Spiritu sancto, & pro Congregatione: qua completa exeant de Capitulo, qui locum non habent, & claudatur Capitulum.

## §. II.

EXpletis sacris,Abbas Generalis, qui completo triennio renunciare debet, iuxta D.Petri Cælestini Institutoris nostri Bullã, facto sermone competenti in medio surgat, & renunciet expresse oneri,& officio Præsidentatus Congregationis nostræ, & Abbatiatus S. Spiritus, quod per triennium egit. Sigilla autem Religionis, melotem, aliaque iura, quæ ad Abbatiatus S. Spiritus per dictam Cælestinam pertinere noscuntur, deponens omnia prædicta in loco aptato, ad id in medio Chori; Tunc prostratus ante pedes Patrum existentium in Capitulo errores suos de more, si quos commiserit, ibidem accuset, redeatque ad sedendum in loco, siue sede immediatè posita post antiquiorem Coabbatem.

## §. III.

CAeterum si Abbas Generalis renunciaturus præsens esse nequeat, graui detentus infirmitate; per Procuratorem idoneũ ab eodem specialiter ad id deputatum,& legitimè constitutum, renunciare omninò teneatur: & post renunciationem per eundem Procuratorem canonicè factam, Capitulum ad alterius Abbatis Generalis electionem procedat, vt infra.

## §. IV.

POst prædictam renunciationem,Capituli regimen, & illius cura ad Coabbatem antiquiorem omnino deuoluatur, vsque ad nouam creationem, & prouisionem noui Abbatis Generalis. qui quidem Coabbas statim omnibus adstantibus Capituli silentium indicet, & legi faciat capitulum Regulæ de ordinando Abbate,cum capitulo Constitutionum conformi, super quibus fiat per ipsum, aut per alterum sermo de qualitatibus Abbatis. Quo facto exeant, qui votum non habent, & claudatur Capitulum.

## §. V.

SCrutatores itaque cum Actuario accedant ad mensam scrutinij, vt vota pro Abbate Generali nouo creando recipiant, & scruten-

ſcrutentur, omniaque diligentiſſimè perficiant, iuxta formam ſuperius traditam. Omnibus verò peractis, eum in Abbatem S. Spiritus, & Præſidentem Ordinis, & Congregationis noſtræ pronuncient per verbum *Eligo*, in quem duæ integræ partes Capituli vnanimiter, & conformiter conſenſerint: mox verò Scrutatores prædicti ad electũ accedant, rogantes eum, vt electioni de ſe factæ ſuum præbeat aſſenſum: Quo per eum præſtito, pro electo habeatur, & ad locum ſibi competentem per eoſdem ducatur; ibique omnes Electores ordinatè, vt ſupra ad electum ſigillatim accedant, eique genibus flexis reuerentiam exhibeant, & obedientiam præſtent.

## §. VI.

HIs peractis, ianuæ Capituli aperiantur, & accenſis cereis ad Altare maius ordinatè procedatur, ibique Prior Abbatiæ Pluuiali indutus intonet, Te Deum laudamus, &c. campanis pulſatis, & organo; & in fine orationem conſuetam recitet, pro gratiarum actione.

Abbas autem Generalis electus ante idem altare, ad ſancta Dei Euangelia iuramentum præſtet, iura Abbatiæ S. Spiritus, quæ ſibi regenda committuntur, & totius Congregationis tueri, & illæſa conſeruare, Regulam S. Benedicti, & Conſtitutiones noſtràs ſeruare, & ſeruari facere, & in fine triennij ſe renunciaturum oneri Præſidentatus, & Abbatiatus S. Spiritus, iuxta formam in his Conſtitutionibus expreſſam.

## §. VII.

QVi quidem ita canonicè, & in concordia electus, eo ipſo ſuæ adminiſtrationis officium, ſeu ius adminiſtrandi in temporalibus, & ſpiritualibus conſequatur, dictumque officium tanquam Pater, & Generalis Abbas, prout ad eum pertinet, liberè exequatur. Studeat tamen cumprimùm ſuæ benedictionis munus a quocumque maluerit Catholico Epiſcopo, gratiam, & communionem Apoſtolicæ Sedis habente, recipere, ſi aliter non extiterit benedictus.

## §. VIII.

QVod ſi fortè contigerit, electum in Abbatem Generalem haud eſſe præſentem, fiet decretum electionis per Iudicem,

Notarium, & testes, sigillis, & subscriptionibus eligentium, prout iuris est, roboratum; transmittantque per specialem Procuratorem huiusmodi decretum, & eidem sic electo intimetur infra tempus congruum: Qui legitimè præstito consensu, pro electo reputetur, eique reuerentia, & obedientia ab omnibus præstetur.

## §. IX.

OMnibus, singulisque expletis, dato signo, conueniant ad prandendum, simulque reficiantur in Refectorio Abbas Generalis electus, Patres omnes votum habentes, cum alijs, tam hospitibus, quàm Conuentualibus, adhibita lectione ad mensam, secundum consuetudinem. A prandio autem, siue è Refectorio exeāt processionaliter ad Ecclesiam eundo, cantantes gratiarum actiones ex more.

## §. X.

QVibus peractis, Abbas Generalis sedeat in sua sede, singuliq. Officiales præteriti triennij propria officia ordinatè renuncient, & sigilla, & commissiones officiorum resignent, omni qua decet humilitate. Renunciantes autem vnus post alterum in medio Chori consistant, ac de negligentijs in propriorum officiorum exequutione commissis, prostrati ante Abbatem Generalem, culpam de more dicant.

## §. XI.

SI autem qui in Abbatem Generalem electus fuit, præsens non fuerit; tunc non renuncient dicti Officiales, sed reuertantur ad sua Monasteria (si longe adsit idem electus) peracturi curam, & administrationem eorundem locorum in temporalibus, & spiritualibus, vt antea, quousque de renunciatione, seu noua Officialium prouisione fuerit per nouum Abbatem Generalem electum, prouisum, & canonicè dispositum.

## §. XII.

EOdem die Sabbati post Vesperas, dato signo, ad Capitulum conueniant Abbas Generalis electus cum Abbate, qui renunciauit, & alijs Coabbatibus, Visitatoribus, & Diffinitoribus in Diffinitorio cum Actuario, in quo secretè, & remotis arbitris iurent singuli

guli se ea, quæ per ipsos secretò tractantur, non reuelaturos, in hanc formam videlicet.

Testem inuoco Iesum Christum, qui est sapientia æterna, quod ego D. N. de his, quæ in hoc sacro Diffinitorio tractantur, & concluduntur, nihil prorsus vnquam reuelabo personis, quæ de gremio eiusdem Diffinitorij actualiter non sunt, absque Abbatis Generalis, siue eiusdem Diffinitorij expressa licentia.

## §. XIII.

DEinde pro votorum dispositione, atque scrutinio, pro his videlicet rebus, & causis, quæ in Diffinitoriali Capitulo per Patres tractanda sunt, communi inter se voto eligant de ipsis duos Scrutatores, qui vota Patrum aliorum recipiant: & nihilominus etiam alter alterius ipsorum Scrutatorum votum recipiat, & è contra; seruata ad vnguem forma electionis in dandis, & recipiendis votis, & in publicatione electorum Scrutatorum, quæ supra.

## §. XIV.

POstea constituatur Vicarius Generalis totius Congregationis ad Abbatis Generalis arbitrium, de Capituli Diffinitorialis consilio, ac beneplacito: & iuxta ipsius Congregationis Constitutiones, & antiquam consuetudinem, Abbati, qui proximè renunciauit, hoc officium absque aliqua contradictione conferendum est; dummodo ipse fidelem de sua administratione rationem reddiderit, & ab ipso Diffinitoriali Capitulo tunc elapsi triennij ibidem probatus inuetus fuerit, aliudue non obstet canonicũ impedimentũ.

Sin autem mors intercederet, constituatur vnus ex Coabbatibus antiquioribus, siue præsentes sint in ipso Diffinitoriali Capitulo, siue absentes: in defectum autem ipsorum constituatur alius ad arbitrium eiusdem Abbatis Generalis, qui officium huiusmodi conferre poterit, aut Generali Procuratori, aut Priori Abbatiæ, vel alteri, prout melius iudicabit.

## §. XV.

POstmodum eligatur Procurator Generalis in Romana Curia, cum potestate ad arbitrium ipsorum Patrum, iuxta temporis,

& agendarum rerum conuenientiam, & rationem dilatanda, vel restringenda, præstito per eum iuramento ad sancta Dei Euangelia, quòd fideliter, & diligenter commissa, & committenda sibi Congregationis negocia iuxta sui mandati limites, & continentiam exequetur, & tractabit. Eligantur etiam, si opus fuerit, duo, vel tres alij Procuratores Prouinciarum cum simili, aut limitata potestate, qui tamen votum actiuum non habeant in Capitulo Diffinitoriali.

## §. XVI.

SVccessiuè prouideatur in ipso Diffinitoriali Capitulo de Priore Abbatiæ, quem iuxta Regulæ dispositionem Abbas Generalis cum consilio Patrum Deum timentium eligat, atque deputet: qui sicut cæteris omnibus Prioribus est maior, ita magis debet esse sollicitus in obseruantia præceptorum Regulæ, ac disciplinæ Regularis, rectitudine insignis, & conspicuus. Et ex tunc sic electus, sub regimine, ac obedientia eiusdem Abbatis Generalis pro eo, ac ipsius vice, iuxta Regulæ tenorem, ipsius Abbatiæ curam, & sollicitudinem suscipiat; & nihilominus cum cæteris in ipso Diffinitoriali Capitulo tunc, & quandocumque, aut vbicumque aliàs congregando, ad omnia, & singula peragenda interueniat, atque in omnibus, vt cæteri votum habeat.

# De quarta die Capituli Generalis. Cap. XII.

## §. I.

DIe Dominico manè quiescant simul omnes à negocijs, & prout par est, deuotius diuinis interesse studeant, omnesque celebrent, si possibile est. Post Nonam ergo conueniant Abbas Generalis, & cum eo Patres omnes, qui in Diffinitoriali Capitulo votum habent; ibique inuocato diuino auxilio pro agendis in præsenti sessione, exequantur, quæ sequuntur.

Primò Abbas Generalis, qui proximè renunciauit, & cæteri Coabbates eligant sibi Monasteria pro Abbatiatus officio, siue residentia, de consensu tamen, ac beneplacito Capituli Diffinitorialis, qui suum in hoc assensum, & beneplacitum præstare teneatur, nisi

præ-

prædicti Coabbates tali se re indignos, ob malè actam ipsorum vitam reddiderint, declaratione,& sententia super id præcedente.

Quòd si Coabbas aliquis propter senium, aut aliquod aliud impedimentũ naturale, Monasterij per ipsum electi regimen exercere nequiuerit, siue recusauerit, liberum illi sit tres monachos idoneos nominare tẽpore Capituli Generalis Capitulo Diffinitoriali, quod eligat per vota secreta alterum ex nominatis in Priorem suffraganeũ eiusdem Monasterij; qui Prior Monasterium administret, sub obedientia tamen ipsius Coabbatis,& non aliter, nec alio modo.

## §. II.

DEinde pro cæteris ipsius Capituli Patribus Diffinitorialibus, videlicet, pro Visitatoribus Generalibus primò; deinde pro Diffinitoribus;eligantur Monasteria singula pro singulis,competentibus prouisa redditibus, prout officio,& qualitatibus vniuscuiusque ipsorum congruit, & expedit,& sigillatim pro vno quoque recipiantur vota per schedulas, & secreta suffragia secundum formam traditam superius.

## §. III.

POstea eligantur Abbates Conuentuales aliorum principalium Monasteriorum, iuxta eandem formam, & modum; Deinde eligãtur pro aliorum Monasteriorum minus principalium regimine, Priores eodem modo, & forma. Vltimò pro paruorum Monasteriorum cura deputentur Rectores, siue Vicarij,de communi consilio omnium Patrum Diffinitorialium, & simili modo deputentur Confessarij pro Monialibus.

## §. IV.

MOnasteria, quæ prædictis publicis Officialibus in residentiã, & administrationem conferuntur, intra propriorum officiorum ditionem consistant,nec permittantur extra Quarteria morari, nisi ex probata, & euidenti necessitate, aut magna vtilitate Congregationis, & ex speciali indulgentia totius Capituli Generalis in scriptis exprimenda; vt sic ad singula, quæ in dies occurrunt negocia per ipsos tractanda, & terminanda prædicti Patres Diffinitoriales faciliùs conuenire possint ad Abbatis Generalis mandatum.

Patribus

## §. V.

PAtribus Diffinitorij in Abbates electis propria Monasteria, siue ad fauorem, siue liberè resignare omninò prohibemus, cùm renunciationes huiusmodi ad multiplicanda vota fieri, vt plurimum compertum sit. Cæteris autem Abbatibus, & Prioribus liberè Monasteria propria ex causa legitima, a Capitulo tamen Generali, seu Diffinitoriali probata, renunciare permittimus; declarantes tamen, eos, & ipsorum quēlibet cum Monasterij resignatione votum amittere, quod habebant in Capitulo Generali.

## §. VI.

SI cessio, aut renunciatio extra tempus Capituli Generalis fieri contingat, id solum fiat in Capitulo Annali, causa tamen legitimè ab eodem Capitulo, vt supra, approbata; & tunc per Patres Diffinitoriales prouideatur de altero officiali modo quo supra. At vero in casu vacationis Prælaturarum per obitum, vel aliàs quomodocumque, siue etiam in casu mutationis Prælati, ex causa tamen legitima, infra triennium, & extra tempus Capituli Annalis, prouideatur de Abbatibus, vel Prioribus respectiuè per Abbatem Generalem cum Patribus Diffinitorialibus illius Quarterij, & Abbate Monasterij, in quo reperietur ipse Abbas Generalis.

## §. VII.

ELectionibus igitur absolutis supradictorum Officialium, fiat publicatio per Actuarium, confecta nota omnium electorum Officialium prædictorum, affixa tali nota ad parietem, vt moris est, vt electis consignari possint commissiones propriorum Officiorum per Abbatem Generalem, nec non inuentarium prout infra, & opportuno tempore dimitti ad propria loca.

## §. VIII.

EOdem die Commissiones, vel, vt vulgò dicitur, Patentes expediantur pro collatis, ac distributis officijs, quæ expressam omninò continere debeant propriorum officiorum facultatem, iuxta concessa Congregationi nostræ priuilegia, & Constitutionum harum formam; pro quibus Commissionibus ritè conficiendis, habeatur seorsum formularium, ad cuius formam in eodem præscriptam

pro

pro cuiuscumque, & singulorum officiorum qualitate, siue publicorum, siue priuatorum, fiant dictæ Patentes, aut Commissiones: nec vltra formam præscriptam facultas aliqua specialis tribuatur alicui, nisi de mandato speciali Capituli, & ex causa legitima, vt supra, formulaq. renunciationis in calce harum Constitutionum ponatur.

## §. IX.

COmmissiones prædictæ Actuario Capituli consignentur, qui iuxta distributionem Officiorum in Capitulo Diffinitoriali factam, personarum, quibus collata sunt officia, & Monasteriorum nomina in ipsis apponat, easque per Abbatem Generalem subscribi faciat; quæ postquam subscriptæ fuerint, registrentur, nota in eis apposita foliorum ipsorum registri, & sigillatori consignentur, vt maioris sigilli impressione muniantur, & sic munitæ ab eodem Abbate Generali gratis scriptæ consignentur, vt infra.

## §. X.

QVòd si facta prædictorum Officialium publicatione remanserit aliquod Monasterium obligatum in summa aliqua soluēda pro oneribus, & taxis consuetis præteriti triennij; In tali casu Actuarius habita nota prædicti Monasterij per Depositariū Quarterij, non signet, neque describat in literis patentibus nomen Officialis electi pro tali Monasterio obligato, sed reijciat quousque per eundem electum fuerit prædicta summa integrè soluta. Idem similiter fiat in casu non solutionis taxæ debitæ Abbati Generali: Prima tamen vice electus habeat tempus duorum mensium ad soluendas taxas, de quibus supra. quòd si in solutione vltra dictum terminum fuerit contumax, pœnam priuationis ipso facto incurrat.

## §. XI.

IN ipsarum literarum expeditione pro forma, registro, sigillo, & consignatione nihil omnino persoluere Officiales teneantur, neque Firmatores, Registratores, vel Signantes tale aliquid exigere audeant; Contrafacientes, tam dantes, quàm recipientes, ad ipsius Diffinitorialis Capituli arbitrium, pœnam sustineant grauioris culpæ.

§. XII.

HAs ergo patentes literas sic munitas, firmatas, & registratas, Actuarius Capituli Abbati Generali consignet in eodem Diffinitoriali Capitulo, qui eas sigillatim singulis distribuat: Primò Patribus Diffinitorialibus; Deinde alijs, tam Abbatibus, quàm Prioribus coram ijsdem Patribus; horteturque singulos eorum, vt iuxta commissa sibi officia benè, & fideliter se gerant, tanquam Christo Domino de sibi commissis, & creditis, rationem reddituri. Patentes verò pro Rectoribus, seu Vicarijs Monasteriorum, Granceriorum, consignet Abbatibus eorum Monasteriorum, quibus dicta Granceria fuerint vnita.

# De quinta die Capituli Generalis. Cap. XIII.

§. I.

FEria secunda fiat distributio Subditorum, & Familiarum deputatio pro singulis Monasterijs, & locis nostræ Congregationis. Pro deputatione autem monachorum in vno quoque Monasterio ritè facienda. Primò considerentur facultates locorum, deinde ordinariæ reparationes emergentes necessitates, & indigentiæ pro victu, & vestitu, nec non communia seruitia pretio comparanda; deinde communia, & particularia ipsorũ locorum onera, & grauamina: fiatque de his omnibus supputatio, vt inde appareat quota pars facultatum pro supradictarum rerum impensa veniat applicanda, & quota remaneat. Iuxta ergo remanentis partis quantitatem, numerus personarum, & familiarum in Monasterijs singulis constituatur, & deputetur ad præscriptum Sacri Concilij Tridentini.

§. II.

ATtendantur etiam in Familiarum deputatione, Subditorum qualitates, considerentque Patres Ecclesiarum onera, populorum qualitates, deuotionem, & frequentiam; & tales in Monasterijs personas collocent, quæ prodesse possint, & ædificent; statuantque

tuantque Patres prædicti, vt vbi cura imminet animarum, de idoneis Confessarijs; Rectoribus, & Curatoribus prouideatur, iuxta sacrorum Canonum, & sacri Concilij dispositionem.

## §. III.

DE huiusmodi distributione familiarum, ac personarum, in vnoquoque Monasterio, vel loco dispositarum fiat per Actuarium Capituli Registrum, & nota inter acta Capituli conseruanda, numero, nominibusque sigillatim appositis Monachorum deputatorum pro vnoquoque Monasterio.

## §. IV.

ABsolutis ijs, quæ ad nostræ Congregationis, Monasteriorumq. regimen faciunt, tam circa electiones Prælatorum, & Officialium, quàm circa Subditorum, Familiarumque distributionem, reliquum est, vt alia Congregationis, & Monasteriorum negocia, & causas, tam in genere, quàm in specie occurrentia, pertractentur.

## §. V.

IDcirco feria tertia, & vlterius, si opus fuerit, Abbas Generalis, cæterique Diffinitoriales Patres de more conueniant in Diffinitorium pro temporis opportunitate, & quascumque ad ipsum Capitulum transmissas literas, vel scripturas, nunciosque audiant; vt de contentis in eis, & narratis simul per ordinem tractent, & prouideant, prout opus fuerit.

Primò tractent de admittendis ad habitum, & professionem, & de promouendis ad ordines; attendentes summopere, vt admittantur ad habitum Nouitij in quolibet Quarterio, iuxta numerum deficientium per mortem, aut quomodolibet, quorum numerum apud se habeant, ex matricula notatum, & nonnisi præhabita approbatione a Capitulo Monasterij illius Ciuitatis, Diæcesis, aut Prouinciæ, vbi ijdem recipiendi morantur, & nisi plenè constiterit de eorum requisitis, prout supra dictum est de qualitatibus recipiendorum ad habitum. Et similiter idem seruent de admittendis ad professionem, & de prmouendis ad ordines: Pro quibus sic admittendis licentiam in scriptis tribuant, & consignent, aut consignari faciant Præsidentibus locorum, vbi admittendi, aut promouendi commorantur.

Admis-

Admiſſorum autem ad habitum, & profeſſionem ætas, & tempus adnotetur in matricula,& inter acta Capituli; vt ex eadẽ matricula, quæ ſeruari debet in depoſito Abbatiæ ſancti Spiritus,aut etiam eorum Monaſteriorum, vbi admittuntur, & promouentur monachi prædicti, admittendorum, & promouendorum ætas requiri poſſit, & inde inſpici, an profiteri, & promoueri valeant ad dictos Ordines.

## §. VI.

CIrca petitiones, quæ fieri conſueuerunt pro participatione ſuffragiorum,& pro literis familiaritatis amicis,& benefactoribus concedi ſolitis, attendant petentium conditionem, & meritum; & ſic per Capitulum, aut etiam infra triennium per Abbatem Generalem concedantur, prout res poſtulat; Quorum nomen ſimiliter deſcribatur in matricula ſimiliter ſeruanda.

## §. VII.

INquirant inſuper de fugitiuis, rebellibus, & Apoſtatis, ſi qui fuerint: & quos Viſitatores, quorum intereſt, tales pronunciauerint, Abbas Generalis cum ceteris Patribus Diffinitorialibus excommunicatos declaret, & pro excommunicatis haberi mandet in ſingulis Monaſterijs, & locis, & vt tales vitentur in dictis locis vbi conſiſtunt: Quorum abſolutio reſeruata ſit Capitulo Generali, vel Annali, ſiue etiam Abbati Generali.

## §. VIII.

IN eandem excõmunicationis pœnam incidiſſe declarentur illi, qui aliàs cum licentia obtenta commorati ſunt extra clauſtra, & obedientiam, ſed in præſcripto tempore non ſunt reuerſi; Quorum abſolutio ſpectet ad Abbatem Generalem.

Eos vero fugitiuos, & Apoſtatas, qui ad clauſtra pœnitentes redierunt, Apoſtatis quidem habitum reſtituant, ſed eos ad officia omnia,& ad omnes actus legitimos perpetuò inhabiles,& ad locum vltimum poſt profeſſos deputent, etiam ſi alias pœnas corporales inſtituerint condignas ab Abbate Generali eiſdem inflictas in eorundem reditu.

Fugitiuos verò ad clauſtra ſimiliter reuerſos, qui habitum non abiecerunt,inhabiles ad officia per tres annos declarent, & ad actus omnes legitimos per tres mẽſes a die reditus eorum, etiamſi aliàs

ab

ab Abbate Generali, cùm redierunt, corporali, pœna fuerint condignè puniti. Cum his verò caueant dispensare, nisi condignè eos pœnituerit & indubiam omnibus emendationis spem præbuerint. Cum apostatis autem nullatenus quoad dictas pœnas dispensare præsumant. In reliquis quoad fugitiuos Apostatas eiectos, siue eijciendos, seruentur decreta sacræ Congregationis Concilij nuper edita iussu S. D. N. Vrbani Papæ VIII. sub datum Romæ die 21. Septembris M.D.D.XXIV.

## §. IX.

DE fabricis maioris momenti consilium inter se ineant Patres: & si de commodo, & vtilitate, & necessitate constiterit, habita prius de modo ipsarum ratione, & informatione, & de pecuniarum summa, pro fabricarum huiusmodi opere licentiam impendant, attendantq. ne quid ad luxum, aut superfluitatem in fabricis permittant, neuè vltra Monasteriorum vires magnas, aut non necessarias fieri sinant. Et quæ de fabricis supra decreta sunt, obseruari mandent.

## §. X.

DE locationibus insuper vltra triennium, permutationibus, aut venditionibus forsan faciendis tractent, vocatis, & auditis ijs Officialibus, qui instant, petuntq. super his facultatem: super quibus maturè, & diligenter inquirant, an conferant, & in euidentem Monasteriorum vtilitatem cedant et si de vtilitate constiterit, assensum in forma prebeant; instrumenta fieri mandent, & aliàs fortè confecta in casibus, & cum reseruationibus, de quibus supra, signent, & firment cum debitis subscriptionibus, prout de iure, seruatisque seruandis ad vnguem in his omnibus, quæ superius de locationibus, & permutationibus decreta fuerunt in cap. 18. lib. 1. §. 20.

## §. XI.

LItium etiam iura mouendarum, aut aliàs motarum, de consilio Peritorum, prout opus fuerit, pertractent, & diutius examinent: & vbi constiterit de bono iure Monasteriorum nostrorum, habitaq. maturiori deliberatione, committant, & mandent Officialibus, & Procuratoribus, vt eas aggrediantur, aut prosequantur,

eo lo-

eo loco, ac tempore, cùm & vbi vtilius mouendæ videbuntur: super hoc licentia in scriptis data. Cœptarum etiam, siue motarum merita inter se, & de consilio Peritorum tractent, & de prosequutione, vel determinatione, aut concordia, & transactione, prout expediens magis fuerit, deliberent, seruatis de iure seruandis.

## §. XII.

INter alia verò præcipua consideratio à Patribus Diffinitorialibus circa studia habeatur, vt scilicet in locis deputatis neque Lectores, neque lectiones desint pro studentium eruditione, & capacitate. Idcircò designent, deputentq. Lectores pro studiorum prouisione in singulis Quarterijs; Licentiatos in Philosophia, & Theologia, idoneosque, prout supra de studijs decretum fuit. Quibus tam de victu opportuno, quàm vestitu abundè per Abbates prouideri curent, & serio mandent, vt nulla rei perturbatione, vel defectu à proprio munere interpellentur vel distrahantur.

## §. XIII.

INsuper in omnibus locis, quæ per Abbatem reguntur, prouideatur de Lectore sacræ Scripturæ, vel conscientiæ casuum, iuxta sacri Concilij Tridentini decreta, qui per hebdomadam bis saltem, aut Scripturam sacram, aut conscientiæ casus explanet. Demum notam habeant apud se eorum, qui nouiter ad studia fuerint transmittendi, aut ad superiores facultates prouehendi; vt eos in classes has, aut illas designent, iuxta studentium prædictorum capacitatem, & ad illas facultates distribuant, & deputent eos, transmittantq. ad studia deputata in proprijs quarterijs, si fieri omnino possit.

## §. XIV.

BIbliothecas item necessarias in ijsdem studijs, aut Monasterijs instruant, & opportunis, approbatisq. libris restaurent, & locupletent; & talibus, alijsq. Lectorum, ac studentium necessitatibus prouidè, & paternè omni sollicitudine consulatur, non solùm de peculiaribus Monasteriorum, vbi studia vigent, facultatibus, sed etiam de communi ære.

## §. XV.

CAusas omnes ad ipsum Generale Capitulum quomodolibet relatas, aut ipsius deliberationi, ac terminationi reseruatas, omnesq. alias olim cœptas, & non terminatas, ac etiam nouas, & tunc incœptas, sed non cognitas, in ipso Capitulo Patres communi terminent voto, seruatis de iure seruandis, iuxta stilum Congregationis, & adhibito (si opus fuerit) sapientum consilio, caueantq. ne causæ diutius protrahantur. Decreta verò in ipsarum terminatione causarum facta, inter acta Capituli describantur, ac eorum executio (si opus fuerit) committatur. Quæ verò in ipso Capitulo terminari non poterunt, committantur infra præfigendum, ac tunc exprimendum ab eis terminum expediendæ.

## §. XVI.

POst hæc exhibeantur, vt dicitur, Memorialia, iustitiam, vel gratiam in reliquis concernentia: & si quæ vertunt differentiæ, aut petitiones offeruntur, tam pro Monachis, quam pro laicis, eas audiant, ac ex iustitia summariè terminent. In primis verò porrectas de non traditis vestimentis subditis reclamationes, omni qua decet, audiant charitate, ac debitores realiter, & personaliter ad satisfactionem cogant, omni mora postposita; & nihilominus pro modo culpæ iuxta harum Constitutionum edicta, corrigant, & castigent. Quòd si fortè in ipso Capitulo ad ipsa officia electi fuerint, eorum electio nulla sit, & per triennium sequens officijs omnibus priuati existant.

## §. XVII.

HViusmodi autem Memorialia Capitulo exhibenda, consignentur Visitatoribus modernis, qui si eorum aliqua iudicauerint non admittenda, reijciant, neque Capitulo exhibeant; sed pro lectis habeantur, & vacuis omni gratia, aut effectu. In concernentibus autem gratiam, si quas fortè remittendas esse pœnas, aut prorogandas, aut concedendas res, vel denegandas, vel habilitandas personas, aut item de gradu tollendas ex causa rationabili iudicauerint, remittant, prorogent, concedant, denegent, & habilitent, ac de gradu tollant respectiuè: hac tamen habita consideratione, vt nullum indè sequatur incommodum, & inconueniens,

nulla fiat illis iniuria, nullaq. præbeatur iterum delinquendi, aut conceſſis abutendi, aut contra iurium, & Conſtitutionum diſpoſitionem patrandi occaſio; ſed ſalua remaneat, & incorrupta regularis vitæ diſciplina, & honeſtarum, ac laudabilium actionum exemplum, & iurium ſancita ſeruentur.

## §. XVIII.

PEractis, expletisq. præmiſſis, alijsq. forſan occurrentibus cauſis, vel negotijs, exhibeantur litteræ ipſi Capitulo directæ, quibus lectis conſiderentur in eis contenta, & prout expediens fuerit reſpondendum committant, aut Abbati Generali, ſiue Actuario pro parte ipſorum; & ſucceſſiuè cauſarum commiſſiones, & ſcripturas aliàs per ipſos decretas fieri mandent, quæ antequam ſignentur, per Reuiſorem reuideantur, prout ſupra de litteris patentibus eſt ordinatum.

## §. XIX.

POſtremò tractetur in ipſo Capitulo de Reformatione morum; & Deum in primis præ oculis habentes, ac Regulæ inſtituta, iuriumque in Regularibus diſpoſitionem attendentes, ea ſtatuant, mandent, & decernant, quæ Deo optimo maximo placita ſint, & proximum ædificent, quæuè ad ipſius Congregationis augmentum, & conſeruationem Regulæ, Statutorum obſeruantiam, & indemnitatem, ac diuinum in primis cultum facere, & ſpectare dignoſcentur, & quæ in præmiſſis opportuna, & neceſſaria eſſe videbuntur: caueantq. ne in reformatione huiuſmodi à Patrum ſemitis deuient, aut à via veritatis aberrent, aut quod ſtatuunt non ſit contra Deum, & B. Benedicti Regulam, & Canonica Inſtituta. Si item honeſtum, iuſtum, poſſibile, ſecundum naturam, & conſuetudinem Patriæ, loco, & tempori conueniens, neceſſarium, vtile, manifeſtum, & pro communi vtilitate ſtatutum, quod duxerint terminandum: ſcientes quod de his, & commiſſo ſibi grege in extremo iudicio ſunt Chriſto Domino rationem reddituri.

Statuta verò per ipſos Diffinitoriales Patres, pro reformatione, aut aliàs facienda, niſi per Capitulum Generale comprobata fuerint, non obligent; comprobata verò ab omnibus obſeruentur ſub pœnis in eis comminatis, & contentis: nullusq. ipſa immutare, aut etiam moderari, aut addere, vel detrahere poſſit, & audeat.

Die

## §. XX.

DIe immediatè ſequenti poſt prædictorum executionem, de mane conueniant omnes, qui in ipſo Generali Capitulo inter fuerunt: & cantata Miſſa de ſancto Petro Cœleſtino, legantur, & publicentur quæcumque diffinita ſunt in Capitulo Generali, & in ipſo Diffinitorio, vt ſic ad ſingulorum notitiam deducantur. Poſt quorum publicationem cantetur: Te Deum Laudamus, &c. cum oratione ſanctiſſimæ Trinitatis, & cum oratione gratiarum actionis, & pro iter agentibus. Poſt quæ Abbas Generalis omnibus benedicat, & licentiam concedat illis, vt ſinguli ad ſingula ſua loca, & Monaſteria (ad quæ tam Priores, quàm Superiores, & Conuentuales Monachi deſtinati fuerint) reuertantur, niſi fortè Abbas Generalis cum Patribus Diffinitorialibus, aliqua neceſſitate, vel vtilitate vrgenti motus, voluerit dictum Capitulum prorogare.

# Cap. XIV.

## De oneribus, & taxis ſoluendis.

## §. I.

ONERA verò communia ipſius Cōgregationis in annua pecuniarum ſolutione ſanctæ ſedi Apoſtolicæ, ac Reuerendæ Cameræ tam pro quarta fructuum, & Papali cenſu, quàm aliàs; nec non eiuſdem Congregationis creditoribus pro cenſibus, & fructibus, aut ſimiliter aliàs; ac etiam Procuratoribus, & Aduocatis pro ſalario, & ſtipendio, & pro litibus, & cauſis, atque diuerſis, & paſſim occurrentibus dictæ Congregationis grauaminibus, & indigentijs, alijsq. in tempore occurrentibus debitis ſingulis annis faciendis; in eodem Capitulo, & ſingulis alijs pro tempore celebrandis, per eoſdemmet Abbatem Generalem, Coabbates, Viſitatores, & Diffinitores vna cum Priore Abbatiæ, & Generali Procuratore coniunctim, & non diuiſim in Diffinitoriali Congregatione imponantur, ac iuxta debitorum, grauaminumq. prædictorum quantitatem ipſius Congregationis Monaſterijs, & locis, habita de ipſorum redditibus, facultatibusq. ratione,

onera huiusmodi persoluenda pro rata singulis imponant, & distribuant.

## §. II.

ET vt obsolutionis dictorum moram, prædicta Congregatio damnum aliquod, expensas, & interesse minimè patiatur, & nihilominus Officiales, absque Monasteriorum incommodo, & bonorum iactura onera huiusmodi persoluere valeant; eis tempus trinæ solutionis statuant, singulis annis pro oueribus præfatis soluendis: Primæ quidem in medietate Septembris, secundæ in medietate Ianuarij, tertiæ verò in medietate Maij proximè sequentis: ita vt trina solutione huiusmodi omnes omnia dictæ Congregationis onera integraliter persoluant, & satisfaciant, in dictis mensibus, & terminis pro rata, tertiam singulis vicibus dictorum onerum partem in manibus Depositariorum (per præfatos Diffinitoriales Capituli Patres in eorum Generali Capitulo deputandorum) absque mora, & temporis interuallo, libere, & integraliter, & cum effectu, ac in pecunia numerata iusti ponderis, & valoris, vnà cum taxis, & subsidijs in Congregatione imponi consuetis.

## §. III.

EXactam prædictis temporibus infra triennium pecuniarum summam, prædicti Depositarij statim transmittant in manibus Procuratoris Generalis in Romana Curia, quam receptam absque mora dispenset pro prædictæ Congregationis debitis, grauaminibus, necessitatibus, & stipendijs, iuxta modum, & terminum à Patribus Diffinitorialibus sibi præfixum in Capitulo Generali.

## §. IV.

COntra non soluentes, aut retardantes debitam, & integram pecuniarum soluendarum summam, ita procedi mandamus. Cùm primum Abbas, Prior, aut Vicarius Grancerius primam tertiam partem, aut aliam non soluerit statuto tempore, tunc Depositarius Quarterij teneatur significare defectum prædictum solutionis Procuratori Generali in Romana Curia, cui liceat accipere, vt dicitur, ad interesse contra Monasterium, quod soluere defecerit. Quod si idem secundo defecerit, nec soluerit secundam tertiam

par-

partem, idem similiter contra eum fiat: tunc ipso facto irremissibiliter priuatus existat, & nihilominus soluere cogatur. Depositarij verò si exactam pecuniam transmittere distulerint, & Procurator Generalis receptam pecuniam si in alios vsus, quam prædictos conuertere præsumpserit, similiter Officio, quod obtinent, priuentur.

## §. V.

TEmpore autem Generalis Capituli solutio, quæ tunc vltimò debetur, in eodem Generali Capitulo fieri debeat in manibus eorundem Depositariorum, qui ante quamcumque Officialium electionem, & antequam aliquid in ipso Capitulo peragatur, tertiam ipsam tunc currẽtem impositorum onerum partem integram, & totalem, residuumque totum aliarum solutionum, si quod remanserit, a quibuscumque ipsius Congregationis Officialibus exigere teneantur; ita ut eo tempore omnes omnem sibi tangentem dictorum onerum partem, a die impositionis ipsorum in manibus præfatorum Depositariorum integrè, & cum effectu satisfecisse, ac persoluisse debeant.

## §. VI.

NE autem propter defectum solutionis huiusmodi damnum aliquod, vel interesse Congregationi eueniat, quicumque eo tempore in præfatis defecerint, & vel in toto, vel in parte debitæ per eos summæ solutionem facere neglexerint, vel recusauerint, aut quouis modo distulerint, iuxta superiùs enarrata, in ipso Generali Capitulo, actiua, & passiua voce priuati existant: ita ut neque pro eis, neque pro alijs vota ipsorum recipi possint. Ideoque præfati Depositarij notam eorum, qui in toto, vel in alia parte a prædicta solutione defecerunt, in prima Congregatione, cùm Patres ad legitimanda vota conueniunt, Capitulo præsentent, secundùm quam in præfata legitimatione Patres Diffinitoriales illos reijciant.

## §. VII.

CVm verò Monasteria, solutionibus præfatis deficientibus, in summa tunc debita, vel residua, obnoxia, & obligata remaneant; si Officiales, qui a dictis solutionibus defecerunt, non fuerint soluendo, Prælati ipsorum Monasteriorum in ipso Capitulo electi dictam summam tertiam, videlicet prædictam, ac residuum, si

quod remanserit soluendum, quodcumque solutionum præteritarum tunc, vel infra duos menses ad summum, sub pœna priuationis ipso facto incurrenda soluere teneantur.

## §. VIII.

PEcunias autem in ipso Generali Capitulo (vt præfertur) soluendas, tam ipsi Depositarij, quàm Actuarius, Patribus Diffinitorialibus consignare teneantur; qui de eis iuxta Congregationis necessitatem, & indigentiam disponant, eas Procuratori Generali (si quæ tunc extant debita Romæ persoluenda) assignantes, aut aliàs disponentes, prout melius, & vtilius esse iudicabunt.

## §. IX.

IN huiusmodi pecuniarum distributione diligentiùs attendant Patres Diffinitoriales, ne ærarium, seu depositum (vt dicitur) vacuum, & inane reddatur; sed semper ipsarum pecuniarum pars, cum alijs vtcumque Congregationi, aut Monasterijs, & personis prouenientibus in eo conseruetur, ac de anno in annum augeatur, quoad fieri poterit, ad hoc, vt quandocumque occurrerit solutionem aliquam extraordinariam facere, in promptu sit.

## §. X.

PRæterea triennales in ipso Capitulo compositiones, hac ratione fiant, vt aliquid supersit pro deposito præfato, iuxta Monasteriorum, & Congregationis facultates; & de quota parte in ipso ærario remanente, nulla prorsus fieri possit, neque per Abbatem Generalem, neque per Capitulum assignatio, nisi pro seruitio Sanctæ Sedis Apostolicæ, aut communi, & euidenti, ac necessario Congregationis beneficio, vel commodo: quæ si extra Capituli Annalis, vel Generalis tempus facienda occurrit, cum expresso etiam ipsorum Diffinitorialium Patrum consensu per literas exprimendo, ac dando, fieri debeat, & non aliter, nec alio modo.

## §. XI.

INsuper ipsi Patres Diffinitoriales in ipso Capitulo congregati, non modò in pecuniæ prædictæ compositione, modum, & mensuram, iuxta Congregationis necessitates, & grauamen, seu onera præfigant, & imponant, sed etiam curam, & rationem habeant

quarum-

quarumcumcue pecuniarum, vndequaque,& qualitercumque Monasterijs dictæ nostræ Congregationis, eorum personis prouenientium, siue paterno, siue alio quocumque iure hæreditario, aut iure legati, vel donationis, aut aliàs ex eleemosynis,& pijs causis, aut quouis alio iusto, & licito modo.

## §. XII.

TVm etiam superantis portionis reddituum ipsorum Monasteriorum, ac etiam depositarum pecuniarum applicationis, & distributionis modum sibi seruent, cæteris Officialibus dictarum pecuniarum,& superantis portionis vsum, aut distributionem interdicentes. Quam dictam portionem,& pecuniarum summam dicti Patres Diffinitoriales distribuant, & dispensent, distribui, & dispensari mandent, & procurent pro Monasteriorum indigentijs, reparationibus, melioramentis, fabricis necessàrijs, tollendisque alieni æris grauaminibus, aut possessionibus, & armentorum gregibus emendis, pro cultura terrarum ipsorum Monasteriorum in illis locis, vbi sperari euidens vtilitas potest, seu pascuorũ magna suppetit copia.

## §. XIII.

VT autem dictæ pecuniæ superabundantes distrahi nequeant, seu inutiliter profundi, aut in alios vsus conuerti; a Monasterijs, vbi superabundant, annis singulis per Depositarium Quarterij exigantur: qui dictas pecunias sibi assignatas ad depositum generale proprij Quarterij deferat, aut deferri faciat, in quo dictæ pecuniæ conseruentur in arca, ad hoc specialiter accommodata sub tribus clauibus; quarum vna teneat idem Depositarius, alteram Abbas Monasterij, alteram Diffinitor propinquior, quousque per Capitulum Diffinitoriale fuerit earundem pecuniarũ distributio decreta.

## §. XIV.

DE pecunijs verò prædictis perceptis, aut percipiendis ob onera, & præfatas necessitates, tam in Capitulo Generali, quàm Annali, exactissima ratio requiratur; teneanturque tam ipsi Depositarij, quàm Generalis Procurator, & alij, quorum interest, de receptis, & expensis ipsi Capitulo rationem reddere: in quo illa tantum de introitu, & exitu annotata admittantur, quorum solutiones aliàs per idemmet Diffinitoriale Capitulum cõmissæ fuerint. Quòd

si ipsi in proprios, vel alios, & maximè non necessarios, & inutiles vsus (quod absit) conuerterint, & applicauerint, vel propria negligentia deperdiderint, perpetuò actiua, & passiua voce priuati existant.

In Monasterijs, quæ soluere tenentur quindennia, vel huiusmodi onera, singulis annis reseruetur rata pecuniarum ipsius quindennij, & deponatur apud Montem Pietatis, ita ut quinto decimo anno sit ex singulis annuis ratis tota summa collecta, eademque soluatur: & de huiusmodi annuo deposito per Visitatorem, tempore Visitationis inquiratur, & literæ testimoniales per Prælatum Monasterij ad Capitulum Generale deferantur, sub pœna priuationis vocis actiuæ, & passiuæ in eodem Capitulo, eo ipso in casu contrauentionis incurrenda.

## §. XV.

INter alia verò Monasteriorum onera tēpore Capituli taxæ Abbati Generali nouiter electo persoluendæ sunt; quæ sicuti in minima quantitate consistunt, cùm tunc eis prædictus Abbas Generalis maximè opus habeat, vt possit sibi pro commisso dignitatis munere, & officij executione de his, quibus opus habet, prouidere; ita absque mora, vel renitentia omnes in Capitulo electi Officiales, quibus pro Monasterijs sibi commissis cura incumbit, taxas prædictas soluere teneantur, binas videlicet cum dimidia. Ipsarum verò exigendarum prouinciam suscipiat is, cui sigilla tempore Capituli committuntur pro sigillandis literis patentibus, qui quidem literas prædictas, vt dictum est supra, nullo modo sigillet, nisi prius his taxis solutis. Si qui verò absentes ad aliquorum Monasteriorum regimen electi fuerint, si quidem fuerint Abbates, aut Priores, Generales Visitatores pro eis taxas prædictas soluere teneantur; Si autem Vicarij Grancerij, principales Abbates, siue Priores eorum Monasteriorum, quibus vnita fuerint loca prædictorum Vicariorum, pro eisdem soluant, ab eisdem tamen Abbatibus, Prioribus, & Vicarijs infra duos menses recuperandas.

Taxa verò pro Abbate Generali a Monasterijs exigenda, est ista; pro qua ita singula nostræ Congregationis Monasteria, & loca, secundum modum qui sequitur, soluant.

| | | |
|---|---|---|
| Monasterium Sanctæ Mariæ de Collemadio soluat | tar. | 30 |
| Monasterium S. Eusebij de Vrbe soluat | tar. | 5 |
| Monasterium S. Angeli de Celano soluat | tar. | 10 |
| Monasterium S. Mariæ Meiulanæ extra Coropolum soluat | tar. | 10 |
| Monasterium S. Honuphrij de Camplo soluat | tar. | 10 |
| Monasterium S. Mariæ Ciuitellæ Ciuitatis Theatinæ soluat | tar. | 6 |
| Monasterium S. Spiritus de Magella soluat | tar. | 5 |
| Monasterium S. Spiritus de Anxiano soluat | tar. | 5 |
| Monasterium S. Mariæ de Anglone soluat | tar. | 7 |
| Monasterium S. Petri ad Magellam de Neapoli soluat | tar. | 20 |
| Monasterium S. Catharinæ de Terranoua soluat | tar. | 26 |
| Monasterium S. Gregorij de Nouo soluat | tar. | 16 |
| Monasterium S. Iacobi de Salerno soluat | tar. | 6 |
| Monasterium S. Petri de Auersa soluat | tar. | 8 |
| Monasterium S. Mariæ de Casaluccio soluat | tar. | 8 |
| Monasterium S. Mariæ Annunciatæ de Iesualdo soluat | tar. | 10 |
| Monasterium S. Mariæ de Capua soluat | tar. | 8 |
| Monasterium S. Bartholomæi de Luceria soluat | tar. | 15 |
| Monasterium Sanctiss. Trinitatis de sancto Seuero soluat | tar. | 15 |
| Monasterium S. Crucis de Licio soluat | tar. | 20 |
| Monasterium S. Ioannis Baptistæ de Vria soluat | tar. | 7 |
| Monasterium Sanctiss. Trinitatis de Barulo soluat | tar. | 12 |
| Monasterium S. Benedicti de monte Gargano soluat | tar. | 12 |
| Monasterium S. Benedicti de Nursia soluat | tar. | 15 |
| Monasteriũ S. Michaelis Vicedominorũ de Florentia soluat | tar. | 15 |
| Monasterium Sanctiss. Trinitatis de Fauentia soluat | tar. | 16 |
| Monasterium S. Ioannis Baptistæ de Bononia soluat | tar. | 18 |
| Monasterium S. Christophori de Mantua soluat | tar. | 11 |
| Monasterium S. Petri Cælestini de Mediolano soluat | tar. | 11 |
| Monasterium S. Nicolai de Bergomo soluat | tar. | 22 |
| Monasterium S. Stephani de Bononia soluat | tar. | 18 |
| Monasterium S. Michaelis, & Ascensionis de Napoli soluat | tar. | 6 |
| Monasterium S. Hieronymi de Cesena soluat | tar. | 14 |
| Monasterium S. Assumptionis de Magenta soluat | tar. | 11 |

Mona-

| | | |
|---|---|---|
| Monasterium S. Mariæ de Cripta de Vitulano soluat | tar. | 6 |
| Monasterium S. Mariæ Annunciatæ de Diano soluat | tar. | 10 |
| Monasterium S. Iacobi de Marsico soluat | tar. | 10 |
| Monasterium S. Mariæ ad Martyres de Tarento soluat | tar. | 5 |
| Monasterium S. Mariæ Annunciatæ de Collenisio soluat | tar. | 7 |
| Monasterium S. Nicolai de Arimino soluat | tar. | 12 |
| Monasterium S. Saluatoris Ciuitatis Pennarum soluat | tar. | 5 |
| Monasterium S. Petri Cœlestini de Isernia soluat | tar. | 5 |
| Monasterium S. Spiritus de Ortona soluat | tar. | 5 |
| Monasterium S. Mariæ Annunciatæ de Turri soluat | tar. | 4 |
| Monasterium S. Catharinæ de Beneuento soluat | tar. | 6 |
| Monasterium S. Mariæ Annunciatæ de Murcone soluat | tar. | 6 |
| Monasterium S. Mariæ de Alifio soluat | tar. | 5 |
| Monasterium S. Viti de Bario soluat | tar. | 6 |
| Monasterium S. Mariæ de Mesapia soluat | tar. | 4 |
| Monasterium S. Petri Cœlestini de Vrbino soluat | tar. | 5 |
| Monasterium S. Desiderij de Brixia | tar. | 17 |
| Monasterium S. Mariæ Annunciatæ de Como | tar. | 11 |
| Monasterium S. Martini de Boiano soluat | tar. | 5 |
| Monasterium S. Mariæ de Triuento soluat | tar. | 6 |
| Monasterium S. Petri de Aritia soluat | tar. | 7 |
| Monasterium S. Petri de Saltaria soluat | tar. | 5 |
| Monasterium S. Petri de Sora | tar. | 4 |
| Monasterium S. Petri de Supino soluat | tar. | 4 |
| Monasterium S. Leonardi de Scurcula soluat | tar. | 4 |
| Monasterium S. Antonij de Florentino soluat | tar. | 10 |
| Monasterium S. Spiritus de Buclano soluat | tar. | 5 |
| Monasterium S. Liberatæ de Palena soluat | tar. | 3 |
| Monasterium S. Mariæ Splendoris de Iulia noua | tar. | 2 |
| Monasterium S. Petri de Adria soluat | tar. | 4 |
| Monasterium S. Crucis de Rocca Montis Plani soluat | tar. | 5 |
| Monasterium S. Georgij de Rocca Mauritij soluat | tar. | 6 |
| Monasterium S. Spiritus de Atissa soluat | tar. | 4 |
| Monasterium S. Petri de Guardia Greli soluat | tar. | 6 |
| Monasterium S. Mariæ de Lama soluat | tar. | 6 |
| Monasterium S. Io. Baptistæ de Gipso soluat | tar. | 5 |
| Monasterium S. Petri de Venafro soluat | tar. | 4 |
| Monasterium S. Catharinæ de Nicotera soluat | tar. | 6 |

Mona-

Monaſterium S. Petri de Ebulo ſoluat tar. 5
Monaſterium S. Mariæ Annunciatæ de Senis ſoluat tar. 5
Monaſterium S. Catharinæ de Thano ſoluat tar. 5
Monaſterium S. Mariæ Annunciatæ, & ſancti Angeli Rupis Caninæ tar. 4
Monaſterium ſanctiſſimæ Trinitatis de Molfetta ſoluat tar. 6
Monaſterium S. Archangeli de Brunduſio ſoluat tar. 2
Monaſterium S. Angeli de Aleſſano ſoluat tar. 3
Monaſterium S. Petri de Vgento ſoluat tar. 5
Monaſterium S. Eligij de Barulo ſoluat tar. 5
Monaſterium S. Mariæ de Trano ſoluat tar. 2
Monaſterium S. Petri Cœleſtini de Limoſano ſoluat tar. 5
Monaſterium S. Mariæ de Partu de Monopoli ſoluat tar. 1
Monaſterium S. Petri de Petrella ſoluat tar. 4
Monaſterium S. Petri de Veſtis ſoluat tar. 6
Monaſterium S. Petri de Montorio ſoluat tar. 4
Monaſterium S. Roberti de Murrone ſoluat tar. 5
Monaſterium S. Petri de Manfredonia ſoluat tar. 5
Monaſterium S. Spiritus de Vaſto ſoluat tar. 4
Monaſterium S. Angeli de Termulis ſoluat tar. 4
Monaſterium S. Antonij extra ſanctum Ioannem in Marignano ſoluat tar. 9
Monaſterium S. Blaſij de Eugubio ſoluat tar. 5
Monaſterium S. Mariæ de Monte Florum ſoluat tar. 4
Monaſterium S. Antonij extra forum Sempronis ſoluat tar. 4
Monaſterium S. Mariæ Annunciatæ de Caſſia ſoluat tar. 8
Monaſterium S. Mariæ de Pilaſtro ſoluat tar. 3
Monaſterium S. Mariæ de Sarca extra Tridentum ſoluat tar. 6
Monaſterium S. Hieronymi de Sacchetta ſoluat tar. 6

Monaſteria Galliæ ſoluant ſimul, & in totum pro prædicta Abbatis Generalis taxa, ſcuta auri in auro viginti, in ſignum ſubiectionis Abbatiæ ſancti Spiritus.

De

# De diuersis Officijs Congregationis. Cap. XV.

DIVERSI & multi habentur in Congregatione pro conseruando ordine, & tranquillitate Officiales, videlicet Abbas Generalis, Coabbates, Vicarius Generalis, Visitatores Generales, Diffinitores, Procurator Generalis, Abbates, Priores, Vicarij, Depositarij, Visitatores monialium, & singulorum præscriptorum Officialium potestatem, & facultatem quomodolibet eis competentem, declarandam esse decreuimus.

## §. I.

ABbas Generalis, qui præest Abbatiæ S. Spiritus, sicut omnia Congregationis Monasteria eidem Abbatiæ subduntur, vt membra, eique incorporata sunt, & quæ de nouo in posterum sunt erigenda, eidem iuxta formam literarum sancti Petri Cœlestini, & antiquarum Constitutionum, vnienda sunt: Ita omnibus Monasterijs, locis, & membris ipsius Congregationis, in quibus Monachi, seu Regulares personæ, secundum Instituta eiusdem Religionis viuentes, degere dignoscuntur, tanquam Pater præesse debet, ipsamq. Abbatiam, eiusq. membra tam vnita, quàm in posterum vnienda, vt supra, in spiritualibus, & temporalibus regere; Præpositum, seu Priorem, quem maluerit, in dicta Abbatia deputare: Diffinitoriali Capitulo præesse, ac in omnibus, & singulis in ipso tractandis, ordinandis, terminandis, statuendis, faciendis rebus, causis, & negocijs primum votum dare: Monachos de loco ad locum transmittere: contra eos, si opus fuerit, excommunicationis sententiam proferre, eosque in casibus sibi permissis, absoluere, atque alia facere, quæ sibi de iure, & ex priuilegijs competunt: In eligendis Officialibus Congregationis, & alijs actionibus Capitularibus, bina habere vota: Abbates, & Priores proponere: In Capitulis Generalibus, & Annalibus vbicumque conuocatis, & conuocandis, tanquam caput præesse: vitam, & mores quorumcumque, administrationesq. bonorum temporalium cum Visitatoribus Generalibus visitare, & in omnibus Monasteriorum regimen concer-

concernentibus inuigilare, vt omnia ritè & rectè dirigantur: Officiales à proprijs officijs, si qua eorum exigant demerita, ac iuris ordine seruato, suspendere atque etiam priuare, eorumq. loco alios subrogare, causas audire, examinare, & terminare, vel componere: pœnas, & pœnitentias rationabiliter, & ex causa (cùm opus fuerit) moderari, ac Monachis ad maiores ordines suscipiendos, cùm habiles fuerint, & in ætate legitima constituti, licentiam dare: Solemnes trium votorum professiones, recipere, seu recipi facere: Nouitios, & Oblatos ad Congregationem recipere, modo, & forma, vt supra: locum reuertentibus ad græmium Religionis restituere, vt supra: cum infirmis, & debilibus dispensare: subditos suos iuxta eorum qualitates, & merita ad altiorem locum promouere: delinquentes secundum canonica instituta, & harum Constitutionum edicta, punire: literas familiaritatis, & participationis suffragiorum concedere, aliaq. omnia, & singula gerere, & exequi, quæ sibi tàm à iure, quàm à Constitutionibus, & priuilegijs concessa sunt, & concedentur in posterum, liberè, & licitè possit, & valeat.

## §. II.

SOlus autem Abbates, Priores, & Prælatos in Monasterijs principalibus (excepto principali Monasterio Abbatiæ) instituere, seu actu legitimo, & voce actiua, & passiua priuare, suspendere, aut transferre, non nisi de consensu Patrum, vt supra, aut ad officia obtinenda perpetuò, seu ad tempus inhabilitare nequeat: neque onera imponere, neque vendere, neque alienare, neque pignorare, neque ære alieno bona ipsius Religionis obstringere: aut Statuta condere, vel super Constitutionibus aliquid innouare: vel magnas lites, & causas, præcipuaq. ipsius Congregationis negocia terminare: aut per Capitulum Generale, vel Diffinitoriale degradatos, priuatos, suspensos, aut etiam inhabiles redditos, in pristinum restituere: Religiosos alterius Instituti recipere ad habitum, aut etiam Monachis nostris veniam commorandi extra Claustra Congregationis, concedere, aut vt impetrent literas, & priuilegia contra harum Constitutionum edicta, seu forsan illarum dispensationem permittere, seu bona stabilia, vel mobilia, aut se se mouentia donare, vel distribuere, vltra id quod sibi à iure & priuilegijs, ac Constitutionibus permittitur: sed omnia, & singula præmissa, & similia cum Coabbatibus, Visitatoribus, & Diffinitoribus,

vel

vel ipsorum aliquibus respectiuè conferat, eorumque interuentu, consilio, & sententia (dum congregantur) faciat, & exequatur, secundum modum, & formam in his Constitutionibus expressam.

## §. III.

QVoniam qui aliquando Abbatiatus Generalis munere, & dignitate fuerunt per Capitulum ornati, & per Catholicum Episcopum, iuxta nostrorum Priuilegiorum tenorem, benedicti, post renunciationem remanent Coabbates, decet vt cum nomine, ac benedictione aliqua in eis remaneat dignitas, & praeeminentia. Ideò iuxta Congregationis nostræ antiqua statuta, ac immemorabilem consuetudinem, in regimine ipsius Congregationis, secundum ipsorum denominationem, tanquam socij Abbatis Generalis pro tempore existentis, & vti in officio Collegæ habeantur, & vt talibus debita, & prima post Abbatem Generalem exhibeatur ab omnibus reuerentia. Possunt etiam quandocumque Generalibus, & Annalibus, ac Diffinitorialibus Capitulis interesse cum alijs Diffinitorialibus Patribus ad singula in dictis Capitulis, seu in Diffinitorio tractanda, tam pro electionibus, quàm pro alijs ipsius Congregationis causis, rebus &negocijs interuenire, votumq. primum in omnibus post Abbatem Generalem habere, & dare, & tam diffinitorialiter, quàm alias in singulis cum alijs deliberare, ac determinare: Primum etiam locum post Abbatem Generalem vbicumque sederint, vel conuenerint, tenere vt supra; nullo etiam præcedente scrutinio, aut voto, seu suffragio singula sibi loca, & Monasteria, ipsorumq. locorum, & Monasteriorum officia (Patrum accedente beneplacito) eligere.

In Quarterijs vbi resident, post Abbatem Generalem ita præesse, vt occurrentes in ipsis causæ arduæ, & principales ad ipsos referri debeant, & cum eorum consilio, ac deliberatione (Abbate Generali absente) tractari.

A nullo præterquàm ab Abbate Generali visitari possint; visitentur tamen semel in anno omnino, vt cæteri Officiales, vel ab eo, vel ab alio Patre Diffinitoriali de eiusdem Abbatis Generalis commissione; nec pœna grauioris culpæ puniri, nisi per Annale, vel Generale Capitulum, eorum præcedentibus demeritis. Nulli subdantur, præterquàm Abbati Generali, nec teneantur cæremonialia officia, seu seruitia facere, & exercere: liceatq. eis tenere

Cellam

Cellam clausam, equo, & famulo vti, ac Patre vno pro Priore Monasterij, siue loci, in quo fuerit, si ipse administrationem non haberet, singulis suis seruitijs deputando.

## §. IV.

SI autem ipsi Coabbates, dum Abbatiatus Generalis funguntur officio, scienter contra Constitutiones Congregationis factas iam, vel in posterum faciendas, aut ipsorum aliquam, in quibus, vel in qua per ipsas Constitutiones eis limitata est potestas, aliquid præsumpserint attentare, super quibus semel, atque iterum admoniti coram sex saltem Patribus boni testimonij, & vitæ, noluerint se emendare, nec id in quo deliquerunt corrigere; causa cognita, & iuris ordine seruato, ac declaratione præcedente, nullam de præmissis immunitatibus, & gratijs obtinere valeant, post officij renunciationem: sed in omnibus, & per omnia sicuti cæteri subdantur, & aliàs corrigantur pro excessu huiusmodi ad voluntatem immediatè succedentis Abbatis Generalis, & totius Capituli Diffinitorialis.

## §. V.

ABbas autem Generalis, qui proximè renunciauit, post ipsius renunciationem ex tunc per sequens triennium, etiam si plures existant Coabbates, vltra præinsertas eis concessas immunitates, hoc quoque gaudeat priuilegio, quòd scilicet Vicariatus Generalis officium, & nomen absque alia contradictione obtineat, & primum locum teneat post Abbatem Generalem, etiam si plures fuerint Coabbates præsentes, dummodò præmissis, ac huiusmodi priuilegijs, & immunitatibus, ex causis superius expressis, indignum se non reddiderit.

Elapso autem triennio, Coabbates ordinētur post Abbatem Generalem secundum tempus benedictionis ipsorum, vel officiorum, quæ obtinent dignitatem, prout supra.

## §. VI.

AD Vicarium Generalem, iuxta nominis appellationem, Abbatis Generalis prò tempore existentis (cum absens fuerit) vices in vniuersa Congregatione gerere pro regimine ipsius, & Monachorum in ea degentium, tam subditorum, quàm quorumuis

Offi-

Officialium, pertinet: Abbatis autem Generalis absentiam dicimus, cùm ipse vltrà montes extra Italiam ex quauis casu reperitur. Tunc itaque omnia, quæ Abbatiatus Generalis officio competunt, & quæ ipse Abbas Generalis sui officij vigore pro regimine Congregationis exercere potest, liberè, & licitè facerè, & exequi poterit eius Vicarius Generalis, præter dispensationes, & quæ Abbas Generalis ex suprema tantum potestate facere potest. Cùm autem Abbas Generalis absens non fuerit, vt præmittitur, Vicarij Generalis facultas ad ea tantum se extendat, quæ vigore suarum commissionum, vel immunitatum, ac priuilegiorum, sibi, & cæteris Coabbatibus, prout supra, competunt.

Eiusmodi autem dignitatis, & nominis ratione, si Coabbas non fuerit, primum post Abbatem Generalem, & Coabbates locum obtineat, & à nullo visitari, aut corrigi possit inferiori Officiali, nisi prout supra, quoad priuata officia, & in Capitulis Generalibus, ac Diffinitorialibus cum alijs Patribus ad singula interueniat, & votum habeat.

## §. VII.

Visitatores Generales quod nomine ipsorum significatur, explere tenentur. Itaque singuli semel in triennio singula Quarteriorum (vbi sunt Præpositi) Monasteria visitare debent cum Abbate Generali, vel cum aliquo Diffinitoriali ab eo commissionem habente, si ipse personaliter visitare non poterit.

Extra verò Visitationis tempus, vel actum visitandi occurrentium necessitatum causas & negocia, tam mores, quàm Monasteriorum regimen concernentia, videlicet quæ in iudicium pro administratione iustitiæ deducenda sunt, statim Abbati Generali per literas, vel Nuncium significare debeant: Quòd si prouideri statim oporteat, resque occurrentes nullam patiantur dilationem, cum altero Diffinitorum de occurrentibus rebus, & causis fidelem informationem capere: Quòd si forsan aliquem Officialium ab eo officio per aliquem imminentem necessitatem (vbi non sine periculo, aut scandalo differri possit iudicium) amoueri oporteat, cum consilio Diffinitoris Quarterij in his cum ipso interuenientis, amouere, iuxta sui officij rationem possint, & valeant (per modum tamen prouisionis) nullum ferentes iudicium; sed Abbatis Generalis, vel Capituli Diffinitorialis deliberationem expectantes.

Soli autem causas terminare, seu iudicium ferre, vel etiam ab officio suspendere, vel priuare, vel transferre, Officiales alios in locum deficientium subrogare, ordinariam, vel extraordinariam potestatem extra tempus visitationis, vel actum visitandi ordinariè, vel extraordinariè super Monasteriorum regimine, vel eorum Officialibus exercere non debeant: sed ea tantum faciant, quæ ratione suorum officiorum iustè, & licitè secundum modum supradictum, aut etiam Commissionum vigore, quas habent ab Abbate Generali, vel Diffinitoriali Capitulo, pro Monasteriorum necessitatibus, facere possunt.

Soli autem Visitantes super Monasteriorum regimine, ac vita, & moribus personarum, processus tantum informatiuos fabricare possint, absolutionem, vel condemnationem Abbati Generali, & sibi adiunctis Patribus Diffinitorialibus, iuxta harum Constitutionum tenorem, reseruantes: causas omnes, & controuersias ciuiles, & mixtas, ac etiam criminales, infra tamen priuationem, cognoscere, decidere, & terminare possint, cùm visitant: Credita item, ac debita Monasteriorum recognoscere, eorumque Creditoribus legitimis ad satisfaciendum, omni mora postposita, etiam per fructuum sequestrationem, Abbates Priores, & locorum Ordinarios, vtcumque poterunt, etiam coactiuis iuris remedijs cogant, & compellant.

Ad omnia, & singula visitationis acta, processusque formandos cũ Abbate Generali interueniant; & quæcumque ab eis reperta fuerint, in scriptis redigant, & ad Capitulum Generale, vel Annale deferant, bonum, & malum, quod agitur in Monasterijs per ipsos in Visitationibus repertum, Diffinitoriali Capitulo relaturi.

In ipso Diffinitoriali Capitulo diffinitorialiter ad singula, quæ in ipso tractantur, ac ad electiones, & alia, quæ in ipso Diffinitoriali, & Generali Capitulo fiunt, interueniant, & vocẽ habeant sicut cæteri.

## §. VIII.

IN Visitatione diligenter notentur per Visitatores, si quæ extant factæ alienationes, pignorationes, anticipationes, cum causis, & auctoribus, & quantitatibus.

Item locationes, censuationes, affictus ad longum tempus. Præterea describantur personæ in Monasterijs, & Congregatione degentes, eorum ætas, ordo, professio, habitus, & professionis locus, & tempus.

Item ordinandorum, & promouendorum, & ordinatorum qualitates; Nouitiorum etiam, si qui emissuri sunt professionem.

Item studentium qualitates, & si qui ad maiora studia erunt promouendi.

Item videantur mutationes Monachorum factæ, eorum accessus ad Monasteria, tempus, & licentia; notentur etiam Monachi, & familiares, ac Benefactores mortui.

Item si qui extra Congregationem morantur, & causæ, & licentiæ; & etiam si qui sunt vagantes, profugi, Apostatæ, contumaces, aut rebelles.

Item si qui habitum recipere velint, eorum conditio, qualitates, ætas, parentes describantur.

Adnotentur etiam Monasteriorum, & Monachorum indigentiæ, & si quæ opus habent reparatione, vt fabricæ, & supellex, tam domestica, quàm sacra.

Item qui non persoluerunt taxas, & onera, ac consueta vestimenta non dederint.

Item si quis quietem, & pacem monachorum perturbet, vel sit inobediens, aut aliàs contra Abbatem, Visitatorem, & Priorem suum contra Religionis disciplinam, & sacras maiorum sanctiones, conspiret.

Item si quæ rixæ, peccata, vel scandala, & si quæ corrigenda.

Inquirant denique diligenter, & notent omnia, quæ descripta habentur infra articulis pro visitatione facienda, c. 17. a §. 35. iuxta locorum, & negociorum, ac personarum diuersitates, & præcipuè circa diuinum cultum, Monasteriorum regimen, morum reformationem, & regulæ, ac Constitutionum, atque Ordinationum Abbatis Generalis, Visitatorumque obseruantiam.

## §. IX.

IN Visitatione ante Capituli Generalis celebrationem facienda, in singulis Monasterijs inuentarium conficiant, seu confici faciant, verum, distinctum, & integrum, in quo describantur rerum stabilium, sese mouentium, & mobilium quantitates, & qualitates, matura credita, reditus, & prouentus, debita etiam omnia, & singula, eorumque causa, tempus, auctores, quantitas, & creditores, nomina: Item libri omnes, tam Monasteriorum, quàm Monachorum singulorum; lites etiam motæ, vel mouendæ, & cura earum, scriptu-

ſcripturæ, & priuilegia; tam circa ſpiritualia, & Eccleſiaſtica, quàm circa temporalia, breui de contentis ſummario confecto. Item legata, donationes, eleemoſynæ Monaſterijs teſtatæ, nominibus legantium, teſtantium, vel donantium (vt pro eis ad Dominum preces fundantur) expreſſis. Præterea onera Eccleſiarum, & Monaſteriorum, tam perpetua, quàm ad tempus. Item bona omnia ad Monachos, & perſonas Congregationis quocumque titulo, vel iure pertinentia.

Inſuper diſtinctè deſcribatur numerus armentorum, & gregum, videlicet boum, vaccarum, equorum, ouium, caprarum, aſinorum, porcorum. Item quantitas ſeminum frumenti, ordei, aliorumque leguminum minutorum ſatorum. Præterea ſtatus cultorum agrorum cum nota curruum, ferramentorum, omniumque id genus Inſtrumentorum, quæ ad agrorum culturam fuerint vbilibet comparata; & eadem omnia, & totidem in numero, & valore reſignare teneatur Abbas, aut Prior per inuentarium ſucceſſori, ſub pœna priuationis propriorum officiorum. Item deſcribantur augmenta facta, tam prædictorum, quàm aliorum quorumcumque bonorum, vel mobilium, vel ſtabilium, vt ſupra.

Quorum omnium, & ſingulorum, atque aliorum ad Monaſteria, vel Monachos, vel Congregationem ſpectantium, inuentarium diſtinctè, & verè conficiendum, & in libro maiore Monaſterij deſcribendum, vt ſupra ſtatutum fuit, proprijs ſingulorum Monachorum manibus firmetur, & exemplar eius ſimiliter firmatum ad venerabilem Abbatiam S. Spiritus tempore Generalis Capituli per dictos Viſitatores Generales afferatur, in manibus Diffinitorum conſignandum, & in Diffinitoriali Capitulo publicandum, & cùm alijs conferendum, & diſcutiendum ante Officialium, tum publicorum, tum priuatorum electionem.

## §. X.

CONfecto autem in ſingulis Monaſterijs Inuentario, antequam inde diſcedant, bona Monaſteriorum ſingula cuſtodiæ Depoſitariorum committantur, & pro perſonarum, ac familiæ victu, & neceſſitatibus ad menſuram, prout eis videbitur diſtribuenda, pro quota parte relinquant; præcepto tamen adiecto, ne Abbas, vel Prior, ſeu cæteri Officiales ſupra id quod vltra victum, & neceſſitates prædictas de bonis præfatis ſupereſt, nullatenus diſtribuant, di-

minuant, vel tranſportent, ſed totum integraliter futuris poſt Generale Capitulum Officialibus conſignandum conſeruent, neque illud alieno ære, vel re aliena grauent, neque aliquid mutuò accipiant, debitum contrahant, vendant, pignorent, anticipent, vel ad creditum accipiant, prout Statuta noſtra diſponunt.

## §. XI.

DIffinitores, tam Annali, & Diffinitoriali, quàm Generali Capitulo propoſita omnia, & ſingula, cauſaſque omnes Congregationis, Viſitationes, Informationes, & Proceſſus, ſi qui extant facti, bonorum temporalium Inuentaria, ſcripturas pro bonorum conſeruatione, permutatione, ſeu melioramento, neceſſitate, tam publicas, quàm priuatas; Monachorumque indigentias, onerum etiam qualitates, quantitates, & cauſas, lites omnes, & controuerſias, debita, & credita ipſius Congregationis requiſita, vtilia, & neceſſaria, ac quomodolibet opportuna, cum Abbate Generali, Viſitatoribus, & cæteris Patribus Diffinitorialibus, attentè, ſincerè, & fideliter audiant, cognoſcant, examinent, terminent, & definiant, ipſaque terminata per ipſos redigantur in ſcripturis, & in ipſo Capitulo publicentur, & firmata, ſeu ſubſcripta ab omnibus obſeruentur, & ſimilia in cæteris negocijs. Similiter in arduis cauſis, & negocijs, extra Capituli tempus occurrentibus, interueniant, & terminent cum alijs Patribus ſinguli in ſuo Quarterio, prout in Conſtitutionibus ſtatuitur.

## §. XII.

CVrent etiam præfati Diffinitores, Conſtitutiones, & Ordinationes ipſius Congregationis pro ipſius publico, vniuerſaliq. ſtatu, & ſalubri ſucceſſu, ab omnibus, & ſingulis perſonis, tam priuatis, quàm publicis, in ipſo Generali Capitulo ad vnguem obſeruari. Tranſgreſſores, & Conſpiratores, omneſque contra Religionis diſciplinam, & ſacras maiorum ſanctiones, vel contra ipſius Congregationis Conſtitutiones confœderantes, iuxta legum decreta compeſcendo, corrigendo, ac pœnis debitis puniendo. Abbatis Generalis, ac Viſitatorum Generalium adminiſtrationem, & mores in Capitulo Diffinitoriali cum cæteris Patribus Diffinitorialibus, tam in ipſo Generali Capitulo, quàm intra triennium in Annali, ac Diffinitoriali votum dare, & præmiſſa ac alia in præmiſſis neceſ-

necessaria, in Generali, vel Diffinitoriali Capitulo tractanda facere, & exequi (communiter tamen, & non diuisim) libere, & licite possint, & valeant, ac debeant cum cæteris in Generali, vel Diffinitoriali Capitulo votum habentibus.

## §. XIII.

PRocuratoris Generalis officium, & potestas in eius mandato expressa, ad ea se extendere videtur, quæ in specie sibi ab Abbate Generali, & a Capitulo Diffinitoriali committuntur, quæ potissimum in litibus, & causis, ac negocijs respectiue motis, vel mouendis, faciendis, gerendisue consistit, pro quibus Procurator, ac specialis Nuncius creatur, & eligitur; ac pro quocumque ipsius Congregationis eiusque Monasteriorum, & locorum, ac personarum, priuilegiorum, ac iurium defensione, cum potestate ad præmissa, & similia, quæ sigillatim exprimenda sunt, necessario requisita. Vltra verò mandati sui limites cùm eius potestas nullatenus se excedat, nihil facere, aut attentare præsumat, quod commisso sibi Procurationis officio, iuxta expressam eius facultatem, non competat: Si vltra attentauerit, aut fecerit, ipso iure per eum attentata, vel gesta, nulla sint.

In tractandis autem, & terminandis causis, & negocijs ipsius Congregationis in Capitulo, tam Annali, quàm Generali, cum alijs in dictis Capitulis, & in Diffinitorio votum habeat; ac de pecunijs quibuscumque Congregationis in eius manus prouenientibus, ac per Depositorios transmissis coram Patribus in singulis Capitulis Diffinitorialibus, rationem reddere teneatur, in qua ea tantum admittantur, quæ pro ipsius Congregationis necessitatibus iuxta Capituli deliberationem applicata, & expensa esse apparebit, & constabit.

## §. XIV.

ABbates, qui regendo alicui Monasterio principali canonicè sunt electi, & iuxta formam harum Constitutionum instituti, gaudeant omnibus priuilegijs, immunitatibus, exemptionibus, facultatibus, & præeminentijs, quibus gaudent alij Abbates, & Priores eiusdem Congregationis, quocumque iure, iuxta priuilegia Congregationis in fine harum Constitutionum inserenda, eisdem Abbatibus per Summos Pontifices, & per fel. recor. Paulum V. cõcessa.

Præterea tā præfati Abbates, quàm Priores pro aliquo Monasterio regendo, vt supra instituti, singuli auctoritatem habent absoluendi Monachos suos subditos, qui in alterum Monachum manus inijcerent violentas, ad formam sacrorum Canonum, & priuilegiorum. Vicarij verò, seu Vicesgerentes in suorum Prælatorum absentia, ex iniuncta eis à dictis Prælatis facultate, eandem habent absoluendi auctoritatem, nisi percussio, vel iniuria adeo esset grauis, quòd notabile vulnus cum euidenti sanguinis effusione; vel ossis fractura forsan sequeretur: in hoc enim casu sic se inuicem percutientes, per Superiores suos pro absolutione, & dispensatione mitti debeant ad Abbatem Generalem: Monachos etiam sibi subditos corrigere, pœnam per ipsos iniunctam ex causa moderari: Capitulum retinere: bona Monasterij stabilia per triennium tantum, & ad dispositionem iuris communis pro sui officij tempore locare: fructus, & reditus tempore suo maturos exigere, & de receptis pro tempore tantum suo quietare, eosque vtiliter, & pro Monachorum vsibus, ac Monasterij necessitatibus dispensare, aliaque facere in suis Monasterijs, tam pro regimine suorum subditorum, quàm pro bonorum temporalium conseruatione, ac diuini cultus præcipue obseruantia, quæ sibi de iure Abbatiatus, vel Prioratus officij vigore, iuxta suæ facultatis limites, eis in Commissionibus a Capitulo Diffinitoriali, & Abbate Generali concessis competunt, & quæ in his Constitutionibus ad officium Abbatiatus, vel Prioratus pertinere noscuntur expressa in Capit. de diuersis officijs Monasteriorum.

Vicarij verò, vel Superiores quicumque deputati loco deficientis Abbatis, vel Prioris, vbicumque consistunt, Monasteria regant in temporalibus, & spiritualibus, et exequantur, quæ Abbates, vel Priores ipsi pro Monasteriorum regimine, tam in spiritualibus, quàm in temporalibus facere, et exequi possent, præter ea, quæ in personam aliam inferiorem transferri non possunt.

## §. XV.

VIsitator, qui ad visitanda Sanctimonialium Monasteria fuerit in Generali Capitulo deputatus, eam habere, et exercere debet potestatem; vt in præfatis Monasterijs, ad regulæ, et mandatorum Dei præcipue obseruantiam, et conuenientem, ac debitam clausuram, omnes compellere possit, iuxta eiusdem Regulæ, ac sacrorum Manonum, sacri Concilij Tridentini, Constitutionumque

Apoſtolicarum diſpoſitionem. Quamuis autem tota, et immediata præmiſſorum cura ſit Abbatiſſæ Monaſterij, cuius munus eſt Monaſterium regere; pro ipſius tamen officij dignitate, cum opus fuerit, Viſitationis tempore, Viſitator præfatus debet, et poteſt Sanctimoniales ipſas corrigere, atque in caſibus neceſſarijs in omnes iuxta Regulæ ſancita, ea quæ decet honeſtate, animaduertere, vſque ad priuationem incluſiue; aliaque facere, et exequi, quæ ſibi pro præmiſſorum exequutione opportuna, et neceſſaria videbuntur prout in Capit. de Viſitatione monialium continetur.

## §. XVI.

DEpoſitarij, ſeu Exactores debent cum omni vigilantia taxatas, & impoſitas per Capitulum quaſcumque pecuniarum ſummas, ab Officialibus Monaſteriorum ſuis temporibus exigere, dictoſque Officiales ad ſoluendam ratam quamlibet eis competentem compellere opportunis, & conuenientibus remedijs, prout ſupra; ne propter illorum negligentiam, & moroſitatem aliquod eueniat Congregationis detrimentum. De exactis autem pecunijs in ſingulis Capitulis publicè coram Patribus in Diffinitorio fidelem rationem reddere teneantur: ita tamen quod partitæ aliquæ non admittantur in ipſorum computis, quæ cum libro Procuratoris Generalis in Romana Curia exiſtentis, in omnibus, & per omnia, non conueniant.

## §. XVII.

CAeteri autem Congregationis Officiales a præfatis extraordinarij, eam exerceant poteſtatem, quæ tam officiorum eis commiſſorum, quàm commiſſionum deſuper pro exequutione officiorum eis conceſſarum, ratione quomodolibet eis competere poterit; quarum commiſſionum limites nullatenus tranſgredi, aut præterire poſſint, præſertim verò Commiſſarij ad capiendas informationes deputati.

# De Capitulo Annali. Cap. XVI.

## §. I.

PRo Congregationis negocijs, & causis tractandis, discutiendis, terminandis, ac definiendis, eiusdemque Congregationis felici regimine, perpetuis futuris temporibus semel omninò infra triennium, mense Nouembris in festo Sancti Martini sedundi anni, Capitulum Annale conuocari, & retineri volumus, & mandamus in Venerabili Abbatia sancti Spiritus de Murrone, vel in alio commodiori Monasterio, prout Generali Abbati, & Capitulo Diffinitoriali videbitur. Ad quod quidem Capitulum conuenire teneatur Abbas Generalis præfatus pro tempore existens, cum omnibus suis Coabbatibus, ac Prior Abbatiæ prædictæ, necnon singulorum Quarteriorum Visitatores Generales, Diffinitores, Procurator Generalis in Romana Curia, & Abbas illius Monasterij, vbi dictum Capitulum celebrabitur (si extra præfatam Abbatiam contigerit celebrari) qui omnes etiam in ipso Capitulo, tam in tractandis, quàm in concludendis, & terminandis negocijs, & causis vniuersis, votum habeant. Vltra verò prædictos nullus ad dictum Capitulum accedere præsumat, nisi forsan per Abbatem Generalem, vel Capitulum prædictum vocatus, neque in ipso Capitulo aliquis alius votum habeat, vel habere possit. Quod quidem Annale Capitulum indicetur ab Abbate Generali pro tempore, alioquin habeatur pro intimato, & ad illud omnes supradicti accedere teneantur.

## §. II.

IN ipso autem Annali Capitulo primò procedatur ad Visitationem Abbatis Generalis, in qua ea, quæ inferius cap. 17. inquirenda ponuntur, & in eius visitatione fieri mandantur, qua decet vigilantia, & circumspectione inquirant, & exequantur.

Deinde ipsa visitatione perfecta producantur quæcumque reperta sunt in visitationibus, ac etiam extra actum visitandi, si quæ sunt extraordinariæ causæ, circa mores, & administrationes singulorum Officialium, aut etiam circa vitam, & mores Subditorum, si qui sint

qui

qui graue, & perniciosum aliquod delictum commiserint: super quibus in ipso Diffinitoriali Capitulo Patres tractatum,& iudicium faciant, ac sententiam ferant, atque absoluant, vel condemnent, prout de iure, secundum harum Constitutionum Instituta, & sacrorum Canonum dispositionem.

## §. III.

DEinde si qui sint creandi, aut remouendi Officiales ipsius Congregationis, causa cognita, remoueant, vel creent in locum deficientium. Deinde tractent de admittendis ad habitum, seu professionem, & de promouendis ad sacros Ordines, si qui sint admittendi, vel promouendi, quibus etiam licentiam in scriptis tribuant ( matura præcedente inter eos deliberatione ) quòd habiles sint, & idonei iuxta harum Constitutionum, & sacrorum Canonum edicta. Postea verò tractent de mutandis Monachis, si qui mutandi sunt; successiuè proponantur causæ temporalium bonorum, vt lites, permutationes, fabricæ, locationes & alia similia; & super eis deliberent, quod in vtilitatem, & indemnitatem euidentem Monasteriorum cedere videbitur.

## § IV.

POstea de necessitatibus, & oneribus Congregationis, ac de superantium fructuum, & reddituum, si qui sunt, distributione, portionisq. inde depositatæ applicatione, ærisque communis administratione, ac distributione,& de pecunijs pro oneribus Congregationis exactis, & per singula Monasteria pro rata impositis, & taxatis, computa exigantur à Depositarijs, & Generali Procuratore, ipsaq. reuideant: & quos à solutionibus impositis, vel ab exactorum consignatione defecisse compererint, ij soluere, & consignare teneantur; & de applicatione facienda pecuniarum depositarum in deposito cuiuslibet Quarterij, prout supra.

Vltimo loco tractent de reformatione morum, & resectione vitiorum, & præcipuè, vt in omnibus, & per omnia Regulæ se conforment: & si qua super his promulgauerint Statuta, vel Constitutiones, sub forma verò statutorum seruari non mandent, nisi per modum prouisionis, quousque per Generale Capitulum fuerint confirmata, quæ antequam confirmentur, nullam vim Statutorum habeant;

beant;

beant; sed ea interim, vt prouisiones obseruare omnes teneantur: tandem si quæ sunt committenda committantur.

§. V.

PRædicta verò, & alia, si quæ occurrunt consideranda, vel tractanda in ipso Capitulo negocia, iuxta traditam, & expressam in tractatu de Capitulo Generali formam, ordinem, & modum, tractare diffinire, ac terminare teneantur, & præcipuè circa electiones.

§. VI.

IN præmissorum item executione Dei auxilium implorantes, mane quotidie, dicto durante Capitulo, cantent Missas, orationesq. & commemorationes faciant consuetas, & nomina Benefactorum, tam viuorum, quam mortuorum, ac Monachorum ipsius Congregationis Defunctorum recenseantur, pro quibus ad Deum preces de more fundantur; aliaque omnia in Capitulis fieri solita, prout in Capitulo Generali est ordinatum, faciant, & exequantur.

## De modo, & forma visitationis Abbatis Generalis, & cæterorum Officialium. Cap. XVII.

§. I.


MNES Religionis nostræ Monachos, & personas in quacumque dignitate, seu officio constitutos, decernimus, & mandamus, annis singulis semel, vel quoties fuerit opportunum, vel necessarium, visitandos esse ab illis, qui visitandi potestatem habebunt; & rationem reddant propriorum officiorum, aut administrationum, si quas exercuerunt, & animarum, quæ eis subduntur, & commissæ sunt, singulis Visitatoribus ad id deputatis.

Ipse verò Abbas Generalis, & Generales Visitatores teneantur quoad Visitationis per eos factæ officium, & indè dependentia, &

quæ

quæ ille de iure Præſidentatus, ac Generalatus, & iſti iure Viſitatoratus, aut etiam cauſarum ſibi commiſſarum, exercuerunt; & ipſe quidem Abbas Generalis in quolibet Diffinitoriali Capitulo, tam Annali, quàm Generali, omnibus Patribus in ipſo Capitulo Diffinitoriali votum habentibus Capitulariter congregatis, ſuarum adminiſtrationum, & officiorum rationem reddere.

## §. II.

IPſi Coabbates, & cæteri Diffinitoriales Patres, vt ſupra congregati, non modo computa eorum ſupradicta, & adminiſtrationes, verum etiam vitam, & mores, ac regimen, officijq. illorum executionem diligenter examinare; ac ſuper repertis in vero iudicio facere, quæ pro viſitatione illorum, tam ſuper moribus, & regimine, quam ſuper computorum ratione reddenda, & officiorum, ſeu commiſſionum ſuarum adminiſtratione de iure, vel approbata conſuetudine, ſecundum Conſtitutionum noſtrarum diſpoſitionem, eſſent facienda, illos (ſcrutinio tamen inter eos præcedente) abſoluentes, vel ſi ſua id exegerint demerita (quod Deus auertat) condemnantes: Abbatem quidem Generalem à ſui officij adminiſtratione tantum ſuſpendēdo: Generales autem Viſitatores eorum officijs priuando, aliàsq. puniendo, ſecundum Inſtituta dictæ noſtræ Congregationis.

## §. III.

QVòd ſi de enormibus, & grauioribus delictis Abbas Generalis accuſatus, etiam conuictus extiterit, propter quæ de iure deponi, ac priuari deberet officio; moneatur, vt cedat: & tunc præfati Diffinitoriales Patres, & Coabbates Generale Capitulum conuocent, & congregent abſque temporis interuallo. Repugnante autem ipſo celebrationi Capituli, & dimittere nolente, ſi eſt deponendus, ad Sedem Apoſtolicam recurſus habeatur pro Capituli celebratione, in quo reperta contra ipſum publicentur, & diſcutiantur; & ſic contra ipſum, ſuis, vt præfertur, exigentibus demeritis, & ſe ſe rationabiliter ab imputatis criminibus non purgantem, generali præcedente, ibidem, votum habentium ſcrutinio, ipſorumq. omnium, vel ſaltim duarum partium ex ipſis accedente voto, ſententia, & conſenſu, ad ipſius condemnationem, & priuationem, aliarumq. pœnarum inflictionem, legitimè procedatur.

Per Inquisitionem autem contra Abbatem Generalem, nisi publica cum euidentia patrati sceleris, fama, vel commissi criminis querela præcesserit, nullatenus procedere possint, nisi crimina talia sint, quæ impediant executionem ordinum, aut retentionem officij, vt supra dictum est in cap.21. tract.1. §.1.

## §. IV.

ABbas igitur Generalis pro tempore existens, de factis proprijs, & sui officij executione rationem redditurus (durante visitatione ipsius) secedat iuxta antiquam ipsius Congregationis consuetudinem, & similiter Visitatores dum eorum visitatio agitur, secedant: Abbas verò Generalis visitationi Visitatorum interueniat, & ipsi Visitatores Abbatis Generalis. Ipsi autem Diffinitoriales Patres eorum vitam, & mores examinent in communi, nisi fortè aliquid criminosum contra ipsos delatum fuerit. Interrogent autem in communi de omnibus, non tamen in speciali de aliquo, tam super tribus votis, quàm super alijs, quæ in Constitutionibus, & Regula continentur.

## §. V.

VIsitationem autem Abbatis Generalis in principali Monasterio Abbatiæ faciendâm esse decernimus eo tempore, quo Diffinitoriale Capitulum congregatur, aut alibi, cum alio in loco dictum Capitulum cógregatur: Visitationem autem Visitatorum Generalium tempore Capituli Generalis in eodem Diffinitoriali Capitulo. in quo dicta quidem visitatio, quoad Generalem, officiorum suorum, Præsidentatus videlicet, ac Visitatoratus exequutionem, & administrationem cùm perfici possit, perficiatur, et absoluatur: quo verò ad Abbatiatum reseruetur, cùm incumbentia regimini Abbatiæ, ibidem disquiri, et examinari nequeant. In ipso quoque Generali Capitulo cum primum congregatur, ipsum visitationis negocium in Diffinitorio proponatur; in quo, iuxta præscriptum, et expressum superius modum, procedere debeant.

Ipsam autem visitationem seruatis de iure seruandis, secundum harum Constitutionum edicta, et sacrorum Canonum dispositionem, in omnibus, & singulis partibus die tertio, et ante quamcumque officiorum renunciationem, facto competenti sermone super repertis, complere teneantur; eosque vel absoluant, vel condemnent,

nent, prout de iure illos absoluendos, vel condemnandos fore iudicabunt; aut etiam si aliqua emendatione digna iudicauerint, emendent, et si qua insuper de cætero ab ipsis necessario facienda fore censebunt, iniungant, et mandent. Absolutus autem Abbas Generalis cum Visitatoribus præfatis ad locum suum reuertantur, et officium exerceant in ipso Diffinitoriali Capitulo cum cæteris.

## §. VI.

CAEterùm Visitatores Generales, quoad priuata ipsorum officia, quæ obtinent, Abbati Generali subdantur, et ab ipso cum interuentu vnius ex Diffinitorialibus Patribus Quarterij visitentur. Qui quidem Abbas Gereralis, tam de leuibus, quàm grauibus culpis eos corrigere, atque ab officijs priuatis, quæ obtinent, suspendere et priuare, aliàsq. punire posit cum dicto Diffinitore, prout iura disponunt.

## §. VII.

DIffinitores etiam similiter quoad priuata officia ipsis commissa, eorumq. administrationem, ac mores, et vitam ipsorum, ab omnibus dictæ Congregationis Officialibus eximantur, præterquàm ab Abbate Generali, cui obtemperare debeant; et visitationis tempore, aut aliàs cùm causa occurrit necessaria, à dicto Abbate Generali, vna cum Generali Visitatore secum ad visitationem accedente, & cum alicuius Abbatis interuentu, & præsentia, visitentur: & si fortè in visitationibus nocentes reperti fuerint, ab officijs, & dignitatibus priuatis prædictis, quas obtinent, suspendantur, & priuentur, nullo super præmissis ab alijs Officialibus publicis expectato, seu requisito iudicio, sententia, vel consensu. Si tamen grauiùs essent iuxta Canonum dispositionem puniendi, capitulariter puniantur ad votum sapientis, & communi pariter omnium, vel maioris partis Capituli deliberatione præcedente, ac seruatis de iure seruandis. Quoad publica verò ipsorum officia, tam ipsi Generales Visitatores, quàm Diffinitores, Diffinitoriali tantum Capitulo, eiusq. omnimodæ dispositioni subdantur, & per ipsum tantum Diffinitoriale Capitulum à dictis Officijs amoueri, aut suspendi, eisq. priuari possint, legitimis tamen præcedentibus causis, & seruatis de iure seruandis.

Specia-

## §. VIII.

SPecialis autem inquisitio contra Coabbates, Diffinitores, Generales Visitatores, vltra ea, quæ in ordinarijs visitationibus fieri contigerit, & de iure facienda sunt, nullatenus fieri debeat, nisi contra ipsos querela præcedat, vel fama publica cum euidentia patrati sceleris.

## §. IX.

CAEteri verò omnes Congregationis Officiales, vltra prædictos, maximè vero Abbates, & Priores, ab Abbate Generali, & Generalibus Visitatoribus secum ad visitationem accedentibus, vel ipsis solis respectiuè visitari debeant. In huiusmodi autem visitatione, suspensiones, & pœnarum inflictiones, quæ forsan ob grauiores præcedentes, & probatas culpas, faciendæ essent, ad Abbatem Generalem pertineant cum interuentu Generalis Visitatoris, tam in actu visitandi, quam extra, & quocumque tempore, legitimis, vt præfertur, præcedentibus causis, & in quibus Abbates, vel Priores ipsi de iure ab eorum officijs suspendi, aut aliter puniri debeant, nisi atrociora fortè ipsi Abbates, vel Priores delicta commiserint, & eorum scelerum fama publica innotuerit: in quo casu possint tam per Abbatem Generalem, quàm per alium quemcumque Officialem publicum, immo per ipsum Capitulum Monasterij ab administratione suspendi, & in carceres detrudi, & à prædicto Abbate Generali, vel ab eo auctoritatem habente, aut etiam à Visitatore Generali, condignè puniri, vsque ad priuationem exclusiuè.

## §. X.

CVm autem priuationis casus occurrerit in visitatione præfata, idem Abbas Generalis cum Generali Visitatore secum ad visitandum accedente, conuocato Capitulo Conuentuali eiusdem Monasterij, & processu publicato, iuxta Constitutionum nostrarum, & iuris formam, sententiam priuationis in scriptis ferant. In loco autem priuatorum Officialium Vicarij tãtum per eos deputari possint. Institutiones aliorum Officialium, Abbatum videlicet, et Priorum ad ipsum Diffinitoriale Capitulum spectent, et pertineant tempore Capituli Diffinitorialis; infra triennium verò per

Abba-

Abbatem Generalem cum cæteris modo, & forma aliàs prædictis. Principalis verò Monasterij Abbatiæ, vel alterius, si forte contigerit aliud Monasterium caput aliorum fieri, Prior, qui sui Prioratus officium sub eius regimine, & dispositione administrat, sicuti est ad eius nutum amouibilis, ita ab eo institui, & deponi possit, ex causa tamen iusta, & rationabili, absque strepitu, & figura Iudicij, aliàsque puniri, & deponi possit, ex causa tamen, iuxta nostrarum Constitutionum dispositionem, & ordinationes.

## §. XI.

CAusæ verò quæcumque in Quarterijs occurrentes, quæ Reuerendiss. Domino Abbate Generali longe distante, per supradictos sine ipsius interuentu, terminari non possunt, a Visitatore Generali, & Diffinitore, quoad capiendam informationem, & quoad alia pro ipsorum terminatione, modo prædicto, iuxta Abbatis Generalis commissionem, tractentur; salua tamen quoad hæc, vbi opus fuerit, Capituli Diffinitorialis auctoritate, in ijs, quæ præsentium Constitutionum edictis disponuntur, & ordinantur specialiter.

## §. XII.

CVm autem ob querelam, seu denunciationem, aut aliàs capienda erit, siue ex officio, seu ex commissione informatio, formari, aut respectiuè dari debeant articuli pro rubrica informationis capiendæ, super quibus interrogandi erunt testes, qui nullatenus interrogari debeant, nisi in ijs, quæ immediatè concernunt personam, & acta rei, contra quem proceditur; nisi de necessitate, & ob eruendam veritatem, alio modo fieri non possit, vt superius est expressum. In formandis autem processibus, eorumque singulis partibus discutiendis, & tractandis vsque ad sententiæ prolationem, laicus nullus admittatur Procurator, vel Aduocatus. In ferenda vero sententia, votum vnius, aut plurium Iurisperitorum pro arduis, & difficilibus causis, adhibeatur: cætera verò iuxta earundem Constitutionum dispositionem tractentur, & sententiæ iuxta expressas in eisdem, & Apostolicis Constitutionibus pœnas, & sacrorum Canonum formam ferantur.

Porro

## §. XIII.

POrrò cùm Visitatoris in primis munus, & officium in eo potissimum consistere dignoscatur, quòd si qua vigent in Monasterio scandala, & errores, vel peccata, radicitus euellantur, vt omnes in eo existentes munda Omnipotenti Deo conscientia deseruiant, nec ideo ad specialem inquisitionem alterius certæ personæ deueniri debeat, nisi aliquod crimen prius contra illam manifestetur, aut innotescat, cum euidentia sceleris; nihilominus exactissimam, ac diligentissimam adhibere debet curam, vt mala detegantur, ad hoc, vt opportunis iuris remedijs curari possint. atque ita, ex officio Visitator inquirere debet in Monasterio, an in eo delicta vigeant, aut succrescant; interroget tamen in communi de omnibus. Visitator autem in formando processu iudicialem modum seruet, vt infra.

## §. XIV.

CVm autem delicta in offensam transeunt alicuius, & ad Visitatoris notitiam deuenerint, si quidem per accusationem, & querelam, debet eam Visitator admittere, subscriptam tamen ab accusatore, vt in euentu non probationis, pœna a Sacris Canonibus contra calumniatores statuta, puniri possit. Si verò per denunciationem, debet eam similiter admittere, quamuis non subscriptam; cùm denuncians ad id non teneatur. Si verò in offensis ex officio procedatur inquirendo, solet quidem Iudex intimare parti læsæ, an velit accusare, aut alia in iudicio facere, aduersarijs simul conuenientibus, aut altero eorum instigante, vt crimina facilius detegantur, & probentur. Sed in occultis, quæ a sola suspicione emanant, secus est procedendum: inter Regulares enim accusator de illis non est admittendus. In manifestis autem admittitur, sed non de auditu, nisi constet a quo sit auditum, ita vt ille testis, a quo fuit auditum, sit præsens, vel saltem de facili haberi possit. Neque verò accusationes externorum admittendæ sunt contra regularem personam factæ, nisi accusator de sua, vel suorum iniuria conqueratur.

## §. XV.

CVm autem aliqui reperiantur Monachi, qui contra Prælatos, & Superiores suos facilè multa proponunt, non vt omnia probent, quia nec possent, sed vt illis notam inferant, vel aliquibus probatis, sic optata consequantur: Ideo statuimus, & ordinamus, quòd nullus omninò monachus contra suum Prælatum, vel Superiorem super crimine, vel criminibus deinceps quomodolibet audiatur, nisi se prius obligauerit ad pœnam congruam, si defecerit in probatione propositorum, vel alicuius ex eis, irremissibiliter subeundam. Et nihilominus omnia ea, quæ quisque corrigenda cognouit, vel in suo Superiore, & Prælato, vel subditis, debeat Abbati Generali, vel alteri Superiori in Prouincia, vel in eodemmet Monasterio existenti, omninò infra annum notificare, incipiendo ab eo die, quo tales delinquentes ab eo dignoscuntur facinora perpetrasse: Adijcientes, quòd si super excessibus, & criminibus delinquentium quis a Visitatore, vel Prælato cum iuramento requisitus, veritatem negauerit; anno elapso, odio, prece, vel pretio ductus, postea de eisdem eos accuset, præter hoc quod accusationem irritam, & vanam esse volumus, is pro infami habeatur, & vt talis ad quæcumque officia in Congregatione obtinenda sit inhabilis.

## §. XVI.

SAnè cùm deputati ad Monasterium, siue locum aliquem visitandum accedunt, poterunt in eo aliquandiu ob defessionem quiescere; nullum tamen in eo exercendo temporale munus, dum quiescunt, sed tantum primum locum in mensa, & in Ecclesia teneant: Adijcientes, quod tam Abbas Generalis, quàm Visitatores ad visitationem accedentes in Monasterijs, quæ visitantur, in exiguis quidèm vnum, vel ad summum duos, in maioribus autem vltra decem, in mediocribus vltra quinque dies, a die aduentus morari non debeant, nisi ex aliqua causa necessaria eos ibi diutius commorari oportuerit, quæ statim Diffinitorialibus notificari debeat; in alijs autem Monasterijs, quæ non visitant, vltra biduum commorari non debeant.

## §. XVII.

VOlentes autem, vt irreprehensibiliter in tam salubri Visitationis officio procedatur, decernimus, & mandamus, vt Abbas Generalis, Abbates, Priores, & alij in aduentu Visitatorum suorum, seu in ipsis Visitationibus, lautos ciborum non permittant apparatus, sed qui simpliciter, & communiter in Monasterijs fieri solent.

## §. XVIII.

MAndantes in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub priuationis propriorum officiorum, actiuæ, & passiuæ vocis pœna, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa, vt tam ipsi Visitatores, quàm Abbas Generalis, ac etiam alij excutiant manus suas ab omni munere, sub pœnis etiam a Concilio Tridentino, & sacris Canonibus præscriptis: nec quicquam petant, aut recipiant publicè, vel occultè pro se, vel alijs, nisi exculenta, & necessaria tantum, ac domesticas, & consuetas expensas, quibus indigere noscuntur. Pro expensis autem extra Monasteria faciendis in itinere, Abbates, vel Priores Monasteriorum illorum teneantur Visitatoribus prædictis prouidere.

## §. XIX.

CVm autem Visitatores incipere voluerint visitare, singulis Monachis, qui sunt de corpore Monasterij, siue loci, quem visitant, vocatis ad sonum campanæ, ac loco, & more solito congregatis, competentem sermonem faciant, negociumque Visitationis proponant, & mandent singulis de Capitulo ipso in virtute sanctæ obedientiæ, vt veritatem dicant, omni mendacio remoto, ad ea, de quibus fuerint interrogati.

Ipsi quoque Monachi teneantur veritatem dicere, tam in his, de quibus ab ipsis Visitatoribus interrogati fuerint, quàm in alijs, quæ contra Deum, Beati Benedicti regulam, Constitutiones Religionis nostræ, & doctrinam Euangelicam sciuerint, a Monacho aliquo fuisse commissa. Vt autem de omnibus in Visitatione perquirendis veritas facilius elucescat, percunctentur Visitatores de Monachis illius Monasterij, in quo visitant, a tempore Generalis Capituli, vsque tunc mutatis, quos etiam suo loco, & tempore, de rebus illius Monasterij, tam spiritualibus, quā temporalibus examinare teneantur.

Igitur

## §. XX.

IGitur completo Capitulo,& in ſcriptis habitis a Præſidente Monaſterij cunctorum Monachorum nominibus,remotis arbitris, ſigillatim de omnibus percunctentur in communi, non de aliquo particulari, tam ſuper tribus votis principalibus Religionis, videlicet, Obedientia, Paupertate, & Caſtitate, quàm de alijs, quæ in Regula Beati Benedicti, ac Conſtitutionibus Religionis noſtræ ſpecialiter demandantur. Ipſa verò interrogatio fiat non accepto iuramento, ſeu per excommunicationis ſententiam à principio,niſi forte interrogatus criminoſum aliquid dixerit de aliquo ſpeciali; quem tunc corporali iuramento cogant ſuum dictum firmare: in quo caſu adhibeant vnum, vel duos Patres probos, ac prudentiores illius Prouinciæ, ſiue loci, qui videant teſtium iuramenta,& depoſitiones audiant eorundem. Quod ſi contigerit ſuper crimine aliquo particulari teſtes examinari, non inter acta Viſitationis huiuſmodi examen inſeratur, ſed ſeparatus proceſſus formetur. Quæ verò in huiuſmodi viſitatione a ſingulis, & de ſingulis dicuntur, cuncta fideliter deſcribant, vt propalationis tempore fideliter publicentur.

## §. XXI.

VBi autem Viſitationem compleuerint, Capitulum teneant, ad quod ſinguli, qui debent, conueniant, quibus ſermonem faciant; & omnia male acta, ſi quæ reperta fuerint, prius increpent in communi; poſtea verò quemlibet de ipſo Capitulo (qui grauis culpæ fuerit corrigendus) nominatim vocatum ante ſe ſtare iubeant alijs ſedentibus, & de his, quæ de ipſo in viſitatione inuenerint, pro culpis corrigant, vt cæteri pertimeſcant. Monachi autem corrigendi huiuſmodi ad excuſandum ſe ibi, ſi legitime poterunt, admittantur, deinde more ſolito per eos Capitulum terminetur.

## §. XXII.

CRimina verò, ac delicta in viſitatione huiuſmodi reperta, non publicè, & palam, ſed ſecretò corrigi debeant. Si verò crimina ſint famoſa, & maiori informatione indigeant, illa committantur Prælato ordinario,ſiue alio Viſitatori bene viſo.ſi autem manifeſta, publica, & notoria,in ipſo Capitulo puniri poſſint, ac iuxta ipſorum qualitaté pœnitentiæ iniungi, ne populo Chriſtiano ſcan-

dalum generetur. Contra verò delinquentes procedant simpliciter, & de plano, sine strepitu, & figura iudicij, quæ in foro sæculari requiruntur. Eadem ratione in defensione, quæ est de iure naturali, ad quam (vt præmisimus) regulares sunt admittendi, simpliciter, & de plano procedi debet sine strepitu, & figura iudicij, cæterisque solemnitatibus in iudicijs sæcularium requisitis. Nullus autem stricto carcere detineatur, nisi pro manifesto, & enormi excessu; secus autem faciens per sex menses suspendatur ab officio. Enormem verò dicimus excessum, vel ratione generis peccati, vt inobedientiam formalem, peccatum cum scandalo, lapsum carnis; vel ratione circumstantiæ, vt est furtum rei notabilis, vel notoriè factum, vel frequenter commissum: & de casibus reseruatis idem iudicium habeatur. Condemnatus autem ad carcerem per sententiam, eo ipso omnibus actibus legitimis priuatus esse censeatur, ad quos per Generale Capitulum, vel Annale tantum restitui possit.

## §. XXIII.

CArceres autem constituantur in singulis Prouincijs plures, & tuti, qui non sint omninò lucis expertes, vt carcerati Diuini Officij lectioni pro speciali consolatione incumbere possint.

In primo Quarterio, in Abbatia sancti Spiritus, Aquilæ, & Corropolis. In secundo, in Monasterijs Terræ Nouæ, Noui, & Casaluccij. In tertio, in Monasterijs Litij, Luceriæ, & sancti Seueri. In quarto, in Monasterijs Bononiæ, Mediolani, & Bergomi. Expensæ verò pro huiusmodi carceratis subministrentur a Monasterio, a quo carceratus mittitur, vel de cuius familia existit, ad rationem vnius Iulij cū dimidio in singulos dies. Officijs autem priuati, etiam confessione, prædicatione, lectione, difinitione, visitatione, & electione priuati censeantur; ita vt quicumque officio priuati existent, in præfatis non se possint aliquo modo immiscere, neque possint, nisi per Capitulum Generale, vel Annale restitui, vel reintegrari, iustis tamen, & rationabilibus id exigentibus causis. Ad priuationem autem huiusmodi, absque vrgenti, rationabili, & ardua causa, ac plurium seniorum Monasterij, & principalium maturo consilio, probatoque voto, nullatenus deueniatur: Secus autem facientes in pœnam incidant suspensionis ab officio per sex menses. In ea verò infligenda seruentur ad vnguem, quæ in his Constitutionibus ordinantur circa Officialium depositionem, & priuationem.

Incor-

## §. XXIV.

INcorrigibilium Monachorum processus super excessus conscripti, & examinati, ad Annale, vel Generale Capitulum transmittantur. Quòd si ita incorrigibiles fuerint, vt neque culpam cognoscere, neque pœnitentiam condignam subire voluerint, in carcere macerentur. si verò pœnitentiam acceperint, & correctionem non recusauerint, eis cum misericordia pœnitentia iniungatur: quam si neglexerint, in carceribus detineantur. Si autem eijciendi sint a Religione, seruentur dicta decreta sacræ Congregationis Concilij de Regularibus Apostatis, & eiectis.

## §. XXV.

IN excommunicationis sententia ferenda in subditos, tam Abbas Generalis, quàm alij potestatem habentes omninò seruent decretum Concilij Tridentini, & dispositionem sacrorum Canonum. Cùm verò lata fuerit excommunicatio, non possint absolui ab inferiore aliquo officiali. Absolutio autem ab excommunicatione impendatur in forma Ecclesiæ consueta. Pœnæ verò, vtcumque, aut tempore Visitationis, aut alias a Visitatoribus, vel alijs Superioribus impositæ, dispensari, vel permutari, vel minui nequeant, præterquam ab Abbate Generali, vel habentibus auctoritatem superiorem, ex causa tamen iusta, & rationabili.

## §. XXVI.

NVllus etiam absoluatur, nisi prius satisfecerit ei, qui fuerit quoquo modo læsus. Processus verò contra reos fabricati, si tempore Capituli Generalis, vel Annalis, reo pro exequutione sententiæ in pœnitentia existenti, & per se ipsum, vel alium coram Patribus veniam humiliter petenti, ac de commissis pœnitenti, pœna in toto, vel in parte per Capitulum rationabiliter, & legitimis ex causis remissa fuerit, nullum amplius contra reum robur habeant, nisi reus in eodem de cætero, vel similia, aut alia grauiora crimina relapsus fuerit.

## §. XXVII.

IN pœnas autem, quæ præsentium Constitutionum vigore infligendæ veniunt, in ipsis videlicet Statutis expressas, vt carce-

ris, excommunicationis, suspensionis, & priuationis, nolumus aliquem incidere, nisi de industria, vel data opera contrarium fecerit eius, quod sibi iubetur faciendum; nec pœnas ipsas luat, nisi declaratione facta per Superiorem, quòd in ipsas inciderit. Superiores autem ipsi non declarent, delinquentem peccatum commisisse, pro quo pœna est imposita, nisi per rei euidentiam, vel alias legitimè de crimine constiterit; post declarationem tamen huiusmodi ipso facto reus in pœnam impositam incurrit sine noua inflictione. Causam verò inflictionis pœnarũ quarumcũq. vel excessus, & crimen, pro quo poena imponitur, aut correctionẽ, Visitatores ipsi nullo modo externis personis reuelare præsumant, neque alij hoc ipsum attentare audeant, sub poena priuationis propriorũ officiorũ, legitimorum actuũ, & carceris respectiue: ac reperta in Visitationibus nullibi, quàm in Capitulo, aut Abbati Generali, pro complemento scilicet iustitiæ, ipsaque ministranda; nec illos, & eorum nomina, qui eis aliqua secretò in visitationibus manifestarunt, præsumant aliquo modo reuelare, nisi cùm ad alicuius priuationem, vel poenam fuerit procedendum. Aliter autem facientes puniantur, prout facti qualitas exigit ad arbitrium Reuerendiss. D. Abbatis Generalis.

## § XXVIII.

VBi verò pecuniaria poena de iure imponenda foret pro aliquo delicto, vel cùm propter malam administrationem, seu rerum substractionem, vel deperditionem, seu furtum ad restitutionem aliqui tenebuntur, eam poenam Monachi luant in corpore, cùm proprium non possideant. Condemnatus autem si crimen & delictũ ipse confessus fuerit, sententia contra eum lata debet statim executioni demandari; non confessus autem, si conuictus fuerit, potest similiter canonicè poena extraordinaria condemnari. Si quis verò sponte antequam delatus fuerit, proprium crimen Prælato suo poenitens notificauerit, quod absque proximorum scandalo, ac Dei offensa remitti possit; misericordiæ auxilium ei prima quidem vice imponendum esse decernimus, quoad extrinsecum forum, alia minori iniuncta poenitentia salutari. quòd si in eadem crimina recidat, ad statum pristinum reducatur, si de recidiuo lapsu sufficiens probatio habeatur.

Quamuis verò in criminum perquisitione, & correctione iuris rigorem Monachi seruare non teneantur, sed iuxta Congregationis insti-

Instituta, Constitutiones, & Regulam poenæ iniungendæ sunt, quæ aut expressæ habentur, aut inde deduci possunt: in atrocibus tamen causis,& criminibus in manifestam Dei, vel proximi offensam commissis, ad quorum perquisitionem, & correctionem maiori, & efficaciori legum, & iuris, & forsan superioris potestatis, aut etiam brachij sæcularis auxilio opus esse dignoscetur, Abbas Generalis cum consilio sapientis (prout opus fuerit) de iure procedat.

## §. XXIX.

QVemadmodum Visitatores, & Prælati in corrigendis excessibus eum scopum habere debent, vt errantes ad viam veritatis reducant, omni affectu remoto, vel amoris, vel odij, charitatis, & pacis studio tantum impulsi: Ita subditi nocentes patienter se debent obediendo correctioni subijcere, omni murmuratione, aut reluctantiæ obstaculo semoto. Quicumque autem se opposuerit verbo, aut facto directè, vel indirectè, seu etiam ab externis personis, aut laicis auxilium, consilium, fauorem, seu literas animo se opponendi, aut non obediendi, vel aliàs obtinuerit, impetrauerit, procurauerit, seu etiam quouis modo impediuerit, vel fecerit, quòd mandata, & sententiæ contra eos latæ executioni demandari non possint, siue hæc ipsa laicis, & extraneis notificauerint, seu a proprijs Conuentibus, etiam sub prætextu ad suos Superiores recurrendi, abierint; pœna duplici, & tanquam proprij Instituti desertores puniantur. Fractores item carcerum pro similibus causis pari modo puniantur.

A Prælatorum sententijs, & mandatis pro correctione legitima nullus appellare possit. Si quando autem ex iusta, & rationabili caussa recurrendum fuerit ad Abbatem Generalem, primum quidem ex causa inferiorum ad ipsum, ad Diffinitoriale verò Capitulum ex causa eius, & ad Capitulum Generale ex causa Diffinitorialis; attamen pro recursu huiusmodi, mãdatorum obedientia nullatenus prætermittatur: Itaque si recurrendum est, ac recurrere voluerint, obediant, & recurrant: & si iusta iudicata, & probata fuerit recursus causa pro grauamine illato recurrenti, puniatur atrocius, qui grauamen intulit, ne obedientiæ bonum, malum alteri operandi, & iniquitatem exercendi occasionem præbuisse videatur.

## §. XXX.

CVm igitur de aliquo Monacho criminosum aliquid inuentum fuerit, per tres, vel duos testes, vel quòd ipse idem crimen legitimè, & rationabiliter sit confessus, vel aliàs notorium fuerit cum euidentia patrati sceleris, ita vt non indigeat clamore accusationis; mox ipso Monacho, & crimine publicato, ac testibus, seu legitima confessione ipsius coram ipso, grauioris culpæ pœna castigetur, secundum nostræ Religionis Statuta. Quòd si fortè corrigendus præsens non fuerit, ipse Visitator per suas literas crimen, vel crimina, & testes continentes, mandet Præsidenti illius Monasterij, in quo tunc corrigendus Monachus commoratur, vt ipsum in pleno Capitulo corrigat (vt diximus) nomine, ac testimonij publicatis. Testes autem huiusmodi contra Monachos admittantur, tam de Monachis Religionis nostræ, quàm de secularibus bonæ famæ, & conuersationis honestæ, qui verisimiliter perhibere possint testimonium veritatis, quique non timore, vel odio, sed charitate ducti, ac iuramento præcedente (vt dictum est) veritatem aperuerint. Verùm si per vnum Monachum tantum, vel sæcularem inuentum fuerit de aliquo aliquid criminosum, non adhibeatur ei grauis culpæ correctio; sed id fideliter redigatur in Actis clausis, & proprio sigillo signatis, si fortè alibi in alio tempore poterit per alium, seu alios idem crimen certiùs detegi, & sic iusta adhiberi punitio, adhibeatur; nisi fortè de his, tam Monacho, quàm crimine fama publica euolet, quæ cum teste vno grauioris culpæ correctionem exposcit; vel si testes non possint haberi, vbi malè accidit apud personas graues, vel fide dignas, ei purgatio indicatur; in qua si defecerit, puniatur, ac si contra eum foret per testes idoneos comprobatum.

## §. XXXI.

CAEterum volumus, ac districtè præcipiendo mandamus, vt ad inquisitionem specialis personæ super speciali crimine, Visitatores Generales Religionis cùm non possint ex officio, non procedant, nisi fortè aliquis fuerit primo legitimè accusatus, aut fama publica id exposcat, vel nisi specialem commissionem super hoc habuerint ab Abbate Generali. Quæcumque verò in visitationibus prouidenda censebuntur pro spiritualium cultu, & tempora-

poralium administratione, Visitatores in scriptis redigant, & sub pœnis eis bene visis inuiolabiliter mandent obseruari. Ordinationum autem per ipsos in Monasterijs factarum, exemplar in libro Visitationum apud se retineant; vt cùm aliàs Monasteria illa visitabuntur, Visitatores alij cognoscere possint, an obseruatæ, & executioni demandatæ fuerint, & in euentum non executionis, præuaricatores debita pœna puniri possint. Visitatores autem ipsi quicumque dum visitant, alia officia non exerceant, nec temporalia, nec spiritualia, nisi tenere Capitulum, vt dictum est, per supradictos dies visitando, & delinquentes iuxta formam superius descriptam corrigendo: Omnia verò alia Præsidentes exerceant in Monasterijs visitatis. Abbas verò principalis Monasterij Abbatiæ, qui habet potestatis plenitudinem, cum voluerit, & quandocumque sibi placuerit, visitare, seu inquirere non teneatur ad prædicta obseruanda, quæ superius enarrauimus; sed possit ad omnia, & singula se extendere, quæ de substantia visitationis, & inquisitionis fuerint de iure.

## §. XXXII.

Visitationem verò ipsam, neque rariùs, ne succrescant vitia, neque frequentiùs, ne in expensis Monasteria grauentur, faciendam esse decernimus; sed statuto tempore visitentur omnia loca, & Monasteria Congregationis: ab ipso quidem Abbate Generali semel in triennio, item & pluries, si necessitas exegerit, cum deputato Visitatore, eo scilicet qui Monasteriorum, quæ visitantur in Capitulo Generali, Visitator electus fuerit: Ab ipsis autem Visitatoribus semel in anno inter Pascha Resurrectionis, & Pentecostes, vel quoties fuerit opportunum, & necessarium; ex causa tamen vrgenti, ad mandatum eiusdem Abbatis Generalis: vltimo autem anno trienij tempore opportuno. Cæteri autem publici Officiales tempore visitationis ordinariæ visitentur, & nihilominus in singulis Diffinitorialibus, ac Generalibus Capitulis eorum vita & regimen examinentur. Non possint verò Visitatores electi in Generali Capitulo, neque soli, neque cum Abbate Generali alienas Prouincias visitare; sed quisque suam Prouinciam visitabit. Tempore autem quo Abbas Generalis visitare tenetur, si impeditus personaliter accedere ad visitandum non potuerit, deputet loco sui Patrem aliquem ex Diffinitorio eiusdem Quarterij, qui visi-

tare

tare debeat Monasteria deputata. In visitationis autem executione circa correctionem, & alia Visitationis officium subsequentia, iuxta propriorum officiorum rationem, & potestatem sibi concessam se gerat: sed antequam Visitationem tam ipse Abbas Generalis in tota Congregatione, quàm Visitatores in suis Quarterijs incipiant, indicent, & collocent Orationes Quadraginta horarum iuxta morem Ecclesiæ, pro bono ipsius Visitationis progressu, vel in Abbatia sancti Spiritus, vel in principali aliquo Monasterio Quarterij respectiuè, vnde incipienda est visitatio. Monachis autem, qui dictis orationibus saltem spatio duarum horarum in diuerso tempore interfuerint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, Romani Pontificis salute, ac sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione, necnon disciplinæ, & obseruantiæ regularis augmento, pias ad Deum preces fuderint, si confessi communicauerint, vel Missam celebrauerint, Plenariam omniũ peccatorum Indulgentiam, & remissionem concedit fel. rec. Paulus Papa V. in literis, Romanus Põtifex, die 23. Martij M. DC. VI. editis.

## §. XXXIII.

VLtra verò ea, quæ morum reformationem, ac Dei cultum, & Ecclesiæ seruitia concernunt, administrationem temporalium diligenter Visitatores inquirant; & in hoc in primis intendant, an bonorum administratio per distinctos Officiales, vt in Constitutionibus ordinatum est, facta fuerit, & an depositum seruatum sit; itemq. de receptis, & expensis rationem videant: & circa expensas, eas tantum, quæ honestæ fuerint, & communes, ac ordinariæ, & iuxtà Constitutionum prædictarum modum præscriptum admittant; cæteras autem reijciant: Ac de bonorum tam mobilium, quam immobilium, aliarumq. rerum conseruatione, & qualitate, & quantitate ipsorum, eandem inquirendo diligentiam faciant. Fabricas etiam, & ædificia inspiciant, an reparatione indigeant, aliaq. videant, & considerent, quæ circa hæc necessaria videbuntur. Numerum etiam personarum in Monasterijs attendant, & considerent, an tot in eis, & tales retineantur personæ, quot, & quales ipsorum facultates ferre possunt: & obligationes, si quæ extant in Ecclesia, pro diuinis Officijs, & sacrificijs adimplendis, aut quas fidelium deuotio, & populi frequentia requirant.

## §. XXXIV.

VT autem circa præmissa, ea quæ sunt inquirenda in Visitatione, & alia ad Visitatoratus officium requisita, per Visitatores ad vnguem adimpleantur, nihilq. omittatur, quod pro Dei in primis cultu conseruando, augendoque, componendis moribus, corrigendis excessibus, spiritualibus hostibus repellendis, pace tuenda necessarium, & expediens iudicatum fuerit; super infrascriptis interrogatorijs,& articulis per singula, tam pro personis, quàm locis diligentius indagere, & examinare curent. Visitatores ergò primo accedant ad locum vbi sacrosancta Eucharistia, & Reliquiæ sanctorum asseruantur, & videant.

## §. XXXV.

AN in loco competenti, honesto, & tuto reponantur.
An qualibet hebdomada renouentur particulæ sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti.
An sit in debita forma non maculatum, vel corrosum.
An sit in debito, & decenti vase argenteo, intus deaurato clausum.
An habeat Corporale suppositum, & mundum.
An in honorifico, debito, & condecenti loco sit collocatum.
An sit super tabernaculo signum depictum, ad ostendendum, quòd ibi sit positum Corpus Christi.
An sit benè clausum claui.
An sit in loco non humido.
An diu, noctuq. coram loco Eucharistiæ lampas ardeat.
An sacræ Reliquiæ in vasis condecentibus in loco honesto, & tuto conseruentur.

## §. XXXVI.

DEinde accedant ad locum vbi sunt Calices, & Cruces, & alia Sacra, & videant.
An ibi sint Calices, & Patenæ necessariæ. An Calices sint fracti, vel maculati.
An sint argentei, & non plumbei, vel ærei; An in parte interiori aurum sit consumptum.
An tutò,& mundè conseruentur.
An ibi sit Crux pro Processione, & mortuis.

An

An sit imago ad dandam Pacem.
An ibi sint ampullæ ad dandum vinum, & aquam.
An ibi sint Corporalia, & Pallæ necessariæ, ab habente potestatem benedictæ.
An in quolibet Calice sit panniculus ad tergendum, & alius ad voluendum.
An ibi sit Mantile ad inuoluendam Patenam pro Subdiacono.
An mundè conseruentur, & custodiantur.
An sit ibi Thuribulum, & Nauicula pro Thure.
An ibi sint candelabra pro Altaribus, & Ceroferarijs.

## §. XXXVII.

DEinde videant Missalia, & alios libros ad diuina Officia statutos.
An ibi sint libri necessarij, videlicet Missalia, Antiphonarij, Lectionarij, liber Psalmorum, liber qui Collectarius dicitur.
An benè custodiantur dicti libri ne corrodantur.
An sint corrosi, vel maculati, ita vt non possint legi.
An cautè custodiantur in Sacristia, vel Choro in capsis.
Deinde visitent paramenta, & ornatus vestium Sacramentalium.
An ibi sint paramenta pro Clericis.
An ibi sint paramenta pro Sacerdotibus.
An ibi paramenta sint pro Cantoribus, & an sint paramenta omnium colorum, quibus vtitur Ecclesia.
An ibi sint paramenta pro Altaribus, videlicet vnum Pallium, & tria Mantilia linea pro quolibet Altari.
An tutò & mundè conseruentur, vt non corrodantur.
An lacerata paramenta resarciantur.
An non munda paramenta prima lotione lauentur per Clericos in sacris constitutos, & non per mulieres, vel laicos, ne efficiantur profana.
An Missæ suppleantur iuxtà obligationes expositas in Tabella.

## §. XXXVIII.

DEinde visitent Ecclesiam, & videant.
An ibi sit competens Sacristia, & locus ad lauandas manus.
An in Ecclesia sint debita altaria, & ab Episcopis consecrata.
An

An Altaria ſint collapſa.
An Eccleſia ruinam minetur.
An tecta, vel parietes ſint collapſi.
An Lapis conſecrationis ſit integer, & cum ſacris Reliquijs, debita menſura, hoc eſt vnius palmi cum dimidió per longum, & ſimiliter per latitudinem.
An ſit ſacratus, vel ſaltem ſit ibi Altare portabile conſecratum.
An Altaria mundè conſeruentur, & ſimiliter tota Eccleſia.
An quodlibet Altare habeat Crucem, & ſuas Imagines.
An in Eccleſia ſit Crucifixus, Imago Virginis Mariæ, & Sanctorum, in quorum venerationem Eccleſiæ dedicatæ ſunt. An ibi ſint Campanæ neceſſariæ.
An propè portas ſint fontes lapidei pro aqua benedicta.
An aqua benedicta quolibet Dominico die renouetur.
An in Eccleſia ſeruentur frumenta, vina, & cætera prophana.
An in Eccleſia fiant comeſſationes, contractus prophani, tripudia, ludi, &c.
An in Eccleſia ſint portæ neceſſariæ.
An illæ debitis temporibus aperiantur, & claudantur.
An Eccleſia ipſa ſit aliquo modo polluta.
An Cæmeterium ſit vndique clauſum; ne animalia illuc ingrediantur.
An Proceſsiones fiant, vt decet, & iuxta tempora, quibus obligantur.
Deindè viſitent Bibliothecam ſtudij, & videant.
An ibi ſint libri ad ſufficientiam pro ſtudentibus.
An ibi ſint libri prohibiti, ſeu prophani, vel laſciui.
An debitè cuſtodiantur.

## §. XXXIX.

DEindè viſitent Infirmariam vbi contigerit, & videant.
An ibi ſint cubilia apta, & ſalubria pro infirmis.
An ibi ſint lecti ad ſufficientiam cum cultricis, linteolis, & tegumentis.
An ibi ſint vaſa ad Infirmorum curam neceſſaria.
An in Monaſterio ſit, qui curam Infirmorum habeat.
An pro curandis ægrotis conductus ſit medicus.

An

An infirmorum cura habeatur, & omnia necessaria eis cum charitate ministrentur, præcipuè Sacramenta Ecclesiæ.

## §. XL.

DEinde visitent Dormitorium, & videant.
An in Dormitorio noctu lumen adsit.
An in ianuis Cellarum sint cancellatæ superius.
An communi claui possint aperiri Cellæ ab Abbate, vel à Priore.
An Monachi habeant in Cellis capsas clausas.
An aliquid prohibitum, vt arma, libros lasciuos, citharas, & eius generis Instrumenta retineant in Cellis.
An sine licentia, & necessitate paramenta, apparatus, & alia in Cellis retineant prohibita.
An aliquid proprium in Cellis habeant.
An in Cellis aliquid deficiat necessarium pro Monachis.
An in Cellis Monachi retineant, sicut decet, Imagines Crucifixi, Mariæ Virginis, & Sanctorum.

## §. XLI.

DEinde visitent locum Hospitij, & videat Visitator.
An Cellæ Hospitij sint refertæ necessarijs vtensilibus.
An commodum sit Hospitium.
An sit separatum à Dormitorio, & Claustro Monasterij.
An sit, qui curam Hospitum habeat, & an cum charitate recipiantur, & tractentur.

## §. XLII.

DEinde visitent Promptuarium, & Horreum cum Coquina.
An in Cellario sit vinum pro potu Monachorum.
An dolia, & vasa vinaria benè custodiantur.
An vinum incuria & negligentia Officialium sit corruptum.
An in promptuario sint Mantilia, Oristergia, Mappæ, & id genus vtensilium pro mensa Monachorum.
An ibi sint vrceoli, & cyathi ad sufficientiam.
An isthæc mundè custodiantur.
An in Coquina sint vtensilia conuenientia, & necessaria.
An in Horreo sit frumentum sufficiens, & bonum pro victu Monachorum.

Dein·

## §. XLIII.

DEinde visitent Vestiarium, & videant.
An in eo vestes ad sufficientiam conseruentur.
An indumenta vetera in ipso custodiantur.
Omnia verò supradicta cum Inuẽtario assignationis aliàs factæ Abbati, seu Priori Monasterij, visitent, vt sciant Visitatores, an desit aliquid de assignatis: deficiẽtia verò omnia mandent fieri, & prouideri, & vetera, seu inutilia restaurari, mandato in scriptis facto.

## §. XLIV.

DEinde visitent omnia loca Monasterij, & videant.
An sint ibi omnia pro qualitate loci requisita, & necessaria.
An sint ibi portæ falsæ (vt dicitur) per quas possint Monachi, vel alij intrare, & exire.
His expeditis procedant ad singulorum Monachorum examen, inquirendo, & inspiciendo in communi.
An superfluas, & splendidas habeant vestes.
An more solito, & Monachali sint vniformiter vestiti.

## §. XLV.

DEinde in particulari circa mores ipsorum, iuxta subsequentium articulorum continentiam.
Quot sint Clerici, & qui.
Quot item sint Conuersi.
Quot etiam fuerunt in præterito, & qui.
An ad Monasterium cum mandato fuerint transmissi.
An mãdato assignato recto tramite ad Monasteriũ se transtulerint.
An aliqui à Monasterio discesserint, seu mutati fuerint, & vbi in præsenti commorentur.
An diuinum Officium deuotè, & distinctè sine derisu, aut iocis, & colloquio, & non cursim celebretur.
An omnes diu, noctuque attendant in Ecclesia ad Officium dicendum; & qui sunt, qui non surgunt, & quare.
An qui Officium omittunt in Ecclesia, dicant seorsum.
An Officium in Ecclesia aliquod omittatur, tam Diuinum, quam Beatæ Virginis, & fidelium Defunctorum.
An Officium debitis horis dicatur.

An

An quotidie Missæ in Ecclesia celebrentur, & quot.
An sæpius communicent, & peccata sua confiteantur.
An mortui ordine debito, & cum officio, & orationibus ab Ecclesia statutis sepeliantur.
An deuotè Missas celebrent.
An celebrauerint vnquam, vel sciant aliquem celebrasse duas Missas absque paramentis requisitis.
An aliquam negligentiam, vel malitiam commiserint, seu ob negligentiam, vel malitiam aliquid omiserint in Missa.
An celebrauerint coram excommunicatis scienter.
An in Ecclesia solitis, & consuetis ceremonijs vtantur.
An ipsorum aliquis excommunicatus, vel interdictus celebrauerit.
An scienter dederit Eucharistiam alicui excommunicato.
An celebrauerit in Altari non consecrato, vel cum tabula non consecrata, vel totaliter fracta, vel in Calice non consecrato, & paramentis non benedictis.
An sciant Officium disponere, cantare, legere, &c.
Quam ætatem habeant ordinati, tam Diaconi, quàm Subdiaconi, & Sacerdotes.
Quamdiu est quod sunt ordinati.
A quo Episcopo sint ordinati.
A quo licentiam habuerint ordines suscipiendi.
An ante legitimam ætatem, vel ab Episcopo excommunicato, vel interdicto fuerint ordinati.
An in Monasterio sint Confessores deputati, & quot, & qui sint illi: & de ipsis inquiratur,
An sciant audire confessiones, & quem ordinem seruent in eis audiendis, & dando pœnitentiam; an sciant discernere inter peccatũ veniale, & mortale; & quot sint peccata mortalia, Præcepta legis, Articuli fidei, Sacramenta Ecclesiæ, opera misericordiæ, &c.
An omnes Breuiarium habeant.
An in Ecclesia pulsetur quotidie Campana ad horas canonicas dicendum, & salutationem Angelicam de sero, & de mane.
An Monachi omnes ipsius Monasterij sint professi Regulam, & Ordinem sancti Benedicti.
An aliqui de nouo professi fuerint.
An aliqui de nouo ad Congregationem sint recepti, & qui, & à quo, & de eorum ætate, & sufficientia, & qualitatibus.

An

An Nouitij similiter, & professi suum officium faciant.
An in Monasterio sit Nouitiorum Magister, & qui.
An Nouitij regantur, & custodiantur in Dei timore, & Regulæ obseruantia.
An cæteri Monachi secundum Regulam viuant.
An seruent silentium suo loco, & tempore.
An semper, & simul in Refectorio comedant, & cum lectione.
An omnes in Dormitorio dormiat.
An bene, & semper gestent monachalem habitum.
An obseruent ieiunia secundum Canones, & regularia Instituta.
An ibi adsit aliquis vagabundus.
An in Monasterio fiant aliqua indebite, & contra Regulam Beati Benedicti, & quæ.
An ibi fiant Capitula frequenter, & quid in eis agatur.
An in mensa, vel Dormitorio, vel vestitu sit aliqua differentia, & acceptio inter eos.
An sit satisfactum Monachis de pannis debitis, & tempore debito.
An portæ Monasterij, & Ecclesiæ debitis horis claudantur, & aperiantur.
An semel in mense cellæ visitentur ab Abbate, seu a Priore.
An aliqui odio inter se diffideant, & qui.
An sint aliqui Proprietarij.
An Abbas, seu Prior bene tractet suos subditos opere, & sermone.
An subditi debitum obsequium, & obedientiam præstent suo Superiori.
An aliqui faciant sortilegia, & incantationes.
An aliqui male sentiant de fide.
An fama, & vox volet contra aliquem de incontinentia, furto, praua conuersatione, inhonesta, ac turpi vita.
An omnes incedant cum decenti habitu, & tonsura sociati.
An personæ aliquæ suspectæ, vel cōtra honestatem Religionis Monasterium ingrediantur.
An sciant aliquem esse excommunicatum.
An aliqui eorum exerceant negocia sæcularia, vel mercaturam, vel vsuras, & alios contractus illicitos, vel exigat vectigalia, seu alia onera sæcularia.
An ibi sint Alcatores, seu alicuius ludi prohibiti lusores.

An mechanicis artibus incumbant.
An aliquis soleat se vino, vel crapula ingurgitare.
An aliquis sit impudicus re, verbo, vel consuetudinem habeat cum impudicis personis, vel cum scurris, grassatoribus, & his similibus.
An sint aliqui ipsorum blasphemi, vel conspiratores.
An in Monasterio excipiantur exules, & Curiæ contumaces.
An admittantur, vel sint admissi aliqui Conuersi, vel Monachi per simoniam, vel aliqua fiant, vel concedantur.
An aliquis sit concubinarius, vel habeat filios illegitimos.
An aliquis eorum frequentet Monasteria Monialium.
An aliquis sit rixosus, vel contentiosus.
An aliquis sit contemptor Regulæ, & Institutorum nostrorum.
An in locis, vbi studia retinentur, sint studentes in numero sufficienti.
An sint in lectionibus assidui.
An sint nimis elati, vel superbi. An in horis, quibus tenentur, Officium, & Ecclesiam frequentent. An sit in Monasterio lector catholicus, qui eis lectiones exponat, binas saltem singulis diebus, aut etiam ternas, & an sæpius in disputationibus, cum studentibus se exerceat; & an Monachis, qui studentes non sunt, exponantur casus conscientiæ, Regulæ, & Patrum collationes.
An Prælatus vitam, & conuersationem honestam agat.
An quæ ad obseruantiam Ordinis, & Religionis pertinent, diligenter prosequatur, & in exequenda Regula, & Statutis Ordinis feruens conspiciatur.
An eandem Regulam ad Christianam pietatem, & æquitatem pro ratione personarum, & aliarum circumstantiarum moderetur, vt semper primas obtineat fraterna charitas, & magis spectetur in omni tempore pietas, quàm exercitatio corporalis.
Num sæpe ex Monasterio discedens aliò proficiscatur, & extra illud habitationem suam custodiat, vel diu commoretur.
An pacem, tranquillitatem, & concordiam inter omnes sibi subiectos nutriat, & conseruet.
An Monachos ad studia Sacrarũ literarum, & meditationes inuitet.
An communiter conuiuat cum Patribus in mensa communi.
An superfluos, & vanos faciat sumptus.
An familiam superfluam, vel equos ad fastum, & pompam, Principum more nutriat.

An

An ipsius negligentia Monachi vitam laxiorem ducant.
An sæpius quam expediat, exeundi Monachis licentiam concedat.
An vitia intrepidè, & amicè corrigat sine personarum delectu.
An Instrumenta, Iura, & priuilegia conseruet.
Quot, & quæ officia sint in Monasterio, & qui sint officiales, & de ipsorum sufficientia, conditionibus, vita, & moribus, & conuersatione.
An sint officiales omnes secundum Constitutiones, & reformationes.
An Monasterium ære alieno sit obstrictum, & cui, vel quibus, in qua summa, & de causis eorundem debitorum.
An aliqua bona Monasterij, & Ecclesiæ, seu etiam sacristiæ, mobilia, vel immobilia, vel sese mouentia, sint pignorata, vel alienata, & cui, & pro quanto, & a quibus, & qua de causa.
An locationes domorum, terrarum, &c. fiant fideliter, sine fraude, & damno Ecclesiæ.
An Abbas, seu Prior manuteneat, & conseruet bona Monasterij.
An studeat professiones fieri, vt decet.
An Abbas, seu Prior bene defendat iura Monasterij.
An prouentus conuertantur in vsus, & necessitates Monasterij, atque vtilitatem Monachorum.
Ad quam summam ascendant prouentus Monasterij.
Quot personæ possint ex illis ali, si rectè administrentur.
An eleemosynæ iuxta Monasterij facultatem pauperibus erogentur.
An maior numerus Monachorum posset esse, & commodè viuere in Monasterio secundum facultates.
An aliquo anno supersint aliqui redditus, & quid fiat de illis.
An aliqua cognoscant reformanda, & corrigenda esse in temporalibus pro conseruatione bonorum, & vtilitate Monasterij.

## §. XLVI.

POsthæc inspiciant libros computorum, tam in introitu, quam in exitu, earumque positiones diligenter examinent, & attendant, an deficiant in introitu, & an superfluæ sint in exitu.

# Inquirenda a Curatis.

## §. XLVII.

AN Synodis Episcopalibus intersint, illicque referant, et exponant suæ Decaniæ statum, et Decreta synodalia publicent, et exequantur.

An attente inuigilent, vt si quid aduersus fidē, pietatemq. emergat, Reuerendiss. Domino Episcopo significent.

An sciant omnes, et velint populum non coacte, sed sponte docere: et an verbum Dei singuli pro captu Populi prædicent, et an Orthodoxam doctrinam tradant, et an ædificent, vel corrumpant gregem.

An sint in Parochia Clerici sæculares sine canonica institutione, seu ordinatione intrusi.

An aliqui, quibus est pleno iure prouisum, se intromittant in Ecclesijs, sine præuio examine Episcopali.

An vagantes, et incognitos Sacerdotes fugitiuos, aut extra obedientiam constitutos Monachos, absque Prælatorum suorum testimonijs admittant, seu (quod peius est) an suspectos de fide, aut flagitiosos Sacerdotes, vel Monachos, per quos populus eis creditus seduci, aut corrumpi facilius, quam doceri potest, ministerijs adhibeant.

An ipsi Curati instruant, et doceant populum de his, quæ ad Fidem, et Religionem nostram pertinent, vt norit quid credere, et quomodo conuersari, ac viuere in sua quisque vocatione debeat.

An sint inter eos segnes, aut cæci Speculatores, et velut canes muti non valentes latrare, qui non sciant populum a peccatis remouere, et incorrigibiles ad eorum Superiores deferre.

An rudes, & paruulos suæ Parochiæ diebus festis instruant, & doceant Symbolum, precationem Dominicam, salutationem Angelicam, seu Decalogi præcepta, aut saltem habeant aliquem idoneum, & catholicum virum, per quem hoc præstent.

An Euangelium, & sacras Literas cum veritate tractent, & doceant iuxta homilias, sententiam, & interpretationem Sanctorum, & Orthodoxorum Patrum.

An quæstiones difficiles, & perplexas moueant, vel disputent in

Sug-

ſuggeſtis: & num eas adducant, quæ ad populi ædificationem nil faciunt, aut aliquid aliud indecens, & ſcandaloſum proferant.

An ſimul doceant miſericordiam, & iuſtitiam Dei, vt pœnitentes ad bene ſperandũ inflamment, & malos a peccatis deterreant, non blandientes, & decipientes populum peruerſum, dicentes pax, & non eſt pax; & proinde Decalogi præcepta populo frequenter inculcent, atque explicent.

An confirment populum in Catholicæ fidei doctrinæ, & an ſic plebem edoceant, vt ſuppullulantes zizanias ſciant euitare.

Item an populum admoneant, vt diebus Dominicis, & feſtiuis ad diuina, quæ in Eccleſijs celebrantur conueniant, concionem ſub ſilentio, & attentè audiant, & memoriæ commendent; & liberos, ac familiam inſtruant ad pietatem, nempe Deum timere, & ſalutem ſuam ei commendare, memoria retinere, & frequenter recitare Symbolum Apoſtolicum, Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Præcepta Decalogi, & quicquid ad virtutem, bonoſque mores pertinet, ſuis Superioribus obedire, ſoluere decimas, & alia debita, tam Eccleſiaſtica, quàm ſæcularia.

An Sacramenta ſecundum ritum Eccleſiæ Catholicæ, & ſecundum formam Eccleſiaſticam miniſtrent, adhibitis omnibus Eccleſiaſticis ceremonijs, & pijs ritibus in Eccleſia Catholica hactenus obſeruari conſuetis.

An inſtruant populum de Sacramentis, et eorum gratia, et miniſterijs, vt eis ſecundum Eccleſiæ traditionem ad ſalutem ſuam religiosè vtatur; præſertim, vt Miſſæ, et Officio libenter interſit, et votis Eccleſiæ, vota ſua coniungat; vtque vnà cum Sacerdote mortem Chriſti Deo Patri pro peccatis ſuis offerat, et frequenti confeſſione ſe expurget, vt ſæpius corde mundo, et auido ad excipiendum Corpus ſanctiſſimum Chriſti ſe præparet, vt diebus feſtis pijs tantum incumbat operibus.

An doceant populum Sacramenta, quæ ſint, quid agatur in cuiuſque collatione, quis eorum fructus, quid velint ſigna externa, et quomodo Dei virtus præſens inuiſibiliter eis adſit; quomodo etiam dignè, vel indignè percipiantur.

An circa adminiſtrationem Baptiſmi in concionibus, vel ſermonibus doceat populum, cur aqua Baptiſmalis benedicatur, et conſecretur; cur baptizandus renunciet Diabolo per Suſceptores; cur exorcizetur, et exufflетur contraria poteſtas; cur ſignum Crucis bapti-

zando toties imprimatur, cur sal benedictum detur, & aures aperiantur: cur in pectore scapulis, & vertice capitis inungatur: cur induatur veste candida, cur proferatur eis cereus ardens ad altare, & cur illic accipiat de ablutione, seu vino benedicto.

An animaduertant, vt susceptores, siue Patrini sint prouectæ ætatis, in fide Catholica benè instructi, sapienter, & seriò respondentes, & tales, qui paruulos, vbi adoleuerint, in fide Orthodoxa, si necesse fuerit, instruere possint.

An sit aliquis inter Curatores Ecclesiarum, qui ausus fuerit Canonem Missæ omittere, vel mutare: & an ab omnibus religiosus habeatur.

An etiam singulis diebus Dominicis, & festis Euangelium illius diei sub, vel intra Missam lingua vernacula populo exponat.

An etiam caueant, ne concionis tempore vlla Missa celebretur, qua populus ab auscultatione verbi distrahatur.

An curent symbolum totum cani, Præfationem itidem, & orationem Dominicam; similiter an curent, vt imaguncula Crucis Domini pacificatoris omnium, ab ore sacerdotis pacem populo imprecantis, ad astantes deferatur osculanda ab omnibus, in concordiæ, & pacis symbolum.

An doceant populum de Missæ mysterijs, atque etiam moneant, vt ad finem vsque donec benedictionem sacerdotalem acceperit, perseueret, spiritualiter saltem cum Sacerdote communicando, cum desiderio sumendi illud sanctissimum Sacramentum.

An criminosos publicos, & qui peccandi occasionem omittere nolunt, à Communione arceant.

An lectiones sacras, & orationes (excepto Canone) in Missa clara voce pronuncient, vt ab astantibus possint intelligi, & audiri.

An quando ad infirmos Eucharistiam deferunt; faciant deferri lumen cum debito cereorum numero, & campanulam, vt detur fidelibus signum.

An doceant plebem orare pro defunctis, vt à peccatis soluantur.

An curent etiam quando in solemnibus festiuitatibus circum gestanda est Hostia illa salutaris, vt tum omnes ludi prophani, & quicquid non valet ad veram deuotionem excitandam, remoueantur; in primis vt non pulsentur tympana, absint risus, ioci, confabulationes, populus autem oret.

An sint aliqui ex Curatis, qui permittant in suis Parochijs aliquē

esse,

esse, qui non semel in anno saltem peccata sua confiteatur, & sanctissimũ Eucharistiæ Sacramẽtum sumat: Et si quis talis repertus fuerit ab ingressu Ecclesiæ prohibeatur, & Ecclesiastica sepultura priuetur.

An etiam sint circumspecti in audiendis confessionibus, & qui norint distinguere lepram a lepra, & ita de peccatis inquirere, ne scandalum afferant pusillis: & an satisfactorias pœnas iniungant, an arguant, & increpent publica peccata, publice, & occulte delinquentes in priuata confessione.

An excommunicatos secundum sacros Canones euitent, & ab omnibus euitari faciant, ita vt a nemine excipiantur.

An sciant quomodo instantibus quatuor temporibus, trina proclamatione denunciare populo debeant clericos eiusdem Parochiæ, qui volunt ad sacros Ordines promoueri, vt noscant impedimenta, si quæ sint.

An Sacramentum extremæ Vnctionis cum orationibus, & Litanijs iuxta ritum Ecclesiæ ægrotis ministrent: & an sint ex eorum plebe, qui illud Sacramentum contemnant: & an sciant infirmos sacris orationibus, vel sermonibus consolari, & a curis sæcularibus ad spem salutis æternæ erigere.

An ab ægroto redeuntes hortentur illos, qui comitati sunt ad intentius orandum pro infirmo in extremis laborante.

An doceant matrimonium desiderantes, qua religione, & fidẽ in Christo coniungi debeant: & an copulandos hortentur, vt non iungantur, nisi de consanguineorum, & amicorum consilio.

An proclamationes præmittant, saltem tres tribus diebus festiuis continuis inter Missarum solemnia.

An illis denunciationibus factis norint aliquod impedimentum opponi ad celebrationem matrimonij.

An sciant qui sint quatuor gradus consanguinitatis, ac itidem affinitatis, prohibentes, ne matrimonium contrahatur.

An sciant quo se extendat impedimentum cognationis spiritualis.

An clandestina matrimonia contrahentibus Sacramenta negentur, quousque ab excommunicatione absoluantur, atque ita in facie Ecclesiæ Sacramenti solemnia celebrent, & in cæteris Sacri Concilij Tridentini formam seruauerint.

An sint in eorum Parochijs, qui exequias, & funeralia parẽtibus, cognatis, & amicis persoluere recusent, non aliter quam si anima simul cum corpore periret.

An doceant populum, cur aqua, ſal, palmæ, herbæ, & fructus noui benedicantur, & cur aſpergantur aqua benedicta.

An accendantur in Eccleſia Cerei, Proceſſiones agantur, Eccleſia, Altaria, Calices, veſtes Sacerdotales, Campanæ, aliaque Eccleſiæ vaſa conſecrentur, & benedicantur reſpectiuè.

An doceant populum, ne ceremonias in ſuperſtitionem vertat, ſed illis religiosè vtatur.

An verbo, & exemplo prius prædicent caſtigando corpus ſuum, & in ſeruitutem redigendo ſecundum Apoſtoli doctrinam, ne vita ſermoni repugnet.

An Horas ſuas canonicas recitent, vt tenentur: & an lectioni, ac ſtudio Scripturæ ſacræ incumbant, & quos libros, & auctores præter Bibliam habeant.

An in habitu, & tonſura clericali incedant, vt decet, & vitæ, quam profitentur, conuenienti.

An ſint aliqui Rectores, qui in proprijs Eccleſijs perſonaliter non reſideant, & quos habeant illæ Vicecuratos, qui ſint per Ordinarium loci examinati, & admiſſi, & habeant vnde poſſint ali, ita vt non cogantur ſeruilibus, & ſordidis negocijs ſe dedere,

An ſint in Parochijs Oratoria conſtituta, & Iuſpatronatus Eccleſiarum, & qui ſint.

An eo iure, & ſecundum fundationes legitimè vtantur: & num ſint, qui huiuſmodi Beneficia ſupprimant, vel extinguant, an eorum redditus, ac res, & bona occupentur, vel diſſipentur.

An in eorum Parochijs aliqua ſint Hoſpitalia pauperum conſtituta, & an eorum Præfecti benè miniſtrent, & ſingulis annis rationem reddant.

An in eorum Parochijs ieiunia, abſtinentia à carnibus, dies feſti, Proceſſiones Dominicales, & ritus Eccleſiæ obſeruentur.

An in eorum Parochijs vigeant ſuperſtitiones, maleficia, blaſphemiæ, ſacrilegia, periuria, adulteria, ſtupra, inceſtus, odia, vſuræ, & contemptus præceptorum Dei, ac Eccleſiæ iuriſdictionis.

An prædia, cenſus, & iura Eccleſiarum conſeruentur: & an Campanarij, ſeu Cuſtodes Eccleſiarum ipſorum fidei commiſſa ritè adminiſtrent, & cuſtodiant.

An populus oblationes Altari Domini ſaltem in quatuor feſtis principalibus deferat, aliaque iura parochialia ſecundum morem ab Eccleſia Catholica olim receptum..

An

An prouisores Parochialium Ecclesiarum præsumant pro suo arbitratu de rebus Ecclesiarum disponere absque consensu sui plebani, & num illi rationem bis in anno reddere recusent.

An sint pœnes illos Monachi, seu moniales Apostatæ, qui falsis coniugibus copulentur, vel qui habitum Religionis abiecerint.

An sint apud illos Monachi Apostatæ, qui sub prætextu dispensationum Apostolicarum vota, & Instituta suæ Religionis deseruerint, affectãtes se intrudere in ministeria Ecclesiastica, antequam dispensationes eorum sint ritè examinatæ, & admissæ iuxta Decreta Prouincialia.

An populus suæ Parochiæ præstet se ipsi obsequentem: & an sint aliqui, qui habeant libros prohibitos, vel Deum, Sanctos, aut res sacras irrideant.

An admoneant suas Communitates rusticas, vt à circumambulatione Cemeteriorum sub concione, & diuinis officijs, abstineant, &c.

An sæculares Magistratus iurisdictionem, & libertatem, immunitatemque ecclesiasticam impediant, seu perturbent.

An iudices sæculares in cognitione beneficialium, causarum matrimonialium, decimarum, & aliarum causarum spiritualium se intromittant.

An in eorum Parochijs admittantur ludimagistri ad instituendam iuuentutem, quorum fides, mores, & instituendi modus examinatus non sit.

An doceantur in Scholis Grammaticæ, Rhetoricæ, Dialecticæ artes, seu quicumque alij libri prohibiti, & continentes morum corruptionem.

An pauperum in sua Parochia existentium curam habeant, quibus etiam de eo, quod superest, victum suppeditent necessarium.

An sint qui testamenta quæcumque dolo supprimant, vel occultent, & quæ Ecclesijs seu pauperibus, & alijs pijs causis legata sunt sibi retineant, vel aliò, quàm testator destinauerit, conuertant.

Inqui-

# Inquirenda in Monasterijs Sanctimonialium.

## §. XLVIII.

DE eisdem ferè, pro Visitatorum tamen circumspectione, & prudentia, inquirendum est in Monasterijs sanctimonialium, exceptis articulis, qui solos Monachos propriè respiciunt, quorum loco Visitatores alia interrogatoria congrua personis substituent, qualia sunt, quibus affectibus, & qua forma ad electionem Abbatissarum, & aliarum quibus Monasteriorum regimen commissum est, procedatur.

## §. XLIX.

AN in eligendo seruetur Regula, & absit affectus, & corruptela. Quomodo ab his, quæ alijs præsunt, ea gerantur. Et in primis post inquisitionem factam de Abbatissa, Priorissa, Subpriorissa, Celleraria, Procuratrice, & reliquis Officialibus, quærendum est.

An sit in Monasterio puellarum Præfecta, quæ eos educet ad pietatem, & religionem. Quibus libellis, vel ad proficiendum in spiritu, vel ad precandum Deum, virgines vtantur, qui sunt inspiciendi simul cum libris, quibus vtuntur in diuinis officijs.

An habeant Concionatorem aliquem virum grauem, Catholicum, à quo audiant verbum Dei diebus saltem festis: & an idem, vel alius non minori grauitate, integritate, & prudentia audiat eorum confessiones.

An suis temporibus iuxta Regulæ præscriptum communicent. Item de obseruatione diuini cultus, vt supra de Monachis.

An habeant fidelem, & bonum Oeconomum, qui quater in anno, & toties quoties requiritur, paratus sit reddere negociorum suorum rationem: Et an hactenus res Monasterij meliores fecerit, vel saltem non deteriores. & tales viri Visitatoribus sistendi sunt, & examinandi de vita, & doctrina.

Quærendum de Ecclesijs incorporatis, si quas habent.

An pateant virorum conspectui, seu permittant illos Monasterium

rium ingredi, dempta ineuitabili necessitatis causa.

An habeant picturas non honestas in suis cubiculis, & sæcularibus potius conuenientes.

An conuersationem aliquam suspectam habeant cum externis.

An permittatur eis literas accipere, vel dare extra Monasterium, quas non prius legat Abbatissa, vel illa, cui regimen Monasterij incumbit.

An illis permittatur cum extraneis priuata colloquia habere, & suis vti diuerticulis.

Quibus artificiolis tempus, quod superest à sacris lectionibus precibus, & contemplationibus diuinis, impendant: Breuiter, num exercitationes amplectantur, quæ mentem potius Deo dicatam distrahant, atque ad mundum reuocent, quàm vniant, & afficiant.

An sint inter eas conspirationes seu (vt vocant) conuenticula.

An sint aliquæ, quæ dissidia, rixas, & contentiones excitent; & an sint iracundæ, inuidæ, odij tenaces, contumeliosæ, seu dicaces, & mendaces, &c.

Interrogandum est vt supra de Monachis dictum est, de obedientia, paupertate, an quid proprium possideant, & de continentiæ custodia.

De mensa communi, quis, & qualis victus singulis quibusque temporibus præbeatur, & an propter hoc versentur querimoniæ inter ipsas. Indagandum an alicubi Religionis suæ sanctè institutæ, quam professæ sunt, habitum deposuerint, & vestes seculares Religionis tædio induerint cum fidelium scandalo, & vitæ quam profitentur, ignominia, cùm videantur Religionem cum veste deposuisse, sicut impudica mulier cum veste pudorem deponit. Et tales sub excommunicationis pœna monendæ sunt, vt depositum habitum recipiant, ne aliæ videri velint, quàm quales se profitentur, hoc est sponte Deo dicatæ.

An sint, quæ stultam aliquam superstitionem teneant, quibus eripiendus est hic error, inflammandæq. sunt ad verum Dei cultum, ac ipsius charitatem.

Inqui-

# Inquirenda in visitatione Abbatis Generalis, & Visitatorum Generalium.

## §. L.

AN sit circa Dei cultum diligens, & assiduus, & domus Dei zelum habeat, & quotidie Missam audiat, diuinumque officium recitet, & sæpius celebret: & an ab alijs hoc idem fieri curauerit in omnibus locis, & Monasterijs. An sufficientem numerum Monachorum pro diuinis exercendis in Monasterijs statuerit.

An de idoneis Officialibus pro Regimine Abbatiæ, & aliorum Monasteriorum prouiderit.

An permiserit per Officiales Monasteria dilapidari, & eorum bona non fideliter custodiri.

An Monasteria nimis grauauerit, & quomodo.

An luxum ostentauerit in equitando, conuiuando, & vestiendo.

An seruauerit votum Paupertatis, & Castitatis, Regulæq. & Patrum Statutis obediens fuerit, illaq. obseruauerit, & respectiuè ab omnibus obseruari fecerit: & an propietarius sit.

An Religionis iura tueatur, & feruenti zelo defendat.

An bonum exemplum suis subditis, & Monachis præbuerit,

An vitia sine personarum delectu debitè corrigat.

An sua negligentia Monachi deliquerint. Alia verò interrogatoria possunt deduci ex supradictis articulis.

## §. LI.

DE Visitatoribus eadem pro maiori parte possunt inquiri, & interrogati. Si verò Commissarij fuerint, inquiratur super eorum commissionibus, an eas fideliter, & diligenter executi, seu transgressi fuerint.

## §. LII.

DE Procuratore autem Generali, ac Depositarijs diligentius inquiratur, & examinetur de exactionibus, & solutionibus per eos factis.

An Depositarij diligentes fuerint in exigendo impositiones taxatas in Capitulo, & an omnem summam exactam consignauesint;

rint, & an aliquid vltra id quod in Capitulo taxatum, & impositum est, exegerint.

An Procurator Generalis pecuniam publicam ad eius manum transmissam, iuxtà distributionem, & ordinationem factam in Capitulo distribuerit, seu alias ipsam in alios vsus conuerterit: & an iura Congregationis in litibus defenderit, & an Instituta Congregationis, & ipsius Constitutiones, & priuilegia apud Curiam, sine consensu Capituli immutauerit, seu immutari procurauerit.

## De Processu iudicij.

### §. LIII.

VT autem Visitatores, & Commissarij, ac Prælati nostræ Congregationis legitimam in subditos potestatem habentes, ritè, rectèq. ac secundum Canonica Instituta procedant in iudicando: Quia Dei vices gerunt, meminisse in primis debent ad rectum iudicium præcipuè requiri, vt iudex potestatem habeat iudicandi, seu ex iuris dispositione concessam, aut ex officij, vel dignitatis ratione prouenientem, aut collatam, seu commissam, vel delegatam, aut arbitrariam: vt causa cognita, & secundum facti veritatem, & cum veritatis iudicio, & sine persooarum delectu iudicet. Postremò requiri debet probitas, & secundum animi, & vitæ rectitudinem procedatur vsque ad sententiam: ideoq. attendere debent iudices, ne eorum potestas vsurpata sit, neuèex facti ignorantia, seu passione aliqua veritas cæletur, nec potestate, quam habent se se indignos, aut suspectos efficiant, vt eorum iudicium prauum, & temerarium neutiquàm iudicetur.

### §. LIV.

DEbent præterea Visitatores, & alij animaduertere, potestatem corrigendi, quæ Prælatis conceditur, circa factum versari, non auté circa ea, quæ accidere possunt, seu quæ occulta sunt: De occultis enim non iudicat Ecclesia. De quibus tamen Visitator, & Prælatusmet delinquentem solum corrigere debeat. Iudex ideò iudicare debet non secundum facti conscientiam, sed secundum allegata, & probata, neque officio testis, aut accusatoris fungi debet; sed esse indifferens, ac in neutram partem propensus.

In omni autem iudicio quatuor esse personas ad inuicem distinctas, necesse est: Iudicem scilicet electum, Accusatorem idoneum, Defensores congruos, & Testes legitimos. Debent ergo Iudices factum secundum iuris scientiam iudicare, quæ consistit in allegatis, & probatis in processu, & iudicij veritate, respectu confessionis rei, aut conuictæ, & legitimæ probationis. Debent tamen (cùm veritas facti aliter se habeat, quam veritas iudicij) quantum possunt, salua iustitia, laborare ad repellendum accusatorem, & testes contra eos, quos sciunt innocentes adductos, vt eos liberare possint. Quòd si nulla iuris exceptione, neque testes, neque accusatores repellere possunt, remittant iudicium ad Superiorem, cui significent veritatem.

Debent præterea considerare Iudices vltra iurisdictionem, & potestatem in iudicio, concurrere correctionem, & pacem: sicut enim eos, qui nostræ iurisdictioni subiecti non sunt, iudicare minimè possumus, ita subditos nostros, quos iudicamus, ad correctionem, et pacem, iudicare debemus; corrigendi enim sunt delinquentes, vt emendentur, et vt pax Congregationis, et Ecclesiæ conseruetur: Ideoque in præiudicium multitudinis, et pacis Ecclesiæ, et Congregationis non est reis miserendum; membrum enim putridum resecandum, et abscindendum est, ne reliquum corporis corrumpatur.

Postremò debent Iudices in causa propria maximè circumspicere, ne seueriùs agant, neuè odio leges confundant. Iudex enim in se delinquentes non intuitu personæ suæ, aut propriæ excellentiæ, & honoris; sed intuitu Dei, & Ecclesiæ, cuius Pastor est, plectere debet.

## §. LV.

TRiplex verò est via procedendi in iudicijs, formandisq. processibus, ad corrigendos excessus, qui non sunt notorij, videlicet per accusationem, denunciationem, & inquisitionem specialem. Notandum est, quòd defensiones ipsæ non sunt angustandæ, quinimò dandæ sunt competentes dilationes, etiam vsque ad quartam vicem, ad omnia, & singula facienda pro rei innocentia manifestanda, & probanda.

In

## §. LVI.

IN ferenda vero sententia scire debent Iudices, quòd in confessos, vel conuictos tantum possunt animaduertere: Confessum autem dicimus, cùm quis ore proprio, proprium crimen coram Iudice fatetur; hæc autem confessio contra confitentem tantum militat ad ferendam sententiam, non autem contra criminis socios. Socij ergò criminis, nisi & ipsi crimen confessi fuerint, non possunt condemnari; conuictum autem eum dicimus, qui de crimine sibi imputato, conuincitur.

## §. LVII.

A Sententia verò à Iudice lata pro legitima correctione non datur appellatio inter Monachos, nisi correctio modum excedat. Quia verò remedium appellationis non ideò inuentum est, vt alicui sit patrocinium in sua nequitia persistendi: Ideò si quandoquispiam subditorum ad remedium appellationis confugerit, non propterea minus iuxta Regulæ mandata, & Constitutionum dispositionem, corrigendùs est.

## §. LVIII.

PRocessus autem contra reos formati, lata sententia, seruentur vsque ad proximi Annalis Capituli, aut Generalis conuocationem; in quo causa, vt in processu deducta recenseatur, si reus reclamauerit, aut reclamare voluerit de excessu pœnæ, aut aliàs de iniustitia sibi facta: relatoque atque considerato processu per Diffinitoriales Patres, cum moderatione, vel fine, aut retractatione sententiæ (prout eis de iure visum fuerit) causæ perpetuum silentium imponatur, & Processus conseruentur; sed & Iudices, qui seuerius in reos animaduerterint, & iniustitiam fecerint, pro modo culpæ, & excessus in Capitulo redarguantur secundum iuris dispositionem. Reo autem reclamante, nihilominus deferatur Capitulo processus, & relata causa processum comburi mandetur, & perpetuum causæ silentium imponatur; de quibus omnibus decretum, facta mentione de crimine, & reo, & sententia contra ipsum lata, inter acta Capituli conscribatur. Quicumque autem querelas exponere voluerit de iniustitia sibi facta, teneatur personaliter, si poterit, aut per literas significare Diffinitoribus querelam, tempore Annalis Ca-

lis Capituli, aut Generalis: quod si eo tẽpore non reclamauerit, non amplius audiatur. Intra triẽnium verò recursus, & appellatio ab iniustitia à minoribus, & priuatis Officialibus intra mensem, & quamprimum poterit, si legitimè non fuerit impeditus, ad Abbatem Generalem pro tempore existentem, personaliter, aut per literas habeatur, iuxta modum superius expressum.

Qui sicut pro legum obseruantia, transgressorum errores conniuentibus oculis dissimulare, eorumque correctionem differre non debet, ita eos seuerè, aut iniustè puniri pro virili parte, permittere non debet.

## De modo, & forma procedendi in visitatione Abbatis Generalis.

## §. LIX.

IN agro Domini nulla arbor infructuosa esse debet, vt Scriptura sancta testatur: ita & vinea, quam sanctissimus pater Monachorum Benedictus plantauit, ad instar Vineæ Domini, cùm sepibus disciplinarum circumdata sit, & muro virtutum inexpugnabili, ac Apostolicis fauoribus munita; sic à Custodibus, & Procuratoribus in dies custodiri decet; vt dum Agricola suo tempore locatam vineam desidiosus excolit, & inutiliter agit, rationem inutilitatis huiusmodi, ac deteriorationis ab ipso exigant, & compellant ad emendationem. Custodes autem, & Procuratores nostræ vineæ sunt Patres Diffinitorij: Agricola verò est Abbas Generalis, qui non ab re Apro, vel alteri fero comparatur, cùm ad culturam Religionis assumptus, spretis bonorum operum studijs, abiectisque regularibus disciplinis, sepes, & murum euertit, sacrilegis pedibus vineam ipsam conculcando, & fœdatis manibus bonæ arboris fructus sua voluntaria falce impiè secando, propriæ suæ voluntati, & voluptati indulget; Religionemq. ipsam, Pastoris nomine deperdito, Mercenarij autem simpliciter assumpto; Patrum decreta, & sanctiones, ac denique bonos mores omnes peruertens, damnabiliter ingreditur ad eam corrumpendam, cui merito & Aper, & singularis ferus, ac insuper mercenarius comparantur.

Hinc

## §. LX.

HInc opportunè Patres prouidere volentes, in Tutores, & Cõseruatores ipsius Congregationis eosdem Diffinitorij Patres in singulis Generalibus Capitulis pro singulis triennijs eligi, ac deputari mandauerunt, vt resistant, & se opponant, frænando, ac tanquam Congregationis propugnatores, & zelatores boni nominis eiusdem arguentes, obsecrantes, Patrem Abbatem a suis temerarijs gestis omnino repellant, Prophetæ dicto obedientes, *Diligite iustitiam, qui iudicatis terram:* nam super Monachorum transgressiones, non super Patrum traditiones, Abbas eligitur, mandatorumque cultor, & vitiorum vltor. Non enim est Abbas super Regulam, cui semel, & ipse se sponte submisit, cùm professus illam fuit: Si verò secus agere præsetulerit, & verè Religionem disponere, ac in Dei seruitium incumbere statuerit, & voluerit, in ea sicut in vinea Domini bonas arbores plantando, bonorum operum fructus verè parituras, malasque incidendo, & inserendo meliores; præfati Diffinitoriales Patres summa cum reuerentia, timore, & amore assistere, ipsique ob prædictorum executionem faciles, & promptos, realiter, & cum effectu se exhibere debent in omnibus, et per omnia similiter obtemperaturos.

## §. LXI.

QVapropter de Abbatis Generalis visitatione, tam conueniẽs, quàm necessarium fore iudicauimus modum, et formam in his Constitutionibus inserere; vt secundum eam ritè, rectèque possint Patres, quandocumque diffinitorialiter congregantur, dictum Abbatem Generalem visitare. Venturi ergo prædicti Patres ad Monasterium, vbi Capitulum retinendum est, si in eo Abbas Generalis præexistat, cumprimum ad portam venerint, ab eiusdem Abbate, seu Priore opportune occurratur, quos ad Ecclesiam deuotè ducat: vbi facta oratione, datoque pacis osculo (vt moris est) ad hospitium hilariter deducantur: ibique mox, vt se adaptauerint, aliquantisper quiescant, quousque Abbati Generali fuerit aduentus eorum per Abbatem, Priorem, vel Vicarium denunciatus: et tunc ad exhibendum eidem Abbati Generali reuerentiam humiliter, et submissè veniant, qui vt eos ad se aduenientes præsenserit, se ipsum accommodet ad eos recipiendos, quos ad osculum manus, et comple-

xum benignè accipiat, illos apud se assidere iubeat; ac demum paucis verbis vltrò, citròque habitis de personarum incolumitate, mutuo congratulentur, gratias Domino Deo Iesu Christo deuotè agentes. Tunc si quid occurrit, præter tamen visitationis materiam, breuiter recitetur, et ad cellas Hospitij reuertantur.

## §. LXII.

SI verò (quod absit) in ipso Capitulo Abbas Generalis visitari, seu propterea ad dictum Capitulum venire, malitiosè distulerit, vel recusauerit, antiquior, ac dignior ipsorum Patrum, qui ad dictum Capitulum conuenerint, de consensu Collegarum, et Confratrum suorum reuerenter intimet, et moneat dictum Abbatem Generalem; quod ad instar prædecessorum suorum, & secundum Ordinis statuta in tempore visitationis solitæ faciendæ se debeat, & visitari permittat: qui si nedum voluerit se emendare, & in sua perstiterit superbia, rescribatur ei vsque in tertium. Qui si adhuc pertinax fuerit, adhibito consilio aliorum Diffinitorialium Patrum Deum timentium, prædicto Abbati Generali locum, & tempus assignent, quo venire ipsum omninò compellant; & contra Ordinis regularia instituta præsumentem primùm acriter corrigant, & emendent, deinde ad visitationis suæ executionem ordinariè procedere festinent. Ipsos Patres a die, qua visitationem auspicati fuerint, prandere, & cænare simul conuenit, quibus hospitalitas a Priore Abbatiæ, & eo absente a Superiore benignè, & honorificè præstetur; sollicitusq. sit Prior, ne aliquid desit ob negligentiam famulorum, vel Cellerarij incuriam.

## §. LXIII.

VErùm decentius arbitramur illis tribus diebus, si aliquod non successerit impedimentum, in Conuentu comedere, & in nocte cum Abbate, seu Priore ad matutinas horas surgere. In alijs verò diebus, videlicet ante, & post visitationem cum Abbate Generali discumbere debent, ab eoque honorificè tractari, & recipi, vt conuenit. Qui tamen omni cum reuerentia, & submissione quicquid honoris tribuitur, accipiant, non tanquam sibi, sed officio debitum.

Cum

## §. LXIV.

CVm autem opportunum tempus inſpexerint prædictæ viſitationis negocio peragendo, qui primus, ac dignior eſt in Capitulo Diffinitoriali, reuerenter ipſi Domino Abbati Generali intimet, ſi placet illa die Capitulum retinere pro huiuſmodi viſitationis negocio proponendo. ſi illo die retinere placebit, libenter annuat eidem;ſin minus,in ſequentem ad ſummum differat. & tunc ab ipſis Patribus, & ſocijs modeſtè comitatus,ad locum, vbi ipſum Capitulum retineri ſolet, humiliter veniat, & deuotè; ad cuius ingreſſum omnes ſurgant (vt moris eſt) & dicto Iube Domne, &c. lectiſque Martyrologio, & vno Capitulo de Regula,videlicet, Qualis debet eſſe Abbas, legatur Capitulum de viſitatione ex integro, per ipſumque Abbatem Generalem declaretur latinè, ſeu lingua materna; & antequam in alia incumbat, proponat viſitationis ſuæ negocium; ſeſe viſitationi, & correctioni Capituli ſubmittens. Deinde parum caput inclinans, cum ſocijs tantum exeat de Capitulo,& reuertatur ad cellam ſuam, remanentibus alijs omnibus in eo. Tunc primus, ac dignior Capituli Diffinitorialis, Viſitationis huiuſmodi negocium de conſenſu Collegarum breui ſermone complectens, ac repetens, cæteris inibi exiſtentibus, & congregatis, quæ ſunt agenda proponat, eiſdemque præcipiendo mandet in virtute ſanctæ obedientiæ, vt in ſingulis, in quibus fuerint interrogati, verè reſpondeant. Poſtea dicant cæteri Patres, ſi quod velint, vel ab altero prius dicta breuitatis cauſa confirment,& approbent; & ſic petantur a Priore Abbatiæ omnium Monachorum nomina in ſcriptis, & Oblatorum. Qui Prior ſtatim vt Capitulum exierit, in vno paruo Codice Monachorum nomina,& Oblatorum conſcribat,& Patribus ipſis aſſignet, quibus detur vnus de Conuentu, qui nil aliud agat, niſi Monachos vocet, quos Patres ipſi vocandos iuſſerint.

## §. LXV.

VIſitationis autem negocium in ipſo Diffinitorio per ſingula tractent, & proſequantur vſque ad ipſius abſolutionem. Ad examen autem admittantur non modò qui ſunt de corpore Monaſterij, in quo Diffinitoriale Capitulum retinetur,ſed etiam ſocij Ab-

batis Generalis, & quicumque Abbates, Priores, & Officiales, qui fortasse interuenerint, tempore visitationis huiusmodi; Ideoque omnes in Capitulo, in quo negocium visitationis proponitur, interesse debeant. Ipsa verò visitatio expediatur omninò tribus diebus immediatè post indictam visitationem sequentibus, nisi aliquod graue impedimentum accederet, propter quod eam legitimè deferri oporteret.

## §. LXVI.

VIsitatione perfecta (vt præmittitur) habitaque diligenti consideratione ab ipsis Patribus super omnium depositionibus, & Iudicijs, ac maturè consideratis considerandis, Patres Diffinitoriales videant primùm, si quid in Abbate Generali corrigendum duxerint, tam circa mores in persona, quàm circa ea, quæ gessit in Abbatiatu. Deinde si quid resarciendum pro firmamento regularis obseruantiæ, & Ordinis decentia simul, & vtilitate, incipiendo a capite, idest ab Abbatia prædicta sancti Spiritus de Murrone, quæ est ipsius Abbatis Generalis sedes principalis, & successiuè per omnes Prouincias, Monasteria, & loca; in scriptis notent, quæ notanda sunt, quæcumque prædicto Abbati Generali dicere, & proponere velint, & ipsorum huiusmodi schedulam Abbati Generali assignandam pro contentorum in eadem executione propriæ manus subscriptione muniant, & proprio nomine signent: cuius exemplar penes se primus Pater seruabit, vt in sequentibus visitationibus, eorum, quæ ab Abbate Generali perfecta non fuerint, iuxta decreta, ratio reddi possit, quare non expleuerit; & nisi aliqua legitima causa impediuerit, quo minus ab ipso perficiantur, moneant reuerenter, & quodammodo cogant, & ad exitum perducant.

## §. LXVII.

HIs omnibus completis, vocetur Abbas Generalis coram Patribus ad Capitulum, quamquam honestius fuerit, & hucusque factum est, illum in cellam ducere, siue cubiculum prædictorum Patrum, existentibus ibidem Priore Abbatiæ, Subpriore, & alijs, vel quinque de Conuentu sanioris partis. Qui Abbas Generalis cum primùm fuerit vocatus, cum socijs suis accedat; & aduenienti omnes assurgant reuerenter, etiam Patres Diffinitoriales,

riales , deinde omnes aſſideant , ac paulò poſt primus de Capitulo, nudato capite paululum, dicat paucis , & modeſtis verbis, qualiter pro obedientia Religionis Viſitationem perfecerint ; & vt exiſtimant, à Patrum noſtrorum veſtigijs ne latum quidem vnguem diſceſſerint in examinandis quæ Congregationis intereſſent , nec non perſonarum, & vt puta ſequentia .

Incipiat ergo legere eorum annotata, & lecta confeſtim tradantur ipſi Abbati Generali , qui illa deuotè ſuſcipiat , ac hilariter ſe paratum ad obſequendum præbeat ; poſtea gratias agat Patribus , prout melius videbitur expedire loco , tempori , & perſonis , quòd tam benignè ſecum egerint magis quàm mereretur. Quibus verbis prolatis , ſurgant omnes , & ipſum Abbatem Generalem honorificè comitentur vſque ad hoſpitium , vnde petita benedictione ſecedant : & die ſequenti prædicti Patres omnes , niſi illi , qui cum Abbate Generali fuerint fortaſſe aliquibus negocijs detenti , ex Abbatia diſcedant .

## §. LXVIII.

SI autem ( quod abſit ) Abbas Generalis alicuius criminis reus compertus fuerit , quod apertè eius dignitatem, vel auctoritatem, & officium imminueret ; appelletur coram Patribus ipſis ſolus, & ſedente ipſo Abbate Generali, primus de Capitulo, vel alius eorundem proclamet ipſum Abbatem, & crimen patefaciat . Tunc Abbas Generalis ſurgat , qui ad obiecta reſpondeat , & audiatur : qui ſi legitimè & veriſimiliter purgare non poterit, arguatur ab omnibus Patribus Diffinitorij ordinatè , & moneatur vna pro trina monitione, quatenus debeat ſe realiter , & cum effectu emendare ; ita vt error , qui erat conſpicuus , per publicam emendationem deleatur : Aliàs ad depoſitionis, & alia iuris remedia deueniatur .

## §. LXIX.

QVi ſi ter admonitus,incorrigibilis fuerit, tunc ipſi Patres Capituli Diffinitorialis conuocent ad Generale Capitulum cæteros Congregationis Prælatos , & alios vocem in Capitulo Generali habentes, in quo huiuſmodi cauſam contra ipſum Abbatem Generalem diligenter examinent , & quod vtilius , & magis expediens videbitur , & iudicabitur , maturo conſilio exequantur . Poterunt tamen ſilentium ipſi Abbati Generali imponere per aliquot

dies, vt se corrigat, ac de perpetratis doleat, sciatque Religionis viribus se posse reprimi, & frangi. & si tanta fuerit eius de malis commissis humilis confessio, dolor, & attritio, vt tutè possit sperari de reali, & efficaci emendatione, & de humilitate, poterunt Patres æqua lance omnia ponderare, & ipsi Patri Abbati Generali honorem, ac reuerentiam, & solitam obedientiam restituere, vt decet. Et hæc tantum de consideratione notorij criminis haberi debent, & obseruari, & præsertim si aliqua læsio, vel præiudicium sua industria Religioni creari videretur. Nam de his, quæ non adeò grauia sunt, vel quorum odor malus adhuc minus nostrum, vel extraneorum infecit olfactum, vsque tertio monendum discretè, & modestè Abbatem Generalem conueniens fore duximus, & consentaneum.

CVm autem, sicut eadem expositio subiungebat, dictus Abbas Generalis nominibus prædictis, præinsertis Constitutionibus pro perpetua illarum subsistentia, & inuiolabili obseruantia, Apostolici nostri muniminis firmitatem per nos adijci summoperè desideret: Nobisque propterea humiliter supplicari fecerit, vt in præmisis opportunè prouidere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos inuiolabili earundem Constitutionum obseruationi, quantum nobis ex alto conceditur, consulere, nec non dictum Abbatem Generalem, ac totam Congregationem prædictam specialibus fauo-

fauoribus, & gratijs prosequi volentes, & illorum singulares personas à quibusuis excommunicationis, suspensionis & interdicti, alijsque Ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis, à iure, vel ab homine, quauis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequeñ, harum serie absoluentes, & absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati: præinsertas Constitutiones, Apostolica auctoritate, tenore præsentium perpetuò approbamus, & confirmamus, illisque inuiolabilis Apostolicæ firmitatis robur adijcimus, omnesque, & singulos, tam iuris, quàm facti quantumlibet substantiales defectus, si qui in illis interuenerint, supplemus. Decernentes easdem Constitutiones, nec non præsentes litteras, semper, & perpetuò valida, firma, & efficacia existere, & fore; necnon in dicta Congregatione ab omnibus, ad quos spectat, & in futurum quomodolibet spectabit, inuiolabiliter sub pœnis in eisdem Constitutionibus comminatis obseruari, &

adimpleri debere; ac quoscumque eiusdem Superiores, Monachos, & personas ad obseruationem, omnibus iuris, & facti remedijs cogi, & compelli posse; sicque per quoscumque Iudices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, iudicari, & diffiniri debere; ac irritum & inane, si secus super his à quoquam, quauis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, & quibusuis alijs dictæ Congregationis, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus, Priuilegijs quoque, Indultis, & litteris Apostolicis quibusuis ipsius Congregationis Superioribus, Monachis, & personis huiusmodi, sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijsque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque & alijs Decretis in genere, vel in specie, ac aliàs in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirma-

tis,

tis, & innouatis. Quibus omnibus, & singulis, eorum tenor. præsentibus pro plene, & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrarijs quibuscumque. Volumus autem vt præsentium transumptis, etiam impressis, manu scribæ dictæ Congregationis, vel Notarij publici subscriptis, & sigillo Abbatis Generalis, vel alterius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud sanctam Mariam Maiorem sub Annulo Piscatoris die 8. Iulij M. D. C. XXVI. Pontificatus nostri Anno tertio.

V. Theatin.


# PRIVILEGIA QVORVNDAM SVMMORVM PONTIFICVM Congregationi Cœlestinorum concessa.

## Priuilegium Cœlestini Papæ V.



*COELESTINVS EPISCOPVS Seruus Seruorum Dei.*

Dilectis filijs Honufrio Patri Abbati Monasterij sancti Spiritus de Sulmona Valueñ. Diœcesis, eiusque Coabbatibus, ac Prioribus, & Prælatis Monasteriorum, Prioratuum, Ecclesiarum, Membrorum, & locorum eidem Monasterio sancti Spiritus subiectorum, eorumq. Conuentibus, Collegijs, & Fratribus Ordinis sancti Benedicti præsentibus, & futuris in perpetuum.



*T si cunctos Ordines plantatos in agro Sacrosanctæ, ac vniuersalis Ecclesiæ paternis prosequamur affectibus, & ad statum ipsorum tranquillum, & prosperũ solicitè intendamus: Beati tamen Benedicti Ordinem, in quo, dum iuuentutis nostræ progressio ordiretur, professionis nostræ vota deuouimus, singulari, & præcipua affectione diligimus, & zelo sincerioris, & strictioris charitatis afficimur circa ipsum; & ad suæ stabilitatis, & promotionis incrementa felicia, opem, operãq. solicitam impendentes speramus in Domino, quod idem Ordo ab antiquis*

*quis annis in diuinæ laudis charitate fundatus per vestræ solicitudinis studium seruabit, eò perfectiùs fructus suos, quò neglectiùs diminutus erga vos per vestræ solicitudinis studium, quantum vobis ex alto permissum fuerit restauratus, amissi luminis propriam reassumere poterit in summæ lucis, quæ Christus est, potentia claritatem. Cupientes igitur, vt circa præfatum Ordinem huiusmodi nostræ charitatis affectus eniteat operis per effectum, Statuta, Constitutiones, Instituta, & Ordinamenta in eodem Ordine pro salute vestra facta, auctoritate Apostolica confirmamus, & canonicè in posterum facienda volumus, & mandamus ex tunc inuiolabiliter obseruari. Ac eundem Ordinem, necnon Monasterium Sancti Spiritus de Sulmona, & alia Monasteria, Ecclesias, Prioratus, Membra, & alia omnia loca dicto Monasterio Sancti Spiritus subiecta, vbicunque consistentia, eidem Ordini incorporata, vel incorporanda in posterum; Eorumque personas ab omni prorsus iurisdictione, potestate, ac dominio Archiepiscoporum, & Episcoporum, & Abbatum omnium, in quorum ciuitatibus, & Diœcesibus, ac Prouincijs illa consistunt, & consistent etiam in futurum; ac aliorum quorumlibet Ordinariorum, Prælatorum, Capitulorum, seu Conuentuum, Monasteriorum, & Ecclesiarum, & personarum quarumlibet, prorsus eximimus, & etiam liberamus; & ea omnia, & singula libera, & exempta volumus perpetuò totaliter permanere; exemptionum gratijs in illis ex vestris Monasterijs, quæ prius per Sedem Apostolicam exempta fuerant, in suo robore nihilominus duraturis. Non obstante si Monasteria, Prioratus, Ecclesiæ, Membra, & alia loca præfata Diœcesanis Episcopis, vel alijs personis ad census aliquos teneantur, vel reperirentur forsitan esse aliquibus in aliquo obligata: Et in eo præcipuè, quòd Fratres dicti Ordinis in Sancti Spiritus de Magella, & Sancti Spiritus de Sulmona Monasteriorum Conuentibus constituti submissiones quasdam dilectis filijs Capitulo Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, de facto, siue de iure fecisse dicuntur: Quas submissiones sub quacumque verborum concessione, vel expressione confectas, necnon & præfatos census de plenitudine potestatis eneruamus, cassamus, irritamus omnino, & viribus carere decernimus, & nullius ex nunc existere firmitatis. Itaque prætextu earundem submissionum, ac censuum aliquorum, Tu fili Pater Abbas, tuique successores, & Fratres, ac personæ Monasteriorum, & locorum aliorum vestrorum prædictorum, à quoquam de cætero nequeant molestari, vosque, vestrosque successo-*

*successores, ac Monasteria, & loca in perpetuum nolumus molestari. Et quia inter alia, quæ immunitates sapiunt, de præcipuis casibus arbitramur hoc esse necessarium, vt de substitutione futuri Abbatis, Tibi fili Abbas Sancti Spiritus, quem Patrem Abbatem cæteris tuis Coabbatibus, & Prælatis, & Fratribus tibi subiectis præsentibus, & futuris perpetuò stabilimus: præcipuè ordinamus, & præsenti Decreto statuimus, vt annis singulis in maiori vestro Monasterio, vel in alio loco vestri Ordinis, vbi vobis expediens, & visum fuerit, fiat Capitulum Generale, vbi vestri Ordinis, & locorum, secundum Sancti Benedicti Regulam, facta tractentur. Præsidentes vestris Capitulis celebrandis, & Visitatores vestri, locorumque vestrorum constituantur in illo, secundum vestri Ordinis instituta, vbi volumus, & districtè præcipimus obseruari. Quòd Pater Abbas singulis triennijs in Generali Capitulo spontè suam offerat, & exhibeat cessionem: nisi fortè dictus Pater Abbas ante tempus huiusmodi in aliqua de grauioribus culpis, à Visitatoribus, vel alias legitimè deprehensus admonitionem in dicto Capitulo mereatur. Quod si idem Pater Abbas, vel cesserit, aut amotus extiterit, idem Capitulum statim, & absque temporis interuallo ad Patris Abbatis substitutionem procedant, & iuxta formam in Regula traditam debitos constituant Electores, qui sub conclaui positi, antequam cibum, & potum sumant, de Abbate cedente, si eum vtilem esse putauerint, vel de alia persona Monasteriorum, & locorum vestrorum per electionem canonicam prædicto Monasterio Sancti Spiritus prouideant de Abbate. Qui quidem Abbas, nulla super hoc à Sede Apostolica confirmatione petita, vel obtenta, eo ipso suæ administrationis officium habeat, & illud tamquam Pater Abbas, prout ad eum pertinet, liberè exequatur. Ac idem electus, si aliàs non extiterit benedictus, benedictionis suæ munus à quocumque maluerit Catholico Episcopo gratiam, & communionem Apostolicæ Sedis habente recipere studeat, illudque sibi dictus Episcopus (si diuinam vltionem euitare voluerit) gratis impendat. Alioquin prædictum electum (vt præmittitur) in executione suæ administrationis, in Ordine tamen Sacerdotij volumus permanere. Et si dictus Pater Abbas infra annum fortè decederet, Prior, vel Supprior dicti Monasterij Sancti Spiritus, & Visitatores etiam curam, & administrationem, ac custodiam dicti Monasterij Sancti Spiritus gerant, & habeant vsque ad tempus Capituli Generalis; vbi secundum præmissum modum dicto Monasterio prouideri debeat de Abbate. Nos*

quoque

*quoque volentes vos, & bona vestra paternis fauoribus confouere; personas vestras, & loca, in quibus estis diuino obsequio mancipati, cum bonis vestris omnibus sub Beati Petri, & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti patrocinio communimus. In primis siquidem statuentes, vt præfatus Ordo in eodem Sancti Spiritus, & alijs Monasterijs, Prioratibus, locis, & membris vestris præsentibus, & futuris, perpetuis temporibus inuiolabiliter obseruetur. Et quascumque possessiones, & bona quæ præfatum Monasterium Sancti Spiritus, cum Monasterijs, & locis suis in præsentiarum rationabiliter possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum, vel Principum, oblatione fidelium, seu alijs iustis modis (præstante Domino) poterit adipisci, firma vobis, vestrisque successoribus illibata maneant, & quieta. In quibus hæc proprijs duximus exprimenda vocabulis; Locum ipsum, in quo præfatum Monasterium situm esse dignoscitur, cum omnibus pertinentijs suis; Monasterium S. Ioannis in Plano Nucerinæ Diœcesis, S. Spiritus de Magella, S. Petri Valisbonæ, S. Spiritus de Buclano, S. Spiritus de Ortona, S. Spiritus de Lanzano Theatinæ Diœcesis, Sancti Eusebij de Vrbe, Sanctæ Mariæ in Pizano, Sancti Saluatoris de Ciuitate Pennensi Pennensis Diœcesis, Sanctæ Mariæ de Collemadio iuxta Aquilam, Sancti Spiritus de Issernya, Sanctæ Mariæ de Triuento, Sanctæ Mariæ de Anglone Triuentinæ Diœcesis, Sancti Spiritus iuxta Venafrum, Sancti Spiritus Alisanensis, Sancti Antonij de Campania Ferentinatis Diœcesis, Sancti Antonij Anagniæ Diœcesis; Prioratus Sancti Ioannis de Aquasancta, Sanctæ Mariæ inter Montes, Sancti Georgij de Rocha Morici, Sancti Petri de Monte plano, ac Sancti Antonij Anagniæ Diœcesis; Ecclesias cum Ecclesijs, Capellis, Decimis, & Grangijs, pratis, vineis, terris, syluis, nemoribus, vsuagijs, & pascuis, aquis, aquarumque decursibus, molendinis, vijs & semitis, iuribus, libertatibus, & immunitatibus, fructibus, & vniuersis obuentionibus eorundem. Sanè de fructibus terrarum, & possessionum vestrarum, ac etiam noualium, quæ proprijs manibus, & sumptibus colitis, vel per homines vestros, aut alios excoli facitis in proprijs prædijs, seu etiam alienis, siue de hortis, & piscationibus vestris, vel de nutrimentis animalium vestrorum, nullus à vobis Decimas exigere, vel extorquere præsumat; à quarum præstatione vos totaliter liberamus. De decimis namque, quæ pro subsidio Dominorum temporalium de mandato Sedis Apostolicæ Clericis, & personis Ecclesiasticis in Italiæ partibus*

pro

*pro tempore exiguntur, circa vos, & vestra Monasteria, & loca sic volumus obseruari: quòd vobis pro singulis vestris Monasterijs, cum Grangijs, & pertinentijs eorundem pro Decimis prædictis singulos Florenos auri plenè soluentibus; ad solutionem maiorem, vel aliam, pro prædictis Decimis faciendis, vos, & Monasteria, Prioratus, Ecclesias, Grangia, & loca vestra omnia decernimus non teneri, & Excommunicationum, Suspensionum, & Interdicti sententias contra vos, & in prædicta loca quauis auctoritate in contrarium proferendas ipso facto aliquatenus non teneri. Liceat quoque vobis Clericos seculares, vel Religiosos, cuiuscumque Religionis existant, vel Laicos quoscumque, qui Mundi relictis illecebris ad vos, & loca vestra conuolauerint, ad Ordinem vestrum in locis vestris recipere, ac eos absque contradictione aliqua retinere. Non obstantibus quibuscumque Priuilegijs, Literis, siue Indulgentijs Apostolicæ Sedis super hoc cuicumque Ordini, vel Religioni, seu personis quanta vis exemptione, vel immunitate gaudentibus, sub quauis forma verborum concessis. Probibemus insupèr, vt nulli Fratrum vestrorum post factam in Monasterio vestro, vel in alijs locis vestris eiusdem Ordinis professionem, fas sit sine Abbatis sui licentia Ordinem ipsum relinquere, & ad locum Religionis alterius, vel ad Ordinem alium se transferre. Discedentem verò aliter nullus cuiuscumque Religionis, vel status existat, audeat retinere; quod si secus factum fuerit, tàm discedens, quàm is, seu illi, qui ipsum talem receperint; si requisiti eum à se non reiecerint infra mensem, ipso facto sententiam Excommunicationis incurrant. Illud quoque districtius inhibentes, ne Tu fili Pater Abbas, vel aliquis ex Prælatis vestris terras, seu quaslibet possessiones dicto Monasterio Sancti Spiritus, vel membris eius à Christi Fidelibus collatas, vel in posterum conferendas, aut successores tui dare, vendere, distrahere, aut alienare absque consensu totius Capituli Generalis, aut maioris, vel sanioris partis, & in casibus à iure permissis modo quolibet præsumatis. Quod si secus factum fuerit, alienationes huiusmodi, ex nunc irritas esse, & tàm concedentes, quàm ipsos recipientes singulos eorum, videlicet Excommunicationis; Collegia verò, & vniuersitates Interdicti sententijs, si fortè requisiti à vobis bona prædicta alienata taliter restituere noluerint infra mensem, ipso facto volumus subiacere. Cæterum ne aliquis Monachus, vel Conuersus in Monasterijs, & locis vestris professus, absque consensu, & licentia proprij Abbatis, seu maioris partis sui Conuentus pro aliquo fideiubeat, vel*

*ab ali-*

*ab aliquo pecuniam mutuo recipiat quoquo modo, districtius inhibemus. Quod si secus factum fuerit, Abbatem, & Conuentum præfatos ad hæc teneri nolumus, & fideiubentem, & recipientem pecuniam mutuatã, eo ipso volumus vinculo Excommunicationis astringi. Inhibemus etiam, ne aliquis Episcopus, vel quæuis alia persona spiritualem, vel aliam iurisdictionem habens, vos ad Synodos, vel Conuentus Forenses, nec ad conuocationes suas accedere, vel cum eis intra, vel extra Ciuitates, vel terras processionaliter exire, aut suis Constitutionibus subiacere, seu Capitula, Scrutinia, & Inquisitiones in locis vestris, vel alibi de vobis, vel de vestrùm aliquo facere, aut fidelitatem iuramento firmatam, & manualem obedientiam à vobis, aut Prioribus, & Supprioribus vestris exigere; seu etiam prohibere, ne ad Ciuitates, seu Villas, & ad loca quælibet, vbi religiosè, & honestè morari possitis, audeatis accedere, ibique pro vestris vsibus Aedificia, Monasteria, Ecclesias, seu Oratoria ex permissione, & indulto nostro construere liberè valeatis: Aut in accedentes Fratres, & Monachos vestros, seu constructores huiusmodi, vel receptatores eorum excommunicationis, vel interdicti proferre sententias: Aut alias Fratres vestros ire ad Conuentus forenses, nec ad Monasteria, Ecclesias, Prioratus, seu membra, & loca vestra præfata causa celebrandi Ordines, aut tractandi causas, vel Conuentus aliquos publicos conuocandi, vobis inuitis venire præsumat. Nec regulares electiones Abbatum, vel Priorum Monasteriorum, & locorum vestrorum impediat, aut de instituendis ipsis se aliquatenus intromittat. Quod si aliter præsumptum extiterit, venientem contra præmissa cuiuscunque status, praeminentiæ, dignitatis, vel conditionis existat, Interdicti sententiæ volumus subiacere. Liceat quoque, prædicte Pater Abbas, tibi, tuisque successoribus inter Fratres eiusdem Ordinis, & alijs ad Missas vestras conuenientibus benedictionem solemnem facere; dummodo ibi præsens non sit aliquis Episcopus, vel alia quæuis superioris persona status, sicut sunt Patriarchæ, vel Cardinales; ac vasa, & alia paramenta ad cultum Diuinum pertinentia; necnon in ædificandis Capellis, Ecclesijs, aut Hospitalibus primarium lapidem, fundamenta Pontificali more benedicere. Necnon omnes minores Ordines cum Fratribus, & alijs familiaribus, & subditis vestris ascribi volentibus militiæ clericali, vestra largitione conferre, & omnia alia facere, quæ ad Abbates exemptos in suis Monasterijs, & Ordinibus pertinere noscuntur. Pro consecrationibus verò Altarium, vel Ecclesiarum, aut pro Oleo sancto, vel quolibet Ec-*

*bet Ecclesiastico Sacramento nullus à vobis sub obtentu consuetudinis alicuius, aut alio quouis modo quicquam audeat extorquere; sed hæc omnia vobis gratis, & libenter impendantur. Sit etiam vobis liberum eadem à quocumque Catholico Episcopo, qui gratiam, & communionem prædictæ Sedis obtineat, licitè recipere, qui nostra fretus auctoritate vobis, quod postulatur impendat. Concedimus quoque vobis, vt si quem huiusmodi Episcopum, de quo plenam notitiam habeatis, per vos transire contingerit, ab eo consecrationes Altarium, & Monachorum Ordinationes in sacris ex permissione Sedis Apostolicæ recipere valeatis. Porrò cùm generale terræ fuerit interdictum, in Monasterijs, Ecclesijs, & Oratorijs vestris, & alijs quibuscumque locis competentibus, si in terra sic interdicta constiterint, clausis ianuis, interdictis, & exclusis non pulsatis Campanis (submissa tamen voce) vobis liceat celebrare Diuina, & Ecclesiastica recipere Sacramenta; dummodo causam non dederitis interdicto, nec id contingat vobis per Sedem Apostolicam specialiter interdici, neque Monasteria, Ecclesiæ, & Oratoria eadem alias fuerint eiusdem Sedis auctoritate specialiter interdicta. Illis verò, qui vestris immorantur obsequijs, alijsque omnibus Christi fidelibus propter hoc ad vos deuotè recurrentibus, ex permissione Apostolica, & indulgentia speciali, quas vobis huiusmodi Priuilegij auctoritate concedimus, cuncta liberè ministrare possitis, Ecclesiastica Sacramenta, & ipsorum corpora, cum decedunt, in vestris Cœmeterijs liberè, & absque Diœcesanorum, vel aliorum Ordinariorum contradictione, & aliorum quorumlibet sepelire. Sepulturam siquidem vestram liberã esse decernimus, ita quòd extremæ voluntatis decedentium, & illis, qui se illic deliberauerint sepeliri, nisi fortè excommunicati, vel interdicti fuerint, aut vsurarij manifesti, nullus obsistat. Et si quando in terras, in quibus residetis, vel earum personas excommunicationis, & interdicti sententias contigerit promulgari; homines vestris seruitijs insistentes; negociorum quoque vestrorum gestores, & procuratores, oblati, & operarij, qui in locis cum eorum operibus personaliter institerint, huiusmodi sententijs innoxij habeantur, nec prædictis sententijs sint ligati, ibique possint audire Diuina iuxta formam, quæ locis ipsis, & in eo casu, in quo a Sede Apostolica est concessa; nisi præfatæ personæ causam dederint interdicto, vel excommunicari, seu interdici per dictam Sedem contingat eosdem. Insuper recipientibus Ordinem vestrum, & in eo facta etiam instituta, qui suspensionis, aut interdicti, vel excommunicationum sententijs à iure, vel ab homine promul-*

*gatis, generaliter, & specialiter sunt ligati, absolutionis beneficium iuxta formam Ecclesiæ impartiri, ipsosque in fratres, & Monachos recipere; dummodo in eodem Ordine perseuerent: ac eos, qui post assumptum habitum, vel Professionem emissam recoluerint se talibus in seculo fuisse sententijs innodatos, secundum formam eandem, tu fili Pater Abbas tempore tuo, in posterum successores tui auctoritate nostra de absolutionis beneficio prouidere, & dispensare cum eis super irregularitatibus, quas contraxerunt, vel contrahent, si talibus forsan innodati sententijs, vel in locis interdicto suppositis diuina præsumpserint officia celebrare, aut Ordines receperunt: Ita tamen, quòd si aliqui huiusmodi sententijs propter debita sunt astricti, in quantum possunt satisfaciant, vt tenentur: Vosque Abbates, & Priores parentibus oppressorum, cum ab eis fueritis humiliter requisiti, de pœnitentijs salutaribus, iuxta formam à Canonibus traditam, prouidere salubriter valeatis. Sanè quieti vestræ prouidere volentes, quod per literas Apostolicæ Sedis, aut Legatorum eius, seu Delegatorum Apostolicorum, seu subdelegatorum ab eis, conueniri à quoquam minimè valeatis; quodque nullus vestrum correctionis, seu visitationis, vel inquisitionis Officium in Monasterijs vel Ecclesijs, aut Prioratibus, Membris, & locis vestris impendere, vel cognitiones causarum audire præsumant; nullusque vestrum citationes partium, & denunciationes sententiarum interdicti, vel excommunicationis facere in prædictis locis; Aut recipere curam Monialium, seu Religiosarum quarumlibet personarum minime teneamini, & ad id cogi non possitis inuiti per literas dictæ Sedis, vel Legatorum eius, nisi eædem literæ Apostolicæ de indulto huiusmodi, & Ordine vestro, & de dicto Monasterio Sancti Spiritus de Sulmona fecerint mentionem, auctoritate vobis Apostolica indulgemus. Concedentes vobis nihilominus, quòd si aliqui vestri Monachi, seu Fratres post obtentam licentiam à Sede Apostolica, vel à vobis ad Religionem aliam transeundi, infra spatium trium mensium se ad illam Religionem suæ saluti congruam non contulerint, & ipsius non susceperint habitum regularem; licitè, absque aliqua requisitione Ordinariorum, seu Diœcesanorum, locorum, vbi reperti fuerint, aut licentia, ipsos tanquam Apostatas Monasteriorum vestrorum, & locorum excommunicare, incarcerare, ac aliàs rigori subdere vestri Ordinis disciplinæ possitis per vos, aut alios etiam in quocumque habitu eos contigerit inueniri, & inuocare super hoc (si necesse fuerit) auxilium brachij secularis, quod tenore concessionis*

*huiusmo-*

*huiusmodi per eos, quos super hoc requiretis, sub obstentatione diuini nominis volumus exhiberi. Insuper omnes Monachos, vel Fratres, quos à Monasterijs, vel locis vestris, eorum culpis exigentibus, per vos, aut per vestros Vicarios expelli contigerit, & qui proprio suo motu de locis, vel Monasterijs ipsis exiuerint ad Religionem aliam absque huiusmodi licentia, vel ad seculum, aut ad Laicatum tanquam Canis ad vomitum rediens, conuolabunt, ab omni promotione digni-tatis, & administrationis Ecclesiasticæ, seu secularis esse decernimus alienos: Prædicandi officium, audiendi etiam Confessiones, ac docendi alios in quacumque facultate potestate talibus Apostatis penitus in-terdicta. Inhibentes expressius, ne aliqua persona cuiuscumque status, conditionis, vel Religionis exist at, habitũ vestrum, aut consimilem (nisi de Monasterijs, & locis vestris fuerint) deferre præsumant: Con-tra facientes per Diœcesanos locorum, cum à vobis super hoc fuerint requisiti, deponere habitum huiusmodi per censuram Ecclesiasticam, cuiuslibet appellationis obice non obstante, arctius compellantur. Quod si ijdẽ Diœcesani, vel Ordinarij id efficere malitiosè fortè negle-xerint, postquàm à vobis, vel nuncijs vestris super hoc requisiti fue-rint, in suspensionis laqueum incidant ipso facto. Adijcimus etiam, quòd si aliquis in aliquo Monasteriorum, vel locorum vestrorum pro-fessus ante ingressum suum in Religionem aliquibus personis, Vniuer-sitatibus, vel Collegijs, de quibus, quorumque nominibus memoria pe-nitus non habetur, in aliqua quantitate pecuniæ, vel ad restitutionem aliquarum rerum esset obnoxius, illam, & rerum æstimationem ab eo licitè recipere, & in locis vestris, in quibus expedire videbitur in vsus vtiles conuertere valeatis, & huiusmodi satisfactionem impen-dens à præstatione satisfactionis alterius remaneat absolutus. Nullis-que Religiosis, vel sæcularibus, cuiuscunque status, vel conditionis exi-stant, liceat aliquorum corpora defunctorum vobis inuitis (quod pro-hibemus) penitus in vestris sepelire Cœmeterijs; nec in Monasterijs, Ecclesijs, Prioratibus, & alijs locis vestris Missarũ solemnia, vel Mor-tuorum Officia celebrare. Nullisque ex vestris Monachis, Fratribus, & Conuersis licitum sit cuiquam, absque Prælatorum suorum licentia, nisi Prælatis ipsis, sua confiteri peccata. Concedimus quoque vobis, vt de ijs, quæ in ornamentis, vel pro eis, aut libris, fabrica, luminari-bus, Anniuersario, septimo, vigesimo, trigesimo, siue alijs ad perpe-tuum cultum diuinum, seu pro pietantijs, aut victu ad substentatio-nem vestram, vel indumentis, & calceamentis vestris, necnon pro*

*annuis censibus redimendis, ad quorum solutionem aliqua Monasteria, Ecclesiæ, Prioratus, Membra, aliaque loca vestri Ordinis obligata forsitan viderentur, aut de ijs, quæ pro domibus prædijs, hortis, alijsque locis emendis vobis legantur: De obligationibus quoque, & obuentionibus etiam, quas occasione funerum, & alijs, quæ iure institutionis, seu successionis, aut legati, vel relicti, aut fideicommissi ad vos, & Ecclesias, & loca vestra pietatis intuitu deuenire contigerit, nulli teneamini iustitiam, seu portionem Canonicam exhibere; & ad hoc vos decernimus aliquatenus non teneri. Cæterum, cum felicis recordationis Innocentius Papa Quartus Prædecessor noster olim duxerit statuendum, vt exempti quantacunque gaudeant libertate; nihilominus tamen ratione delicti, seu contractus, aut rei de qua contrà ipsos agitur, ritè possint coram locorum Ordinarijs conueniri, & illi quo ad hoc suam in ipsos iurisdictionem, prout ius exigit, exercere: Nos vobis, vt occasione Constitutionis huiusmodi nullum libertatibus, & immunitatibus, seu Indulgentijs, vel Priuilegijs vobis, & Monasterijs, & locis vostris per nos (vt præmittitur) Apostolica auctoritate concessis, præiudicium generetur, auctoritate vobis præsentium indulgemus. Præterea proponendi populo verbum Dei, & dandi omnibus verè pœnitentibus, & confessis, qui huiusmodi prædicationi interesse voluerint, quadraginta dierum Indulgentiam de iniunctis eis pœnitentijs. Audiendi quoque confessiones, & iniungendi pœnitentias, & imponendi absolutionem debitam pro confessis; conferendi etiam Ecclesiastica Sacramenta, tam hominibus, & vassallis vestris, quàm cæteris Christi fidelibus. Necnon habendi, & pulsandi campanas die, noctuque ad horas canonicas, & quandocunque de vestra processerit voluntate, absque cuiuslibet contradictionis obiectu. Dispensandi etiam cum Fratribus, seu Monachis ad vestra Monasteria, & loca conuolantibus, & ibidem degentibus super irregularitatibus quibuscunque, etiam si prius eas fortassè contraxerint, quàm prædicta loca, & Monasteria intrauissent; dummodo ex homicidij, vel mutilationis causa irregularitates ipsæ minimè sint contractæ. Absoluendi etiam Fratres, & Monachos memoratos ab excommunicatione quacunque, etiam si eius absolutio tantùm sit Sedi Apostolicæ reseruata, plenam, & liberam vobis, filij Abbates, auctoritate Apostolica concedimus potestatem. Indulgemus etiam vobis, vt bona feudalia, vel alia qualibet vobis oblata liberè recipere valeatis, ac licitè retinere, nulla constitutione, seu consuetudine contraria obsistente; aut*

*etiam si loci Diœcesanus bona ipsa pro Decimis non solutis, aut præstationibus alijs sibi, aut Ecclesiæ suæ asserat obligata. Et quia mutatio temporum facti mutationem fortè requireret; licitum sit vobis aliquod aliud de Monasterijs vestris præsentibus, aut futuris caput aliorum Monasteriorum, & Membrorum vestrorum (si expediens fuerit) ordinare. Nos enim ex nunc decernimus irritum, & inane quicquid contra tenorem Concessionum, Constitutionum, Indulgentiarum, & Inhibitionum huiusmodi, & capitulorum omnium, & etiam singulorum, quæ superius sunt expressa, per quoscunque attentatum est, vel in posterum contingerit attentari: & interdicti suspensionum, & excommunicationum sententias, si quas contra præmissa, vel aliquod præmissorum in vos, vel in vestrum aliquem, siue aliquos, aut loca vestra, seu benefactores vestros, aut executores, vel hæredes à quocunque cuiuscunque præeminentiæ, dignitatis, aut honoris, vel status existat, in posterum contingerit promulgari, volumus eo ipso penitus non tenere. In signum verò perceptæ libertatis vestræ, & subiectionis solius Romanæ Ecclesiæ per nos vobis concessæ, vt superius præmittitur, vnam vnciam auri soluendam annis singulis in Festo Natiuitatis Domini, tam pro capite, quàm pro membris vestris, Nobis, & successoribus nostris Romanis Pontificibus persoluatis. Nulli ergo omnino liceat hominum hanc Paginam nostrarum Concessionum, Constitutionum, Indulgentiarum, & Inhibitionum infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Aquilæ quinto Calen. Octobris, Pontificatus Nostri Anno Primo.*

# PAVLI V.

Confirmatio omnium gratiarum & priuilegiorum Congregationis Monachorum Cœlestinorum Ordinis S. Benedicti. Et subiectio Monasteriorum Galliæ, potestati Abbatis Generalis. Cum prohibitione habendi recursum extra Ordinem, & cogendi Capitulum Generale, absque interuentu dicti Abbatis.

## *PAVLVS PAPA V.*

*Ad perpetuam rei memoriam.*



Niuncti nobis Apostolici muneris ratio postulat, vt sacrarum Religionum in militanti Ecclesia suaues in Domino fructus assiduè præstantium, paternam curam gerentes, priuilegia, gratias, & indulta illis à Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris concessa, quo validiùs perpetuo subsistant, Apostolicæ confirmationis robore libenter communiamus.

§. 1. Volentes igitur vniuersam Congregationē Cœlestinorum Ordinis S. Benedicti, quam etiam nos antequam ad summi Apostolatus apicem assumpti essemus, semper non modico prosequuti sumus amore, & ex qua vberrimi in eadem Dei Ecclesia fructus ad ipsius Omnipotentis Dei laudem, & Christianæ Reipublicæ spirituale commodum, ac vtilitatem ab ipsius Congregationis initio semper prodierunt, & in dies prodeunt; ac dilectos filios Abbatem Generalem, & Procuratorem, ac Monachos eiusdem Congregationis vniuersos specialibus fauoribus & gratijs prosequi, & eorum singulos à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsque Ecclesiasticis sententijs, censuris & pœnis à iure, vel ab homine quauis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes & absolutos fore censentes: Motu proprio,

non

non ad dilecti filij Celsi Romani Abbatis Generalis, seu Procuratoris, vel Monachorum dictæ Congregationis instantiam, sed ex certa nostra scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, omnia, & singula priuilegia, immunitates, exemptiones, libertates, prærogatiuas, fauores, conseruatorias, declarationes, facultates, dispensationes, gratias, concessiones, aliaque priuilegia, & indulta spiritualia, & temporalia, etiam per modum communicationis, & extensionis inter se, & cum alijs Congregationibus, & Ordinibus Mendicantium, & non Mendicantium, eidem Congregationi Cœlestinorum dicti Ordinis per quoscunque Romanos Pontifices Prædecessores nostros, ac Nos, & Apostolicam Sedem sub quacumque verborum forma, & expressione etiam per solam signaturam, & viuæ vocis oraculo, aut alias quomodolibet concessa, ac semel, seu pluries confirmata, cum omnibus, & singulis in eis contentis clausulis, decretis, & declarationibus; ac singulas litteras tam sub plumbo, quàm in forma breuis, aut alias desuper confectas, quarum tenores & formas, datas, effectus, decreta & alia in illis contenta, ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro sufficienter expressis haberi volumus, quatenus Sacri Concilij Tridentini decretis, necnon Regularibus dictæ Congregationis institutis à Sede Apostolica approbatis non aduersentur, ac reuocata non sint, nec sub aliquibus reuocationibus comprehensa; Apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuo confirmamus & approbamus, illisque perpetuæ et inuiolabilis Apostolicæ firmitatis robur adijcimus; ac omnes, et singulos, tam iuris, quàm facti, et solemnitatum etiam de iure necessariarum, aut alias quomodolibet requisitarum forsitan omissarum, et alios defectus, si qui interuenerint in eisdem, supplemus; illasque et illa Congregationi prædictæ Monachis, Monialibus, et Oblatis etiam per modum communicationis, et extensionis huiusmodi suffragari, eosque illis frui, vti et gaudere, vbi quando, et quoties opus fuerit, posse et debere in omnibus, et per omnia decernimus.

§. 2. Præterea motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus volumus et declaramus, quod Abbas Generalis debeat eligi prout hactenus factũ fuit: ac pariter quod ipse Abbas Generalis pro tempore existens possit, et debeat visitare quæcumque Congregationis suæ prædictæ Monasteria tam in Italia, quàm in Gallia, et vbique locorum existentia, quando, et quoties ei videbitur, etiam nulla vi-

fitationis intimatione, seu notificatione præcedente, cum obseruatione Regulæ ac Constitutionum eiusdem Congregationis. Præterea quod venientes ad Vrbem ex Prouincia Galliæ, & ex quacumque alia Prouincia ad ipsum Abbatem Generalem absque licentia, & obedientia suorum Prouincialium, & Superiorum, & maximè si sint apostatæ profugi vel vagi, si Generalis cognouerit absque causa legitima illos venisse, debeant puniri iuxta formam Constitutionum, & statim remitti ad suos Superiores; prout etiam remitti debeant, si venerint absque huiusmodi suorum Superiorum licentia & obedientia, etiam pro eorum deuotione: secus autem si velint accedere ad Vrbem, tanquam ad Apostolicam Sedem pro negotijs & recursibus habendis. tunc enim volumus liberum esse vnicuique ad eam confluere, nec licere Superioribus id cuique prohibere.

§. 3. Ad hæc quòd nullus Prælatus Prouincialis, Abbas, Prior, vel Monachus secretè, palam, directè, vel indirectè per seipsum, vel per alios ex quacumque causa, vel occasione possit ad quoscunque Iudices cuiuscumque dignitatis, & qualitatis fuerint, habere recursum pro negotijs spectantibus ad Congregationem, eiusque Monasteria in genere, vel in specie ad particulares personas, nisi ad Abbatem Generalem in Italia existentem, vel vbique locorum vbi erit, vel in Regno Galliæ ad suos Prouinciales, vel ad Capitula Prouincialia. Qui cõtrauenerit, pœnam excommunicationis ipso facto, atque indignationis nostræ, à qua non nisi à Romano Pontifice pro tempore existente, præterquam in mortis articulo absolui possit, & perpetuo priuatus intelligatur quocunque gradu, honore, & dignitate Religionis, & careat voce actiua, & passiua.

§. 4. Postremo quod Capitula pro tempore facienda tã in Gallia, quàm in quibuscunque alijs Prouincijs, debeant vocari Capitula Prouincialia, non autem Generalia; ita vt Capitulum Generale intelligatur illud quod celebrabitur cum assistentia Generalis, cæterorumque Patrum Diffinitorum.

§. 5. Præsentes quoque litteras nullo vnquam tempore de subreptionis, vel obreptionis vitio, seu intentionis nostræ, vel quopiam alio defectu; seu etiam ex eo quod Prouincialis Prouinciæ Galliæ, ac Prior, & Monachi Congregationis, & Ordinis prædictorum, & forsitan alij interesse etiam aliarum Prouinciarum in præmissis habentes seu putantes, ad hoc vocati non fuerint, notari, impugnari, inualidari, aut ad terminos iuris, vel in ius, seu controuersiam
vocari

vocari posse, nec sub quibusuis similium, vel dissimilium gratiarum reuocationibus, suspensionibus, vel alijs contrarijs dispositionibus comprehendi.

§. 6. Sicque per quoscunque Iudices, & Commissarios quauis auctoritate fungentes, etiam S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, ac causarum Palatij Apostolici Auditores, sublata eis & eorum cuilibet, quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, vbique iudicari, & diffiniri debere: necnon irritum, & inane decernimus, si secus super his à quoquam quauis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 7. Quocirca dilecto filio causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ generali Auditori, per præsentes committimus, & mandamus, quatenus per se, vel alium, seu alios faciant auctoritate nostra præsentes litteras, & in eis contenta quæcunque plenum eorum effectum sortiri, illisque Congregationem, & Monachos prædictos pacifice frui, & gaudere. Non permittentes quemquam desuper contra præsentium tenorem per quoscunque indebite molestari. Contradictores quoslibet, ac rebelles, & præmissis non parentes, per censuras, & pœnas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris, & facti remedia, appellatione postposita compescendo. Inuocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachij secularis.

§. 8. Non obstantibus fel. rec. Martini V. & Eugenij IV. Bonifacij VIII. ac Adriani VI. & Clementis VII. ac aliorum quorumcunque Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum, alijsq. constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac in Lateranensi, & alijs Concilijs Generalibus editis, ac Ordinis, & Congregationis huiusmodi iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus; priuilegijs quoque indultis; & litteris Apostolicis sub quibuscunque tenoribus & formis, ac cum quibusuis clausulis irritantibusque, & alijs decretis in genere, vel in specie, ac alias quomodolibet concessis, approbatis, & innouatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi de illis eorumq. totis tenoribus, specialis, specifica, & indiuidua mentio pro illorum sufficienti derogatione habenda foret, eorum tenores præsentibus, ac si de verbo ad verbum insererentur, pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice duntaxat specialiter, & expresse harum serie derogamus. cæterisque contrarijs quibuscunque. Aut si aliquibus communiter, vel diuisim ab Apostolica sit

Sede

Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſsint per litteras Apoſtolicas non facientes plenam, et expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi mentionem.

§. 9. Volumus autem quod præſentium tranſumptis, etiam impreſsis, manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud S. Petrum, ſub anulo Piſcatoris, die vigeſimanona Aprilis 1606. Pontificatus noſtri Anno primo.

---

## Confirmatio Priuilegij ſuper habitu Prælati Regularis deferri conſueto ab Abbate Generali Cœleſtinorum.

### *PAVLVS PAPA V.*
### *Ad futuram rei memoriam.*

EX iniuncto nobis Apoſtolici muneris debito ius ſuum vnicuique conſeruare tenemur.

§. 1. Proinde cum, ſicut pro parte dilecti filij Celſi Romani Abbatis Generalis Congregationis Cœleſtinorum Ordinis S. Benedicti nobis nuper expoſitum fuit, ex antiquo Priuilegio Apoſtolico à fel. rec. Cœleſtino Papa V. nimirum conceſſo, & ab Eugenio IV. & alijs Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus noſtris confirmato, pro tempore exiſtens Abbas Generalis dictæ Congregationis Cœleſtinorum, functiones omnes, quas cæteri omnes Abbates exempti faciunt, & exercent, facere, & exercere; nec non ſemper tam in Vrbe, quàm in omnibus alijs Ciuitatibus, & vbique locorum habitum Prælatorum Regularium, Caputium ſcilicet, ſiue Mozzettam ſuper Mantelletto, & Biretum quadratum more Clericorum ſæcularium, ac Pileum more Prælatorum; Ac in Eccleſijs, & Monaſterijs ſuo Ordini ſubiectis Cappa, Baculo, Mitra, & cæteris Pontificalibus indumentis vti; & in eiſdem Eccleſijs Miſſas ſolemniter more aliorum Abbatum benedictorum celebrare; ac Monachis ſui Ordinis, & alijs Chriſti fidelibus quibuſcunque ad dicti Abbatis Miſſas audiendas conuenientibus, & intereſſentibus, quandocunque Epiſcopi,

ſcopi, & alij Superiores Prælati, & S. R. E. Cardinales ibi præſentes non ſint, ſolemnem benedictionem impertiri poſſint, & conſueuerint.

§. 2. Cumque in Congregatione Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium ſuper ſacris Ritibus, & Cæremonijs deputatorum examinatis priuilegijs ſupraſcriptis, decretum ſemel, atque iterum fuerit præfatum Abbatem Generalem Congregationis Cœleſtinorum pro tempore exiſtentem in pacifica poſſeſſione omnium, & ſingulorum præmiſſorum manutenendum eſſe, illumq. à quouis Epiſcopo, vel Ordinario locorum, aut eorum Vicarijs, & alijs quibuſcumque perſonis ſuper præmiſſis moleſtari, perturbari, vel inquietari non poſſe declaratum fuerit. Et cum ſicut eadem expoſitio ſubiungebat, ipſe Celſus Abbas pro maiori eorundem decretorum validitate cupiat illa confirmationis Apoſtolicæ robore communiri.

§. 3. Nos illius honeſtis votis benignè annuentes, ac ipſum Celſum Abbatem ſpecialibus fauoribus, & gratijs proſequi volentes, & à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, alijſq. Eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis à iure, vel ab homine quauis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſoluentes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus eius nomine ſuper hoc nobis humiliter porrectis inclinati, decreta eiuſdem Congregationis auctoritate Apoſtolica tenore præſentium confirmantes, & approbantes iuxta illorum ſeriem, per eaſdem præſentes decernimus, & declaramus prædictum Celſum modernum Abbatem Congregationis Cœleſtinorum, eiuſque ſucceſſores, ſtante antiqua poſſeſſione dicti Abbatis, & Prædeceſſorum præfata faciendi, & exercendi, in pacifica poſſeſſione omnium, & ſingulorum præmiſſorum manutenendum, & manutenendos eſſe; nec illos, aut quempiam illorum à quouis Epiſcopo, vel Ordinario locorum, aut eorum Vicarijs, & alijs quibuſcunque perſonis deſuper quouis prætextu moleſtari, perturbari, vel inquietari vllatenus poſſe.

§. 4. Sicque per quoſcunque Iudices ordinarios, & delegatos, etiam Cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores iudicari, & definiri debere; ac irritum, & inane quicquid ſecus ſuper his à quoque quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Quocir-

§. 5. Quocirca dilectis filijs nunc, & pro tempore existentibus eiusdem Congregationis apud Nos, & Apostolicam Sedem Protectori, & Causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ Generali Auditori per præsentes committimus, & mandamus, quatenus ipsi, vel alter eorum præsentes litteras, & in eis contenta quæcunque vbi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte dicti Celsi moderni, aut pro tempore existentis Abbatis Generalis dictæ Congregationis fuerint requisiti, solemniter publicantes, ac ipsi Abbati in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra illum eorundem præmissorum effectu pacifice frui, & gaudere. Non permittentes illum desuper à quoquam quauis auctoritate quomodolibet indebite molestari; Contradictores quoscunque per censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris, & facti remedia, appellatione postposita, compescendo, inuocato etiam ad hoc si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis.

§. 6. Non obstantibus fel. rec. Bonifacij Papæ VIII. etiam Prædecessoris nostri de vna, & in Concilio Generali edita de duabus dietis, dummodo vltra tres dietas aliquis auctoritate præsentium ad iudicium non trahatur, alijsque Apostolicis Constitutionibus, & Ordinationibus, cæterisque contrarijs quibuscunque.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris, die 9. Decembris 1606. Pontificatus Nostri Anno secundo.

*Scipio Cobellutius.*

---

Quòd Monasteria Congregationis Cœlestinorum Ordinis S. Benedicti, obseruata suorum reddituum quantitate, per Abbates, aut Priores gubernentur, in eisque, & non in alijs illorum membris familia constituatur.

*PAVLVS PAPA V.*
*Ad perpetuam rei memoriam.*

AD sacram Beati Petri Sedem meritis licèt imparibus diuina prouidentia vocati, circa statum Congregationum ad Diuini cultus augmentum, & religionis propagationem piè institutarum sollici-

ſollicitis ſtudijs intendentes, illa libenter ſtatuimus, & decernimus per quæ Congregationes ipſæ maiora tam in ſpiritualibus, quàm temporalibus ſuſcipere valeant incrementa.

§. 1. Hinc eſt quod Nos felici, proſperoque Monachorum Ordinis Sancti Benedicti Congregationis Cœleſtinorum ſtatui, & ſalubri directioni, quantum nobis ex alto conceditur, proſpicere volentes, matura deliberatione deſuper habita, ſupplicationibus etiam nomine totius Congregationis prædictæ nobis humiliter porrectis inclinati, hac noſtra perpetuò valitura Conſtitutione ſtatuimus, & ordinamus, quod omnia prædictæ Congregationis Monaſteria, quorum redditus, & prouentus ad congruam duodecim Monachorum, computatis tam Profeſſis, quàm Oblatis, & famulis, ex quibus tamen ſaltem ſex Sacerdotes eſſe debeant, ſuſtentationem ſufficiunt, ab vno ex Monachis prædictis ſpectatæ tamen virtutis, & diſciplinæ ſub titulo Abbatis;

§. 2. Alia verò Monaſteria, ex quorum redditibus ſex dumtaxat computatis omnibus, vt ſupra, congruè ali, & manuteneri poſſunt, per Priores canonicè eligendos iuxta dictæ Congregationis inſtituta gubernentur; excepto tamen Monaſterio Sancti Spiritus de Maiella, quod primum omnium Monaſteriorum dictæ Congregationis fuiſſe aſſeritur, & idcirco ab Abbate gubernari poſſe volumus, etiamſi prædictum Monachorum numerum non habeat, dummodo non minus, quàm decem Monachi, vt ſupra, in eo alantur.

§. 3. Priores autem Abbatibus decedentibus Monaſterijs maioribus per gradum, prout eorum virtutum merita, & adminiſtrationis ratio poſtulare videbuntur, canonicè ſimiliter, vt prædicitur, præficiantur.

§. 4. Omneſque Abbates, & Priores ſupradicti gaudeant omnibus priuilegijs, immunitatibus, exemptionibus, facultatibus, & præeminentijs, quibus gaudent alij Abbates, & Priores eiuſdem Congregationis quocunque iure, ſine tamen præiudicio iurium Abbati Generali, & aliorum, qui Abbatis Generalis munere functi fuerunt, eis iuxta dictæ Congregationis ſtatuta competentium, & ita quod propter præmiſſa Monaſteriorum ſtatus in aliquo non alteretur.

§. 5. Alia verò Monaſteria, ſeu Domus, & Membra eiuſdem Congregationis prædictis Monaſterijs maioribus vnita, & annexa ſint, & eſſe cenſeantur, iuxta diſtributionem in proximè futuro Capitulo

pitulo Diffinitoriali faciendam. Et in ipsis minoribus Monasterijs, seu Domibus, ac Membris sic vnitis nulla in posterum constituatur familia, sed in illo, seu illa vnus duntaxat Monachus Sacerdos quadraginta annorum major, ac probatæ vitæ cum vno Conuerso, seu Oblato collocetur, qui sint, & censeantur ex familia Monasterij, cui Domus, seu Membrum illud vnitum, & annexum fuerit: ac in ea Ecclesia celebrent, & bonorum, ac reddituum curam respectiue habeant.

§. 6. Si verò fortè contigerit, vt aliquod, seu aliqua ex minoribus Monasterijs prædictis, vel Domibus ad formam Monasterij maioris redigantur, competenterque dotentur, ita vt duodecim in eo Monachi, vel saltem sex ali possint, vt præmittitur; tunc cum Capituli Generalis consensu, & Protectoris licentia restituantur sub Abbatis, vel Prioris titulo respectiuè gnbernanda.

§. 7. Decernentes præsentes litteras, & in eis contenta quæcunque nullo vnquam tempore de nullitatis vitio notari, seu impugnari, aut aliàs quomodolibet infringi, vel retractari, seu inualidari, aut in ius, vel controuersiam vocari vllatenus posse, sed ab omnibus, quos concernunt, & concernent quomodolibet, in futurum obseruari debere.

§. 8. Sicque per quoscunque Iudices ordinarios, & delegatos, ac Commissarios quauis auctoritate fungentes, etiam S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos iudicari, & diffiniri debere; ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 9. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non Ordinis, & Congregationis prædictorum; etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, priuilegijs quoque indultis, & litteris Apostolicis quibusuis personis sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis clausulis, & decretis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, & singulis eorum omnium tenorem præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresè derogamus, cæterisque contrarijs quibuscunque. Aut si aliquibus communiter, vel diuisim ab Apostolica sit Sede indultum, quòd interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas

licas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi mentiouem. Datum Romæ apud S. Mariam Maiorem ſub Annulo Piſcatoris. Die 29. Ianuarij M. DC. XVI. Pontificatus noſtri anno vndecimo.


*Scipio Cobellutius.*

---

## COMMVNICATIO PRIVILEGIORVM,
Quibus gaudent Caſſinenſes, & aliæ Congregationes Ordinis ſancti Benedicti Congregationi Cæleſtinorum à S.D.N. VRBANO Papa VIII. conceſſa.

# VRBANVS PP. VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.



SACROSANCTI Apoſtolatus miniſterium, quod ineffabilis diuitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei altitudo humilitati noſtræ, nullis licèt ſuffragantibus meritis, per abundantiam cæleſtis miſericordiæ credidit, iugiter nos admonet, vt inter multiplices, grauiſſimasq. Apoſtolicæ ſeruitutis curas eam peculiari ſollicitudine amplectamur, qua priuilegia pijs Chriſtifidelium Congregationibus in militanti Eccleſia ad diuini nominis laudem, & gloriam, ſanctæq. fidei Catholicæ exaltationem ſalubriter inſtitutis à Sede Apoſtolica conceſſa, non ſolùm conſeruentur; verùm etiam Congregationes ipſæ nouis ab eadem Sede gratijs, atque indultis decorentur, prout rerum, & temporum qualitatibus debitè penſatis conſpicimus in Domino ſalubriter expedire.

§. 1. Hinc eſt, quod nos ad vberes fructus, quos dilecti filij Monachi Congregationis Cæleſtinorum Ordinis S. Benedicti, vel ab ipſius Congregationis primordio in eadem Eccleſia magno cum Reipublicæ Chriſtianæ ſpirituali commodo attulerunt, & in-

dies

dies afferunt, paternæ dirigentes considerationis intuitum; & attentè prospicientes quod Congregatio prædicta vna ex duodecim existit, quæ cum Camera Apostolica tempore fel. rec. PII Papæ V. Prædecessoris nostri de subsidio ordinario concordarunt; nec non Monachos prædictos specialibus, fauoribus & gratijs prosequi volentes, & eorum singulares personas à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsq. ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis à iure, vel ab homine quauis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutas fore censentes.

§. 2. Motu proprio, non ad Abbatis, seu Procuratoris Generalium, aut aliorum quorumcunque Superiorum, vel Monachorum eiusdem Congregationis, aut alterius pro eis nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam; sed ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, omnia, & singula priuilegia, prærogatiuas, fauores, fucultates, declarationes, libertates, immunitates, exemptiones, præeminentias, indulta, aliasq. gratias tàm spirituales, quàm temporales cuiusuis generis, & speciei existentes, tam Cassinensi Ordinis S. Benedicti, quàm quibusuis alijs Monachorum Congregationibus, earumque Superioribus, Præsidentibus, Abbatibus, Monachis, alijsq. regularibus personis, nec non Ecclesijs, Monasterijs, & locis regularibus quibuscunque tàm specialiter, & nominatim, quàm in genere, & per viam communicatiouis, vel extensionis, aut aliàs quomodolibet per quoscunque Romanos Pontifices Prædecessores nostros, seu nos, & Sedem Adostolicam, eorumque & nostros de latere Legatos, & Nuncios sufficienti ad id auctoritate suffultos concessa, & in futurum per successores nostros, aut alios authoritatem habentes concedenda, & quibus ipsæ Congregationes, earumque Abbates, & alij quocunque nomine nuncupati Superiores, & Monachi, cæteræq. personæ regulares de iure, vsu, consuetudine, priuilegio, aut concessione Apostolica in genere, vel in specie, ac tàm coniunctim, quàm diuisim, seu aliàs quomodolibet vtuntur, fruuntur, potiuntur, & gaudent, ac vti, frui, potiri, & gaudere possunt, & poterunt quomodolibet in futurum (dummodo tamen sint in vsu, & non sint reuocata, aut sub aliquibus reuocationibus comprehensa, ac sacris Canonibus, & Concilij Tridentini decretis non

aduer-

aduersentur) Congregationi Cælestinorum prædictæ, illiusq. Generali, ac cæteris Abbatibus, Prioribus, & alijs quocunque nomine nuncupatis Superioribus, Monachis, & personis regularibus quibuscunque, nec non Monasterijs, Ecclesijs, Domibus, Conuentibus, & locis regularibus quibuslibet tenore præsentium perpetuò concedimus; dictaq. priuilegia, indulta, immunitates, exemptiones, ac gratias spirituales, & temporales huiusmodi primo: dictæ Congregationi, illiusq. Generali, cæterisq. Abbatibus, Prioribus, & Monachis personis prædictis, nec non eorum Ecclesijs, Monasterijs, & regularibus locis communicamus, illaq. ad eos, & illa extendimus.

§. 3. Ita quòd Congregatio Cælestinorum prædicta, illiusq. Generalis, & cæteri Abbates, Superiores, Monachi, & personæ huiusmodi, eorumque Monasteria, Prioratus, Grangiæ, Domus, Ecclesiæ, Oratoria, Collegia, & alia loca regularia, nec non res, & bona quæcumque præmissis omnibus, & singulis non solùm ad aliarum Congregationum instar, sed pariformiter, & æquè principaliter vti, potiri, & gaudere liberè, & licitè valeant; perinde ac si ea omnia illis, & eorum singulis specialiter, & expresse, & non ad instar, sed à principio concessa, et in primo dictæ Congregationis fauorem à Sede Apostolica nominatim emanassent.

§. 4. Decernentes præsentes literas nullo vnquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut alio quopiam defectu notari, impugnari, redargui, seu infringi, aut in ius, vel in controuersiam reuocari posse; sed eas semper, et perpetuò validas, firmas, et efficaces existere, et fore, suosq. plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere; et Congregationi Cælestinorum huiusmodi, illiusq. personis, et locis regularibus supra expressis in omnibus, et per omnia plenissime suffragari; sicque per quoscumque Iudices ordinarios, et delegatos etiam causarum Palatij Apostolici Auditores vbiq. iudicari, et diffiniri debere; ac irritum, et inane, si secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. 5. Quo circa Veñ. Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, et Episcopis, alijsq. locorũ ordinarijs quibuscunque, nec non dilecto filio causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ Generali Auditori per præsentes committimus, et mandamus, quatenus quil bet eorum quandocumque per se, vel alium, seu alios, præsentes literas, et in

eis contenta quæcunque vbi, et quando opus fuerit, ac quoties pro parte Abbatis Generalis, et Monachorum Congregationis Cælestinorum Ordinis sancti Benedicti prædictorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra easdem plenum eorum effectum sortiri, illisq. omnes, quos concernunt, pacificè frui, et gaudere; non permittentes quemquam desuper contra præsentium tenorem sub quouis prætextu, et causa, etiam defectu intentionis nostræ per quoscunque quomodolibet indebitè molestari; quinimmo quicquid in contrarium attentari, vel fieri continget, omnino semper in pristinum reponi. Contradictores quoslibet, & rebelles, etiam per quascumque, de quibusuis eis videbitur, censuras, & pœnas ecclesiasticas, ac alia opportuna iuris, & facti remedia, appellatione postposita compescendo, legitimisq. super his habendis, seruatis processibus, censuras, & pœnas ipsas etiam iteratis vicibus aggrauando, inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis.

§. 6. Non obstantibus præmissis, ac piæ mem. BONIFACII Papæ VIII. Prædecessoris nostri de vna, & in Concilio Generali edita de duabus dietis, dummodo vltra tres dietas aliquis auctoritate præsentium ad iudicium non trahatur, alijsque Apostolicis Constitutionibus, & ordinationibus, ac Ordinum, & Congregationum huiusmodi Statutis, & consuetudinibus etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis; priuilegijs quoque indultis, & literis Apostolicis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijsq. efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis quomodolibet etiam pluries concessis, confirmatis, & innouatis.

§. 7. Quibus omnibus, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumq. totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quæuis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, etiam quod in eis caueatur expresse, quod illis nullatenus, aut non nisi sub certis modo, & forma derogari possit, tenoris huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita obseruata, inserti forent, præsentibus pro sufficienter expressis,

ſis, & inſertis habentes, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæterisq. contrarijs quibuſcumque. Aut ſi aliquibus communiter, vel diuiſim ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quòd interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo, ad verbum de indulto huiuſmodi mentionem.

§. 8. Verùm quia difficile foret, præſentes literas, vbicumque opus eſſet, deferri, volumus, & pariter Apoſtolica auctoritate decernimus, quòd illarum tranſumptis etiam impreſſis, manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud ſanctam Mariam Maiorem ſub Annulo Piſcatoris. die 14. Auguſti M. D. C. XXIV. Pontificatus noſtri Anno ſecundo.

V. Theatiñ.

# PAVLI II. EXTRAVAGANS

## *De rebus Eccleſiæ non alienandis.*

## PAVLVS Venetus Papa ſecundus.




MBITIOSAE cupiditati, illorum præcipuè, qui diuinis & humanis affectati damnatione poſtpoſita, immobilia & pretioſa mobilia Deo dicata, ex quibus eccleſiæ, monaſteria, & pia loca reguntur, illuſtranturque, & eorum Miniſtri ſibi alimoniam vendicant, profanis viſibus applicare, aut cum maximo illorum ac diuini cultus detrimento exquiſitis medijs vſurpare præſumunt, occurrere cupientes: omnium rerum & bonorum eccleſiaſticorum alienationem, omneq. pactum per quod ipſorum dominium transfertur, conceſſionem, hypothecam, locationem, & conductionem vltra triennium, necnon infeudationem vel contractum emphyteuticum, præterquam in caſibus à iure permiſſis, ac de rebus & bonis in emphyteuſim ab antiquo concedi ſolitis, & tunc eccleſiarum euiden-

ti vtilitate, ac de fructibus & bonis, quæ seruando seruari non possunt pro instantis temporis exigentia, hac perpetuo valitura constitutione præsenti fieri prohibemus: prædecessorum nostrorum constitutionibus, prohibitionibus, & decretis alijs super hoc editis, quæ tenore præsentium innouamus, in suo nihilominus robore permansuris. Si quis autem contra huius nostræ prohibitionis seriem de bonis & rebus eisdem quicquam alienare præsumpserit, alienatio, hypotheca, concessio, locatio, conductio, & infeudatio huiusmodi, nullius omnino sint roboris vel momenti. Et tam qui alienat, quàm is qui alienatas res & bona prædicta receperit, sententiam excommunicationis incurrat. Alienanti vero bona ecclesiarum, Monasteriorum, locorumq. piorum quorumlibet inconsulto Romano Pontifice, aut contra præsentis Constitutionis tenorem, si pontificali vel abbatiali præfulgeat dignitate, ingressus ecclesiæ sit penitus interdictus: Et si per sex menses immediate sequentes, sub interdicto huiusmodi animo (quod absit) perseuerauerit indurato, lapsis mensibus eisdem à regimine & administratione suæ Ecclesiæ vel Monasterij, cui præsidet in spiritualibus & temporalibus, sit eo ipso suspensus. Inferiores vero Prælati, Commendatarij, & aliarum ecclesiarum Rectores beneficia vel administrationem quomodolibet obtinentes, prioratibus, præposituris, præpositatibus, dignitatibus, personatibus, administrationibus, officijs, canonicatibus, præbendis, alijsq. ecclesiasticis cum cura & sine cura sæcularibus & regularibus beneficijs, quorum res & bona alienarunt dumtaxat, ipso facto priuati existant: illaq. absque declaratione aliqua vacare censeantur: possintq. per locorum ordinarios, vel alios, ad quos eorum collatio pertinet, personis idoneis (illis exceptis quæ propterea priuatæ fuerint) liberè de iure conferri: nisi aliàs dispositioni Apostolicæ Sedis sint specialiter aut generaliter reseruata: nihilominus alienatæ res & bona huiusmodi ad ecclesias, monasteria, & loca pia, ad quæ ante alienationem huiusmodi pertinebant, libere reuertantur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ prohibitionis & innouationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursum. Datum Romæ apud S. Marcum, anno Dominicæ incarnationis M. cccc. lxviij. Calend. Martij, Pontificatus nostri anno quarto.

DE-

# DECRETVM
## SACRÆ CONGREGATIONIS CONCILII
## S.D.N. VRBANI PP. VIII.
### Iussu editum.
## De rebus Regularium non alienandis.



*ACRA Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum, rerum experimento edocta, quantum Religiones accipiant detrimenti ex bonorum immobilium, & pretiosorum mobilium distractionibus, quas crebrò faciunt Regulares, Apostolicis priuilegijs innixi; ac proinde operæ pretium putans, illorum facilitatem aliqua ratione compescere: speciali Sanctissimi D. N. iussu, Generalibus, & Prouincialibus Capitulis, vel Congregationibus, Abbatibus, Generalibus, & quibuscunque alijs Superioribus Regularibus, cuiusuis Ordinis, Congregationis, Societatis, vel Instituti intra fines Europæ existentibus, omnium rerum, & bonorum immobilium, ac pretiosorum mobilium alienationem, omneq. pactum, per quod ipsorum dominium transfertur, census perpetuos, seu vitalitios, hypotecam, locationem, & conductionem vltra triennium, concessionem in feudum, vel emphyteusim, præterquàm in casibus à iure permissis, fieri perpetuò prohibet, atque interdicit, absque ipsius Congregationis Concilij expressa licentia in scriptis, & gratis concedenda; sub pœna priuationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebunt, vocisq. actiuæ, & passiuæ, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa imposterùm obtinenda, quam ipso facto absque alia declaratione incurrant; sublata etiam Generali, & Protectori illam moderandi, aut relaxandi facultate; pœnis nihilominus Apostolicarum Constit., & præsertim f. l. rec. PAVLI II. quæ incipit,* Ambitiosæ, *in suo robore permansuris. Alienationes verò, pacta, census, hypotecas, locationes, conductiones, & concessiones quascunque contra huiusmodi prohibitionem faciendas, Sanctitatis Suæ authoritate, ipso iure nullas, atque irritas decernit. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis in fauorem quarumcunque personarum, atque Ordinum, tàm Mendicantium, quàm non Mendicantium, Militiarum, etiam S. Io. Hierosolymitani, Congregationum, Societatum, ac cuiusuis alterius Instituti, etiam necessariò, & in indiuiduo exprimendi, Monasteriorum, Conuentuum, Collegiorum, Domorum, ac locorum regularium quorumcunque; necnon illorum, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, vel consuetudinibus, etiam immemorabi-*

*libus, exemptionibus quoque, indultis, & priuilegijs ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, & cum quibuſuis, etiam derogatoriarum derogatorijs, alijsq. efficacioribus, & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus decretis, etiam motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, aut aliàs quomodolibet, etiam per viam communicationis, ſeu extenſionis, conceſſis, & iteratis vicibus approbatis, & innouatis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumq. totis tenoribus, ac formis, ſpecialis, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quæuis alia expreſſio habenda, & aliqua alia exquiſita forma ſeruanda eſſet; tenores huiuſmodi præſentibus pro expreſſis habentes; quibus, quoad ea, quæ præſenti decreto, ac prohibitioni aduerſantur, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ſpecialiter, & expreſsè, Sanctitatis Suæ authoritate, derogat; cæteriſq. coutrarijs quibuſcunque.*

*Datum Romæ die 7. Septembris M.D.C.XXIV.*

Coſmus Card. de Torres.

---

## CLEMENTIS VIII. CONSTITVTIO

Contra Regulares non ſubditos Epiſcopo, extra clauſtra notoriè delinquentes. Et de pœnis eorum Superiorum illos punire negligentium.

*CLEMENS EPISCOPVS, Seruus ſeruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*



SVſcepti muneris ratio poſtulat, vt ea, quæ in ſacro Tridentino Concilio prouidè cõſtituta ſunt, ab ijs ad quos ſpectat, inuiolatè obſeruari curemus.

§. 1. Maturo ſane conſilio ipſius Concilij decreto prouiſum eſt, vt quicumque Regularis non ſubditus Epiſcopo, intra clauſtra degens, extra ea ita notoriè deliquerit, vt populo ſcandalo ſit, Epiſcopo inſtante, à ſuo Superiore intra tempus ab Epiſcopo præfigendum, ſeuerè puniatur, & Superior de punitione Epiſcopum certiorem faciat; ſin minus, ipſe à ſuo item Superiore officio priuetur, & delinquens ab Epiſcopo puniri poſſit.

Verùm

§. 2. Verùm quia experientia compertum est, interdum in huiusmodi decreti executione nimis remisse procedi: cùm enim Episcopus instat, aliquem regularem, eo quo supradictum est modo, delinquentem, à suo Superiore puniri, sæpe fit, vt Superior regularem delinquentem ad alia suorum Ordinum loca, extra Episcopi diœcesim, ex industria impunitum transmittat, atque etiam ipse aliquando ad alias prouincias se conferat, nec vlterius super delinquentis excessibus inquirat, & de eius punitione Episcopum certiorem reddat. Vnde nec regularis delinquens tunc ab Episcopo puniri potest, cùm extra ipsius diœcesim existat; nec Superior, qui delinquentem corrigere negligit, officio priuatur.

§. 3. Nos pro pastorali nostra solicitudine, præfati decreti executioni, quantum cum Domino possumus, fauere, & pręmissis malis, vt par est, opportuno aliquo remedio occurrere volentes, de Venerabilium fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinaliũ prædicti Concilij interpretum sententia, Motu proprio & ex certa scientia nostris, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, hac nostra perpetuo valitura constitutione, omnibus & singulis cuiuscunq; Ordinis & instituti Regularium, etiam mendicantium Superioribus, in virtute sanctæ obedientiæ, & sub indignationis nostræ, ac priuationis dignitatum, & officiorum per eos obtentorum, eo ipso incurrendis pœnis, præcipimus, & mandamus, vt iuxta prædictum decretum, quilibet ipsorum, regularem nõ subditum Episcopo, intra claustra degentem, & extra ea ita notorie delinquentem, vt populo scandalo sit, Episcopo instante, intra tempus ab Episcopo præfigendum, seuere puniat, ac de punitione Episcopum certiorem faciat, & aliàs decretum ipsum, in omnibus & per omnia exequatur. Cæterum si Superior in regularem delinquentem nõ animaduerterit, quinimmo si illum impunitum ad alia suorum Ordinum loca, extra Episcopi diœcesim, vt præfertur, transmiserit; volumus, & simili motu atque auctoritate decernimus, vt Superior instante Episcopo, intra terminum ab Episcopo præfigendum, & sub eisdem indignationis nostræ, ac priuationis dignitatum & officiorum obtentorum, necnon & sub inhabilitatis ad illa & alia in posterum obtinenda, ac vlterius priuationis actiuæ & passiuæ vocis, ad quas à nemine præterquam à nobis, & à Romano Pontifice pro tempore existen. restitui posit, ipso facto similiter incurrendis pœnis, ipsum regularem delinquentem à loco ad quem transmissus fuit, reuocare, & in quo deliquit con-

ſtituere, ſeu ſiſtere teneatur. Quod ſi hoc etiam facere prætermiſerit, per præſentes ſimiliter ſtatuimus, vt Ordinarius loci ad quem regularis delinquens tranſmiſſus fuerit, ſuper præmiſsis ab ipſo Ordinario loci in quo deliquit, ſimiliter requiſitus, vel alias de illius delicto informatus, vt præfertur, tanquam Sedis Apoſtolicæ delegatus, prædictum Concilij decretum omnino exequi, & in regularem delinquentem ſeuere animaduertere poſsit & debeat.

§. 4. Decernentes ſic & non aliter, per quoſcunque Iudices, & Commiſſarios, quauis auctoritate fungentes, etiam eiuſdem Romanæ Eccleſiæ Cardinales, & cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, ſublata eis & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi & interpretandi facultate & auctoritate, vbique iudicari & diffiniri debere; irritum quoque & inane, quicquid ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. 5. Non obſtantibus quibuſuis eorundem Ordinum vel Inſtitutorum, etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, ſtatutis & conſuetudinibus. priuilegijs quoque, indultis, & litteris Apoſtolicis in contrarium pręmiſſorum quomodolibet conceſsis, confirmatis, & approbatis. cæteriſque contrarijs quibuſcunque.

§. 6. Vt autem præſentes litteræ omnibus ſupradictis innoteſcāt, mandamus, illas ad valuas Eccleſiæ Sancti Ioannis Lateranenſis, & Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Vrbe, ac in acie Campi Floræ affigi & publicari. volumusq. poſt quindecim dies, eos qui in Vrbe ſunt, qui vero extra eam, & citra montes, intra quatuor, qui demum vltra montes erunt, intra octo menſes, à die publicationis huiuſmodi computandos, perinde afficere & arctare, acſi eorum vnicuique perſonaliter intimatæ fuiſſent.

§. 7. Ac earundē præſentium litterarū exemplis, etiam impreſſis, manu notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in eccleſiaſtica dignitate cōſtitutæ obſignatis, eandē fidem in iudicio & extra illud haberi, quæ ipſis præſentibus haberetur, ſi forēt exhibitæ vel oſtēſæ.

§. 8. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrorum præcepti, mandati, voluntatis, decreti & mandati infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem &c.

Dat. Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo nonageſimo ſexto, ſeptimo Calend. Martij, Pontificatus noſtri Anno quinto.

# DECRETA GENERALIA

## ſel. rec. CLEMENTIS PAPÆ VIII



*De Nouitijs ad habitum Regularem, & profeſsionem non admittendis, niſi in Conuentibus deſignandis.*

## CLEMENS PAPA VIII.



REGVLARIS diſciplinæ reſtitutioni, pro qua potiſſimùm iuxta noſtri muneris debitum laborare non deſiſtimus, illud in primis magnum impedimentum afferre quotidiano vſu compertum eſt, quòd in omnibus Conuentibus, ijs præſertim, qui maiori reformatione indigent, ſinguli ad Religionem venientes, paſſim recipiuntur. Vnde fit, vt quò magis Nos varijs Conſtitutionibus malè affectas radices amputare ſtudemus: eò magis in dies deprauata, infructuoſaq. eiuſmodi nouiter profitentium germina ſuccreſcant. Cui quidem malo occurrere volentes, præſenti Decreto ſtatuimus, diſtrictèq. præcipimus omnibus Generalibus, Prouincialibus, Commiſſarijs, Miniſtris, cæteriſq. Superioribus Conuentuum intra Italiæ, & inſularum adiacentium fines exiſtentium quibuſcunque, & quorumcunque Ordinum Mendicantium, vt de cætero neminem ſub quouis prætextu, aut colore ad habitum regularem admittant, niſi in Conuentibus auctoritate Noſtra propediem in vnaquaque Prouincia deſignandis. Inſuper ſancimus, vt quò ad eiuſmodi Conuentus, vt præfertur, per Nos deputati non fuerint; omnes præfatorum Ordinum Superiores à receptione quorumcunque Nouitiorum, ſiue ad habitum, ſiue ad profeſſionem omnino abſtineant. Superior, qui huius Decreti transgreſſor extiterit, ipſo facto pœnam priuationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebit, vociſq. actiuæ & perpetuæ inhabilitatis ad alia impoſterum obtinenda, ſe nouerit incurriſſe, ac alijs etiam pœnis arbitrio noſtro ſubiaceat. Receptiones verò, & profeſſiones quaſlibet eorum, qui contra huiuſmodi Decretum noſtrum admiſſi fuerint, nullas, & irritas eſſe ex nunc decernimus, & declaramus. Priuilegijs, Statutis, & conſuetudinibus quibuſcunque in contrarium minimè obſtantibus. Dat. Romæ die 12. Martij 1596.

Reno-

## Renouatio, & ampliatio eiusdem Decreti.

*De Nouitijs ad habitum regularem non recipiendis, nisi in Monasterijs, & locis designandis.*



SANCTISSIMVS in Christo Pater, & Dominus Noster D. Clemens Diuina prouidentia Papa VIII. cùm iam dudum animaduerteret collapsæ Regularis disciplinæ restitutioni, pro qua potissimùm, iuxta sui muneris debitum, vigilare, ac laborare non desistit, illud in primis magnum impedimentum afferre, quòd in omnibus Monasterijs, & Conuentibus, ijsq. præsertim, qui maiori indigent reformatione, singuli ad Religionem profitendam accedentes, passim, ac sine delectu recipiuntur; ac inde fieri, vt quò magis varijs Constitutionibus male affectas radices euellere studet, eò magis infructuosa nouiter profitentium germina quotidie succrescant: cùmque ob zelum, ac desiderium, quo tenetur Sanctitas sua, omnes Regulares ad vetus suæ cuiusque Religionis institutum redigendi, districtè prohibuerit, ne quis in certis Monachorum, & Mendicantium Ordinibus ad suscipiendum habitum Religionis admitteretur, profitereturuè, quousque Monasteria, & Conuentus aliquot destinarentur, in quibus posset commodius Regularis obseruantia, secundùm reformationem à Sanctitate Sua institutam introduci: Quia tamen, non obstante tali prohibitione, cognouit nonnullos fuisse, vel sub colore facultatis, & licentiæ à Sanctitate Sua obtentæ, vel quia talis prohibitio ad illorum notitiam non peruenerit, receptos, & admissos, præter mentis suæ sensum; Idcircò huic malo prospicere volens, ne licentiarum, ac facultatum huiusmodi subreptione, ac prætextu, Decretum Sanctitatis Suæ irritum reddatur; Nunc denuò districtè præcipit, ac mandat omnibus Generalibus, Prouincialibus, Commissarijs, Ministris, Præsidentibus, Abbatibus, Prioribus, & Guardianis quibuscunque, cæterisq. Superioribus, Conuentuum, Monasteriorum, ac Domorum quocunque nomine appellentur, intra Italiam, & Insularum adiacentium fines existentium, quorumcunque Ordinum Mendicantium, & non Mendicantium (exceptis tamen Carthusianorum, Fratrum Minorum de strictiori obseruantia, necnon Capuccinorum sancti Francisci, Reformatorum sancti Dominici, Discalceatorum Ordinis Carmelitarum, necnon Fratrum Congregationis Foliensis, Cisterciensis Ordinis, ac Eremitarum Eremi Camaldulensis, & Montis Coronæ, Clericorum Regularium Theatinorum, Societatis Iesu, sancti Pauli Decollati, & aliorum de Somascha, Ministrorum infirmorum, respectiuè Ordinibus, Societatibus, seù Congregationibus nuncupatis, quæ etiam antea exceperat, & nunc iterum excipiendo, voluit prohibitionem hanc ad illa nullo modo extendi.) Ne sub cuiusuis licentiæ, & facultatis impetratæ, vel impetrandæ obtentu, nisi per literas

teras

teris in forma Breuis dumtaxat, & non aliàs quemquam ad habitum Regularem suscipiendum, nec etiam Conuersos nisi in Conuentibus, Monasterijs, & Domibus, auctoritate eiusdem S. D. N. propediem in vnaquaque Prouincia designandis, recipere, aut receptos ad professionem admittere vllo modo audeant. Quinimò contra primam prohibitionem Sanctitatis Suæ receptos, etiamsi imperfectum habitum, aut sine caputio gerant, post præsentis Decreti in Romana Curia publicationem, omnino eijcere debeant.

Superiorem autem, qui huius Decreti trasgressor extiterit, ipso facto pœnam priuationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebit, vocis actiuæ, & passiuæ, & perpetuæ inhabilitatis ad alia imposterum obtinenda, eo ipso incurrere voluit, ac decreuit, & alijs etiam pœnis arbitrio Sanctitatis Suæ imponendis subiacere.

Receptiones verò, & professiones quaslibet eorum, qui contra huiusmodi Decretum admissi fuerint, nullas, & irritas esse ad quemcunque effectum, ex nunc decernit, & declarat.

Hoc autem Decretum noluit Sanctitas Sua eos Ordines comprehendere, qui Conuentus, Domos, & Monasteria à se probata pro Nouitiorum receptione, & educatione, hactenus permissione sua constituerint.

Cæteras verò licentias, siue particulares, quæ in hanc diem effectum non sunt sortitæ, reuocat, & annullat.

Vult autem Decretum hoc suum in solitis locis Vrbis publicatum ita prædictorum singulos afficere, ac si cuilibet personaliter fuisset intimatum, Priuilegijs, Statutis, & Constitutionibus quibuscunque in contrarium minimè obstantibus. Dat. Romæ apud S. Marcum, die 20. mensis Iunij 1599.

---

## Decreta pro reformatione Regularium, tàm Monachorũ, quàm Mendicantium cuiuscunque Ordinis, & Instituti.

# CLEMENS PAPA VIII.

3 NVllus omninò prætextu cuiuscunque priuilegij, vel superioritatis, etiam Generalatus, à seruitio Chori censeatur immunis, nisi pro tempore, quo quis in proprij officij munere actu fuerit occupatus. Cum Lectoribus autem, & Prædicatoribus Superiores ijs tantum diebus, quibus eos legere, aut prædicare contigerit, dispensare possint; Idem quoque præstare valeant cum ægrotis, & studiorum causa legitimè impeditis. In eos verò, qui negligentes, aut inobedientes fuerint, salutari pœnitentia Superiores animaduertant ad præscriptum Regulæ, & Constitutionum, alimenti, etiam, si opus fuerit, subtractione.

Lectio Sacræ Scripturæ, vel Casuum conscientiæ bis in hebdomada præscriptis diebus in singulis Monasterijs, & Conuentibus habeatur, ad quam fratres omnes conueniant; eaque absoluta, mutua collatione circa explicatam doctrinam sese vtiliter exerceant.

Quo

Quo Tridentini Concilij Decreta de paupertatis voto custodiendo fidelius obseruentur, Præcipitur, vt nullus ex fratribus, etiam si Superior sit, bona immobilia, vel mobilia, aut pecuniam, prouentus, census, eleemosynas, siue ex concionibus, siue ex lectionibus, aut promissis, tàm in propria Ecclesia, quàm vbicunque celebrandis, alioue ipsorum iusto labore, & causa, & quocunque nomine acquisita, etiam si subsidia consanguineorum, aut piorum largitiones, legata, aut donationes fuerint, tanquam propria, aut etiam nomine Conuentus possidere possit; sed ea omnia statim Superiori tradantur, & Conuentui incorporentur, atque cum cæteris illius bonis, redditibus, pecunijs, ac prouentibus confundantur, quo communis inde victus, & vestitus omnibus suppeditari possit.

4 Neque Superioribus, quicunque illi sint, vllo pacto liceat eisdem fratribus, aut eorum alicui bona stabilia, etiam ad vsum fructum, vel vsum, administrationem, aut commendam, etiam depositi, aut custodiæ nomine concedere.

5 Eorum verò, quæ ad necessitatem concessa erunt, nullus quicquam possideat, vt proprium, neque vt proprio vtatur.

6 Qui in præmissorum aliquo deliquerit, pœnas, nedum à Concilio Tridentino præscriptas: sed alias quoque multò grauiores, Superiorum arbitrio imponendas, incurrat.

7 Nulla quorumcunque Superiorum dispensatio, nulla licentia, quantum ad bona immobilia, vel mobilia fratres excusare possit, quo minus culpæ, & pœnæ ab eiusdem Concilij Decretis impositæ, & ipso facto incurrendæ, obnoxij sint, etiamsi Superiores asseuerent huiusmodi dispensationes, aut licentias concedere posse, quibus in ea re fidem minimè adhiberi volumus.

8 Fratrum vestitus, & supellex cellarum ex communi pecunia comparetur, & omnino vniformis sit fratrum, & quorumcunque Superiorum, statuique paupertatis, quam professi sunt, conueniat: ita vt nihil superflui admittatur; nihil etiam quod sit necessarium, alicui denegetur.

9 Quæcunque fratrum vestes, siue laneæ, siue lineæ, omnisq. alia supellex in aliquem commodum Conuentus locum deferantur, ibiq. ab vno, vel duobus fratribus huic muneri deputatis diligenter custodiantur, vt inde Superioris arbitrio, prout vnicuique opus fuerit, subministrari opportunè possint.

10 Omnes etiam Superiores, quicunque illi sint, eodem pane, eodem vino, eodemq. obsonio, siue eadem (vt aiunt) pitantia, in communi mensa prima, vel secunda, nisi infirmitatis causa impediti fuerint, vescantur, neque singulare aliquid, quo priuatim quisque in cibum vtatur, vllo modo afferri possit: si quis in ea re peccauerit, nihil ea die alimenti percipiat, nisi panem & aquam.

11 Superiores omnes, etiam Generalis, qui redditus, aut præstationes peculiares ratione officiorum habent, eorum accepta, & expensa in libro distincto fideliter, & diligenter adnotari curent, neque in alios vsus, quàm ratione

tione

tione officij sui necessarios, quicquam expendant. Cum verò contigerit ipsos in aliquo Conuentu commorari, eam pecuniæ quantitatem in commune conferant, ex qua sibi, & ijs, qui secum erunt, victus ad præscriptum Regulæ, & Constitutionum suppeditetur.

12 Nullus ex Superioribus locorum, administrationem bonorum, aut aliarum rerum, dispensationemq. pecuniarum, & reddituum sui Conuentus, etiam nomine Conuentus, per se ipsum habere, siue exercere possit; sed vniuersum id onus tribus fratribus eiusdem Conuentus à Generali ita demandetur, vt vnus rerum, & bonorum, reddituumq. colligendorum, ac exigendorum curam habeat: alter tanquam depositarius, pecunias, ac cætera ab illo collecta, & exacta fideliter asseruet: alius de pecunijs, & rebus à Depositario acceptis Priori, & Fratribus, ac Conuentui vniuerso de necessarijs, mandante tamen ipso Priore, non secundum proprium affectum, sed iuxta charitatis regulam, veluti bonus dispensator prouideat, officiorum huiusmodi confusione penitus interdicta.

13 Cæterum hi tres tam impensi, quàm accepti singulis mensibus Superiori locali, adhibitis etiam duobus, vel tribus fratribus eiusdem Conuentus probatioribus, rerumq. vsu peritis, rationem reddant: Deinde ipsimet rursus, præsentibus Priore, & peritis prædictis, Generali, cùm aduenerint: denique ipse Generalis, in quolibet proximo Capitulo Generali saltem coram tribus iudicibus, ab ipso Capitulo ad hoc constitutis, illorum omnium, vniuersamq. suæ administrationis tam publicæ, quàm priuatæ rationem reddere teneatur; cuius etiam exemplum authenticum ex actis Capituli describatur, ad hoc, vt ad omne mandatum nostrum, vel Sedis Apostolicæ Romam transmitti possit.

14 In vnoquoque Conuentu, fratrum is tantum deinceps constituatur, & imposterum retineatur numerus, qui ex redditibus illius proprijs, vel ex communibus consuetis, vel etiam singulorum eleemosynis, alijsuè quibuscunque obuentionibus in commune (vt præfertur) conferendis, commodè possit sustentari: redditus verò, & supradicta omnia in communi loco, ac tuto diligenter asseruentur.

15 Superioribus autem, ne Concilij Tridentini, aut hæc nostra Decreta declarare, interpretari, aut relaxare vllo modo possint, omninò interdicimus, & prohibemus, decernentes irritum, &c. Si quis autem contra præsumpserit attentare, is eo ipso omni gradu, officioq. priuatus, & ad ea perpetuò inhabilis existat.

16 Nullus nisi actu legat, vel prædicet, aliquo sui gradus priuilegio gaudeat.

17 Si alicui ex necessaria causa, Generalis iudicio probanda, socius ex eodem ordine, qui illi ministret, concedendus erit, is nisi vigesimumquintum agat annum, & qui communi seruitio sit deputatus, non concedatur, & si commodè fieri potest, sit laicus conuersus.

18 Vt omnis scandalorum, & vagationis occasio tollatur, Conuentus clausura perpetuò, ac diligenter seruetur, ac propterea à Superiore ianitor

consti-

constituatur, qui diligentia, ac morum integritate maximè commendetur: is ianuæ custodiendæ semper assistat, eamq. nemini fratrum aperiat, nisi socium, & exeundi licentiam obtinuerit.

19 Nullus à Conuentu egredi audeat, nisi ex causa, & cum socio, licentiaq. singulis vicibus impetrata, ac benedictione accepta à Superiore, qui non aliter eam concedat, nisi causa probata; sociumq. exituro adiungat, non petentis rogatu, sed arbitrio suo, neque eundem sæpius. Licentiæ verò generales exeundi, nulli omninò concedantur.

20 Contrauenientes autem pœna graui, etiam carceris, ad Superioris arbitrium plectantur; eandem etiam Ianitor subeat, si sciens exeundi facultatem fecerit.

21 Cum autem quis in Conuentum reuertitur, Superiorem iterum adibit, benedictionem recepturus, qui à socio itineris rationem, & quid rei actum sit, diligenter perquirat.

22 Nullos fratres Romam venire Superiores permittant, nisi prius à Generali, vel Protectore dumtaxat licentiam in scriptis impetrauerint.

23 Si quis autem sine huiusmodi facultate Romam venire præsumpserit, voce actiua, & passiua biennio priuatus existat, subiturus etiam alias arbitratu Superiorum infligendas pœnas. Quæ item omnia aduersus eos, qui supradictos admiserint, & receperint, sine vlla exceptione locum habeant.

24 Habeat Superior clauem ita fabrefactam, vt cùm sibi videbitur cellas omnes reserare possit; & propterea nullus cellam, etiam noctu ita claudat, quin semper à Superiore possit aperiri.

25 In medio Dormitorij totam noctem lampas colluceat.

26 Nullus etiam Superior cellas siue in claustro, siue alibi separatas à communi dormitorio habeat, sed vnusquisque vnica cella, eadem cum cæteris aliorum fratrum coniuncta, nudis omnino parietibus, ac lecto, & mensa humilibus, vniformique suppellectili (vt præfertur) quemadmodum Religiosos decet, contentus sit: possit tamen Generalis alicui ex Superioribus Conuentuum, si eorum muneris, & officij necessitatem id exigere cognouerit, alteram etiam cellam concedere.

27 Cellæ siue ædiculæ, quæ extra dormitorium separatim sunt, ad officinas, aut aliàs ad communem vsum, & commoditatem Conuentus redigantur.

28 Sigillatim suo quisque lecto cubet, neque vllibi duo eodem lecto dormire possint, qui omnes ad certam formam redigendi erunt.

29 In priuatis cellis nulli camini permittantur: sed omnes obstruantur statim, cardinibus etiam è parietibus conuulsis, vt res illa non ad tempus facta, sed perpetuo duratura videatur, cellis tamen Generalis, aut alterius Superioris, ac Prædicatoris exceptis.

30 Conuentus fenestræ omnes, quæ in vias publicas, aut in vicinas laicorum ædes prospiciunt, muro ita obstruantur, vt omnino is prospectus impediatur.

31 Valetudinarium in singulis Conuentibus certo, ac salubriori loco constitua-

stituatur, quod pro loci situ, ac fratrum numero, quoad fieri poterit, commodissimum esse possit; in quo fratres omnes, cum ægrotabunt, curentur, nec inde nisi recuperata sanitate, abire permittantur. Qui verò infirmorum curæ præpositi sunt, omni sedulitate, ac charitate operam suam præstabunt, ac curabunt, ne quid ægrotis omnino desit, quod ad sanitatem recuperandam pertineat.

32 Ineatur ratio, qua, sublatis licentijs, ac facultatibus hactenus quibuscunque concessis, degentes extra Conuentus claustra, ad ea quamprimum reuocentur; nec de cætero, nisi ex grauissima causa à Sede Apostolica probanda, huiusmodi facultates concedi possint.

33 Nulli imposterum ad habitum, aut professionem admittantur, nisi in Conuentibus per Sedem Apostolicam in qualibet Prouincia deputandis.

34 Curent Superiores, vt constitutio interdicens largitiones munerum, & præscribens hospitalitatis formam, ab omnibus in quolibet Conuentu inuiolabiliter obseruetur.

35 Vt omnis officiorum ambitus occasio præcludatur, caueant omnes à directa, vel indirecta vocum, seu suffragiorum procuratione, tam pro se ipsis, quàm pro alijs, tum in Capitulis locorum, tum in cæteris præsertim Generalibus Capitulis, aut Congregationibus, seu alibi, Quicunque secus fecerint, præter alias pœnas, & censuras hactenus contra huiusmodi ambientes inflictas, quas in suo robore permanere volumus, in pœnam priuationis officiorum, quæ obtinent, eo ipso incidant, & ad futura quæcunque pariter inhabiles habeantur, super quo cum eis dispensari à nemine possit, nisi à nobis, vel successoribus nostris, & pro qualitate culparum grauius etiam plectantur. Porrò supradictas omnes pœnas ad complices, ac simpliciter scientes, & non reuelantes extendimus.

36 In Superiorum, & Officialium omnium electionibus forma præscripta a sacro Concil. Trident. & Ordinis Constitutionibus inuiolabiliter seruetur; iurentq. Electores secundum veritatem cuiusque conscientiæ probiores, ac magis idoneos se electuros: ac propterea priusquam ad electionem deueniatur, in primis & ante omnia prælegantur Constitutiones de qualitate, & requisitis eligendorum. Ad officia, gradus, & Prælaturas illi præcipuè eligantur, qui possint, & consueuerint Regulas Ordinis, & Constitutiones obseruare, præsertim quæ pertinent ad seruitium Chori, ac vestitum, & victum communem.

37 Eligantur in Capitulo Generali, vel Prouinciali aliquot graues, & periti ex fratribus cuiuslibet Prouinciæ, saltem tres, qui admittendos ad prædicationem verbi Dei, vel ad audiendas confessiones etiam iporum fratrum, ac Lectores publicos diligenter simul examinent, priusquam probentur, & ad huiusmodi ministeria admittantur. Horum etiam curæ sit examinare, & probare, tam quoad doctrinam, quàm quoad mores, promouendos ad quoscunque Ordines; in quo seruetur decretum Congregationis interpretum sacri Concilij Tridentini, hac de causa nuper editum, & promulgatum.

38 Illud porrò Superiores omnes in Domino admonemus, vt memores

sint

ſint rationis, quam in nouiſſimo die reddituri ſunt pro grege ſibi commiſſo: ac propterea omni ſtudio inuigilent, vt quæ in eorundem Ordinum Regulis, & Conſtitutionibus de oratione mentali, ſilentio, ieiunijs, Capitulo culparum, alijsq. ſpiritualibus exercitijs prudenter, ac piè ſancita ſunt, ea omnia, & ſingula ad vnguem obſeruentur; intelligantq. ſuper his veluti fundamentis omnium Religionum ædificia conſtruenda, & amplianda eſſe: quæ vt faciliorem exitum ſortiantur, & fructus vberiores in animis fratrum producant, valdè opportunum erit, ſi in quolibet Conuentu, ſingulis hebdomadis habeatur ſermo de religioſa diſciplina, regulariq. obſeruantia.

39 Quo verò omnia ordinatè peragantur, appendatur tabella in loco conſpicuo vniuſcuiuſque Conuentus, in qua diſtinctè adnotetur quid ſingulis horis cuiuſque diei quilibet frater præſtare debeat, vt certo quoque ſigno præmonitus, maiore animi præparatione ſuo muneri ſatisfacere poſſit. Quæ Ordinis Conſtitutiones, his Decretis non aduerſantur, inuiolatè cuſtodiendæ erunt.

40 Quibus horum Decretorum capitibus certa pœna præſcripta non eſt, arbitrio Generalis, vel alterius immediati Superioris infligatur. Vt autem hæc Decreta (donec alia, quæ pleniorem reformationem facient, edantur) ab omnibus obſeruari poſſint, diſtrictè præcipimus Generalibus, ac omnibus alijs quibuſcunque Superioribus, ad quos hoc ſpectat, vt curent, ac efficiant, ea omnia inter alias eorundem Ordinum Conſtitutiones perpetuò valituras redigi, interdicta omnino eorum ſingulis facultate illas declarandi, & aduerſus eas vnquam diſpenſandi. Alioquin ſciant ſe in pœnam Generalatus, & officiorum priuationis, ac inhabilitatis perpetuæ ad alia quoque munera ipſo facto, & ſine vlla exceptione reſpectiuè incidiſſe.


41 Ne verò prætextu dilatæ publicationis eorum obſeruatio, quoquomodo differri poſſit, aut impediri, volumus, vt poſt illorum publicationem in Conuentu, vel Monaſterio cuiuſlibet Ordinis de Vrbe factam, Generalem, aliosq. Ordinum Superiores, cæterosq. quoſcunque fratres præſentes, ſtatim: reliquos verò abſentes citra montes, vnius menſis, vltra montes, trium menſium ſpatio ita arctent, ac ſi eorum ſingulis perſonaliter intimata fuiſſent.

42 Inſuper mandamus, quòd Generales in ſingulis Conuentibus citra montes, vnius menſis, vltra verò montes, trium menſium curſu Decreta ſupradicta publicari faciant, ſub pœna priuationis Generalatus, alijsq. arbitrio noſtro imponendis. Datum Romæ apud ſanctum Petrum die 25. menſis Iunij 1599.

DEcretum illud, quo Fratres Romam petere cum Generalis, & Protectoris licentia duntaxat permiſſum eſt, Sanctitas Sua extendi ad Prouincialem decreuit, ita vt Prouincialis ipſe ex cauſa communi totius Prouinciæ duntaxat facultatem huiuſmodi facere valeat: declarauitq. pœnam priuationis vocis actiuæ, & paſſiuæ contrafacientibus inflictam Sanctitati Suæ reſeruatam eſſe, interdicta omnino eorum Superioribus ſingulis, etiam Generali,

rali, ac Protectori facultate illam moderandi, ac relaxandi. Datum Romæ die 29. Martij 1601.

## Decretum fel.rec. CLEMENTIS Papæ VIII. super casuum reseruatione ab omnibus Regularium Superioribus obseruandum.



ANCTISSIMVS Dominus noster, qui iam pridem accuratè perpendit, ac re ipsa comperit, quòd reseruatio facultatis absoluendi Religiosos pœnitentes a peccatis quibusdam grauioribus, nisi Superiores admodum prudenter, ac moderatè illa vtantur, nonnullos infirmiores, qui interdum Superiori suo conscientiæ maculas detegere formidant, adducere posset in æternæ damnationis periculum, & spiritualis remedij desperationem: Ideo, vt huic malo Sanctitas Sua opportunè prospiceret, decreuit, vt nemo ex Regularium Superioribus peccatorum absolutiones sibi reseruet, exceptis ijs, quæ sequuntur, aut omnibus, aut eorum aliquot, prout subditorum vtilitati expedire prudenter in Domino iudicauerint.

Veneficia, Incantationes, Sortilegia.

Apostasia a Religione, siue habitu dimisso, siue retento, quando eò peruenerit, vt extra septa Monasterij, seu Conuentus fiat egressio. Nocturna ac furtiua è Monasterio, seu Conuentu egressio, etiam non animo apostatandi facta.

Proprietas contra votum paupertatis, quæ sit peccatum mortale. Iuramentum falsum in iudicio regulari, seu legitimo.

Procuratio, auxilium, seu consilium ad abortum faciendum post animatum fœtum, etiam effectu non sequuto.

Falsificatio manus, aut sigilli Officialium Monasterij, aut Conuentus. Furtum de rebus Monasterij, seu Conuentus in ea quantitate, quæ sit peccatum mortale.

Lapsus carnis voluntarius opere consummatus.

Occisio, aut vulneratio, seu grauis percussio cuiusque personæ.

Malitiosum impedimentum, aut retardatio, aut aperitio literarum a Superioribus ad inferiores, & ab inferioribus ad Superiores.

Si quod aliud præterea peccatum graue pro Religionis conseruatione, aut pro conscientiæ puritate reseruandum videbitur, id non aliter fiat, quàm Generalis Capituli in toto Ordine, aut Prouincialis in Prouincia, matura discussione, & consensu.

Non liceat Superioribus Regularium confessiones subditorum audire, nisi quando peccatum aliquod reseruatum admiserint, aut ipsimet subditi sponte, ac proprio motu id ab ijs petierint.

Superiores in singulis domibus deputent duos, tres, aut plures Confessarios, pro subditorum numero maiori vel minori; ijq. sint docti, prudentes, ac charitate præditi, qui a non reseruatis eos absoluant, & quibus etiam reseruatorum absolutio committatur, quando casus occurrerit, in quo eam debere committi ipse in primis Confessarius iudicauerit.

Tam Superiores pro tempore existentes, quàm Confessarij, qui ad Superioritatis gradum fuerint promoti, caueant diligentissimè, ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in confessione habuerunt, ad exteriorem gubernationem vtantur.


Licebit tamen Superioribus determinare pœnitentias graues quibusdam peccatis, etiam non reseruatis, a Confessarijs imponendas, quæ subditos ab huiusmodi perpetrandis cohibere possint.

Atque ita per quoscunque Regularium Superiores, quicunque illi sint, obseruari mandauit. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac cuiusuis Concilij, etiam generalis, Decretis; necnon consuetudinibus, etiam ab immemorabili tempore obseruatis, aut Regulis in generalibus, seu prouincialibus Capitulis editis, statutis, & Constitutionibus etiam Apostolica auctoritate confirmatis, Priuilegijs, indultis, & concessionibus quorumcunque, quorum tenores hic pro expressis haberi voluit, cæterisq. in contrarium facientibus quibuscunque. Datum Romæ apud S. Petrum die 26. mensis Maij, anno Domini 1593.

SAnctitas Sua deinceps declarauit & declarat, vt si huiusmodi Regularium Confessarijs casus alicuius reseruati facultatem petentibus Superior dare noluerit, possint nihilominus Confessarij illa vice pœnitentes Regulares, etiam non obtenta a Superiore facultate, absoluere.

---

## Formula concedendi facultatem pro Nouitijs ad regularem habitum recipiendis in Monasterijs, & locis designatis.



SANCTISSIMVS in Christo Pater, & D. N. D. Clemens Diuina prouidentia Papa VIII. cum regularem disciplinam restituere, atque in pristinum statum reuocare maximè cuperet, regularesq. omnes, vitam, moresq. suos ad rationem eius instituti, quod quisq. professus esset, ita componere, vt quæ ad votorum vim, habitum, victumq. communem pertinent, ea potissimum singuli religiosissimè obseruarent, generali Decreto, quod de mense Iunij editum, tertia Iulij anni 1599. promulgatum fuit, Ordinum Religiosorum Superioribus, (nonnullis exceptis) prohibuit, ne aut Nouitios reciperent, aut quemquam ad professionem ante admitterent, quàm a Sanctitate Sua Monasteria ali-


aliquot ad eam rem præſcripta eſſent, in quibus obſeruantia regularis vigeret. Nunc verò eadem Sanctitas Sua a locorum etiam Ordinarijs, quibus id muneris demandauerat, certior facta, in infraſcriptis Monaſterijs, & Conuentibus Ordinis N. præfinitum eſſe numerum duntaxat eorum, qui vel ipſius Monaſterij cenſibus, vel conſuetis eleemoſynis ſuſtentari ibi commodè poſſunt; atque in ijs omnia fideliter obſeruari, quæ ſunt cum illorum profeſſionis perfectione coniuncta, nempè caſtitatis, & paupertatis, & obedientiæ vota, vna cum cæteris Decretis particularibus, vel inſtituti ipſius, vel Pontificijs, etiam ad victum, veſtitumq. communem ſpectantibus (ipſo Decreto, vt ſupra, edito, & promulgato, nequaquam obſtante) poteſtatem facit Superiori eiuſdem Ordinis Nouitiatus in infraſcriptis Monaſterijs, & Conuentibus erigendi, Nouitios recipiendi, educandi, atque ad profeſſionem admittendi, modò tamen id ad præſcriptum inſtructionis iuſſu Suæ Sanctitatis editum, neque aliò modo fiat. Quoniam verò ea eſt Suæ Sanctitatis mens, & voluntas, vt in Monaſterijs, & Conuentibus, ad alendos Nouitios præfinitis, regularis obſeruantia perpetuò retineatur; mandat, & præcipit, vt in ipſis præſcriptus iam perſonarum numerus in poſterum ſeruetur, nullusq. omnino Superior cuiuſuis conditionis, perſonarum,& Nouitiorum numerum augere præſumat, ea pœna propoſita, vt in omnibus priuatus officijs, vocis actiuæ, & paſſiuæ ius omne amittat. Vult denique Sanctitas Sua huiuſmodi facultatem per Congregationem Reformationis Apoſtolicæ hoc Decreto Secretarij manu ſubſcripto concedi, non obſtante Decreto, vt ſupra promulgato. Datum Romæ die, &c.

Præſcribitur verò numerus Sacerdotum ..., Clericorum ..., Nouitiorum ..., Conuerſorum autem ...

*N. Viſitationis, & Reformationis Apoſtolicæ Secr.*

---

## Decretum ſuper forma recipiendi Nouitios Regularium ad habitum, & profeſſionem.



Anctiſſimus in Chriſto Pater, & D. N. D. Clemens Diuina prouidentia Papa VIII. qui aliàs pro Regularis diſciplinæ reſtitutione, ſingulis regularium Ordinibus (quibuſdam exceptis) prohibuit, ne ad Regularem habitum Nouitios in poſterum reciperent, receptosvè ad profeſſionem admitterent, quouſque in aliquibus cuiuſuis Ordinis Monaſterijs, ſeu Conuentibus (in quibus Nouitiatus pro recipiendis, & educandis Nouitijs deſignarentur, & approbarentur) ad eius, quam profeſſi ſunt, Regulæ præſcriptum, vitam, moreſque reſtituerent, & componerent; certior deinde factus quoſdam omnium ferè Ordinum Conuentus, ſeu Monaſteria ad priſtinam illam regularem viuendi for-

mam, & disciplinam, quam diutius desiderauerat, fuisse redacta: in eisdem Monasterijs, & Conuentibus; vt Nouitiatus erigi, Nouitijque recipi possent, (sub certis tamen legibus, ac ea præsertim, vt licentia à Congregatione Reformationis Apostolicæ prius obtenta esset, ) concessit, & ad illa designauit, & approbauit. Nunc volens, vt ea, quæ pro Nouitiorum receptione, & institutione, de mandato Sanctitatis Suæ præscripta fuerunt, in posterum accuratiùs, & exactiùs obseruentur, vltra formam traditam in Constitutionibus fel. rec. Sixti Papæ V. & etiam Sanctitatis Suæ super receptione Nouitiorum, decreuit, ac præsentis Decreti virtute mandauit, ne in Conuentibus, seu Monasterijs ad Nouitios recipiendos, de Sanctitatis Suæ, seu dictæ Congregationis Reformationis licentia hactenus designatis, & approbatis, seu in posterum designandis, & approbandis, Nouitij ad habitum recipi vllatenus possint, vel admitti, nisi prius ab ipsa Congregatione, vel à proprijs locorum Ordinarijs, aut ab illis, in quorum diœcesi Nouitiatus existunt, in quibus Nouitij recipiendi fuerint, expresè, & nominatim Nouitij ipsi recipiendi approbati fuerint, & vt recipi, & admitti possint, licentiam in scriptis (gratis tamen in omnibus, etiam quoad scripturam concedendam) obtinuerint. Monet autem Sanctitas Sua eosdem Ordinarios omnem curam, & diligentiam adhibere, vt circa ætatem, conditionem, educationem, scientiam, vitam, & mores, cæterasque qualitates in ipsis Nouitijs requisitas, obseruentur Institutiones pro illis recipiendis ab eadem Congregatione Reformationis factæ, & publicatæ, neque aliter, nec alio modo aliquem ad habitum recipi permittant: Ordinariorum ipsorum conscientiam onerando, si quempiam approbauerint, vel admitti permiserint, qui non sit idoneus, & iuxta constitutiones, & institutiones prædictas, approbandus, & admittendus: Firmis nihilominus remanentibus pœnis omnibus contra Superiores quorumcunque Ordinum, qui, in admittendis ad habitum, & professionem, Nouitijs, formam constitutionum, & institutionum prædictarum non seruauerint, aut Nouitium aliquem, quantumuis idoneum, & approbatum, in quouis alio Conuentu & loco, seu Monasterio, præterquam in hactenus à Sua Sanctitate, vel à dicta Congregatione designatis, & approbatis, seu imposterum designandis, & approbandis, vel vltra numerum in eorum singulis præscriptum, seu præscribendum receperint, vel admiserint, seu aliàs præmissis quouis modo contrafecerint. Irritum ex nunc, & inane decernens quicquid secus, vel aliàs, quauis auctoritate à quouis gestum, vel attentatum fuerit. Non obstantibus quibuscunque, &c. Datum Romæ apud S. Petrum, die 19. Maij 1602. Pontificatus eiusdem S. D. N. Anno vndecimo.

*Institutiones super receptione, & educatione Nouitiorum Religiosorum Monasterijs, & Conuentibus designatis, vel designandis, CLEMENTIS eiusdem iussu editæ.*

CVm ad regularem disciplinam in singulis Religiosorum Monasterijs propagandam, Nouitiorum institutio maximè vtilis sit, ac necessaria, & nihil

ad gra-

ad grauem illam, ac laudatiſſimam priſcorum Patrum viuendi rationem relaxandam maiorem vim habuiſſe compertum ſit, quàm, vel nimiam in recipiendis Nouitijs facilitatem ſupra numerum, quem capere, atque alere Monaſteria ipſa poſſent, vel negligentiam in probando, & examinando eorum ſpiritu, an verè eſſet ex Deo, atque ex præcipuo deſiderio illi inſeruiendi, vel denique incuriam in eis educandis, atque inſtituendis. Idcircò, vt huiuſmodi incommodo deinceps occurratur, præcipitur omnibus, & ſingulis ad quos ſpectat, vt in recipiendis Nouitijs, & in eorum inſtitutione, atque educatione, necnon in magiſtri, & aliorum miniſtrorum electione, præter alia, quæ in ſacris Canonibus, ac Decretis præſertim Concilij Tridentini, Pontificijs, & cuiuſcunque Ordinis, aut Inſtituti conſtitutionibus continetur, tam in alijs deſignatis, quàm nunc, & impoſterum ad hoc deſignandis Monaſterijs, & Conuentibus, hæc quæ ſequuntur, inuiolatè obſeruari, & exequi perpetuò curent.

Primum, quòd attinet ad Nouitiorum recipiendorum formam, vltra diligentem perquiſitionem, quæ habenda erit de vniuſcuiuſque natalibus, corporis habitudine, moribus, & vita ante acta, ac præcipuè eorum, qui ſextumdecimum ætatis ſuæ annum excedent, an criminoſi, an ære alieno grauati, vel reddendæ alicuius adminiſtrationis rationi obnoxij ſint, iuxta formam conſtitutionis fel. rec. Sixti V. & moderationum ſubſecutarum: illud etiam Superiores, ad quos ſpectabit, ſedulo perquirant, vt, quibus in Monaſterijs, & Conuentibus, ex Apoſtolica facultate Nouitiatus fuerint inſtituti, in ijs ad Religionem nullus in poſterum admittatur, qui, & ex honeſtis parentibus natus non ſit, & conditiones ſacris Canonibus, Summorumque Pontificum conſtitutionibus præſcriptas non habeat, iuxta Decretum ſuper forma recipiendi Nouitios die 19. Maij 1602. editum.

Quiſque recipiendus in aliquo Ordine Regulari, etiam Mendicantium, in ea ſit ætate conſtitutus, quam eius Ordinis, in quo recipietur, regularia inſtituta, & ordinationes requirunt; eam vero literarum ſcientiam calleat, aut illius addiſcendæ ſpem indubiam præſeferat, vt minores, & ſui tēporibus, maiores Ordines, iuxta Decreta Sacri Concilij Tridentini ſuſcipere valeat. Sed ſi quis annum vigeſimumquintum excedens ad habitum regularem admitti poſtulauerit, & talis eruditionis expers inuentus fuerit, in Conuerſorum tantum, quibus literarum ſcientia non eſt neceſſaria, numerum referatur: ipſi autem Conuerſi non recipiantur ante vigeſimum ætatis ſuæ annum: & niſi ſaltem præcipua Doctrinæ Chriſtianæ capita nouerint.

Demum Superiores diligenter exquirant, quo ſpiritu, qua mente, ac voluntate id regularis vitæ genus elegerint, quem ſibi finem propoſuerint, num zelo melioris frugis, ac perfectioris vitæ, & vt Deo liberius famulari poſſint, an potius leuitate, vel humano aliquo affectu, aut inordinato animi motu ducantur, & an eorū parentes ope, & ſubſidio ipſorum indigentes deſtituantur.

Prouideant quoque, vt omnes, etiam Conuerſi recipiendi, priuſquam ad habitum regularem admittantur, ab ijs quibus munus hoc incumbit, de regula, quam profeſſuri ſunt, tribus votis eſſentialibus, ſtatuque regulari, &

alijs cuiusque Ordinis peculiaribus institutis, & constitutionibus diligenter instruantur. Et quia quarundam Religionum moris est, nedum Conuersos ad professionem admittendos, verum & oblatos, vt vocant, recipere, circa ipsorum Oblatorum receptionem vnaquæque religio suas peculiares Constitutiones, specialiaque instituta obseruare teneatur.

Statim atque Nouitij ad habitum recepti, & in locum Nouitiatus introducti fuerint, per generalem omnium peccatorum confessionem totius anteactæ vitæ conscientiam discutiant, & expurgent.

Quòd verò ad loci qualitatem vniuscuiusq. Nouitiatus spectat, locus huiusmodi propria clausura ab ea parte Conuentus, & Monasterij, in qua degunt professi, segregatus sit, atque distinctus, habeatq. tot ad dormiendum cellulas separatas, quot erunt numero Nouitij, vel dormitorium ita capax, vt pro singulis singuli lectuli commodè sterni possint, in quo etiam cellula, vel certus, ac determinatus locus pro Magistro, eiusque socio reperiatur.

In eo etiam, præter alias communes commoditates, aptus locus adsit ad spirituales collationes, seu conferentias faciendas, ac lectiones, instructionesq. Magistri audiendas, & in quem hyemis tempore ad calefaciendum se igne communi recipiant.

Oratorium insuper, seu Cappella, si commodè fieri poterit, ad Nouitios in spiritualibus, præsertim in ceremonijs, Ecclesiasticisq. functionibus exercendos.

Hortus quoque peculiaris ad honestam recreationem benè conclusus, atque munitus adsit; sin minus, hortum cæteris Fratribus communem recreationis tempore ingrediantur. Ipsis verò Nouitijs ibi commorantibus, curabit Magister cum loci Superioris auctoritate (si opus fuerit) ne in eundem quisquam alius ingrediatur.

Ad huiusmodi locum Nouitiatus nemini eiusdem, vel alterius Ordinis regulari, etiam Conuentus, & Monasterij Officiali, vllo vnquam tempore sub quouis prætextu aditus pateat, præterquam Magistro, eiusq. socio, ac etiam Monasterij, aut Conuentus Superiori, si quandocunque ingrediendum sibi necessariò existimauerit, quo tamen casu aliquem semper ex senioribus Conuentus, vel Monasterij Patribus socium assumat.

Huius loci clausuræ clauis apud Magistrum semper asseruetur, illiq. soli liceat ex graui tantum causa ingressum illuc alicui permittere: si quis autem Nouitiorum quempiam alloqui voluerit, Magistro præsente, & non aliter alloquatur.

Nouitiorum Magistro socius, si per Nouitiorum instruendorum multitudinem necessarius fuerit, vita, & moribus (quoad fieri poterit) consimilis deputetur, qui in his, quæ ad Nouitiatus regimen spectant, dicto Magistro immediatè subiectus existat; eliganturque tam Magister, quàm socius per Prouinciale Capitulum, per triennium ad minus onus huiusmodi subituri. Quòd, si aliquo casu extra tempus capitulare noua loca Nouitiatus concedi contingat, tunc electionẽ Magistri Nouitiorum, & socij huiusmodi in his nouis locis per Generalem, vel Prouincialem, seu Ministrum, aut eorum Visitatores, seu Vicarios, de Diffinitorum tamen, vel grauiorum aliorum Patrum consensu fieri permittatur: idemque seruetur, si intra triennium, alterum, vel vtrumque vr-

genti

genti aliqua de causa ex illis locis amoueri, vel mori contigerit, in cuius, vel quorum locum alij consimiles subrogari debeant.

Tam Nouitiorum Magister, quàm socius ab ijs omnibus officijs, oneribusq. vacationem habeant, quæ Nouitiorum curam & regimen impedire valeant. Ipse Magister sacerdotali ordine sit initiatus, ac in quinto saltem supra trigesimum ætatis suæ anno constitutus, & per decennium à professione emissa in religione perstiterit: Socius verò trigesimum annum excedat, sintq. ambo doctrina, & quantum per Superiorum diligentiam, & vires fieri poterit, vitæ etiã anteactæ exemplo præstantes, orationis præterea, & mortificationis operibus addicti, prudentia, charitateq. referti, non sine affabilitate graues, zelum Dei cum mansuetudine præseferentes: ab omni cordis, ac animi perturbatione, iræ præsertim, & indignationis, quæ in se, & erga alios charitatem impedire consueuerunt, quam longissimè alieni, & tales demum, qui in omnibus seipsos bonorum operum exemplum præbeant, vt ij, qui eorum curæ subsunt, illos non tàm metuant, quàm reuereantur, nec illis vnquam detrahere quicquam possint.

Habere etiam Magister plenam, & absolutam potestatem circa Nouitiorum institutionem, ac Nouitiatus regimen, ita vt in illis nemini (Visitatoribus, ac Superioribus maioribus, vel etiam localibus exceptis) quouis colore se ingerere liceat.

Curam adhibeat diligentem, vt Nouitij omnes in regulari disciplina sedulo exerceantur; agnoscantque præcipuè diuinæ, qua digni facti sunt, vocationis præstantiam, & excellentiam; quæ vera sit atque perfecta votorum solemnium, & quàm necessaria cuiusque Ordinis Constitutionum obseruantia; modum in oratione, tum vocali, tum mentali fructuosè persistendi; illicitas passiones, & vitia (ad quæ natura per peccatum labefactata omni tempore prona est, atque procliuis) per sensuum custodiam, & mortificationem cohibendi; austeritatem, ieiunia, cilicia, disciplinas, conscientiæ puritatem, crebram illius discussionem; Sacramentorum frequentiam, confessionis præsertim, quæ bis saltem singulis mensibus fiat, per aperitionem quotidianam motuum internorum, cordis, & tentationum manifestationem, per exercitium humilitatis circa viliora ministeria, per modestiam in omnibus actionibus, diuturnumque silentium.

Quilibet Nouitius bis quotidie orationi mentali, & vocali incumbat vnusquisque secundum propriam capacitatem, & ordinem sibi à Magistro præscriptum, ac pluries in die propriam conscientiam vnusquisque examinare contendat. Ipsi autem Magistro soli Nouitiorum confessiones audiendi cura committatur. Liceat tamen Superiori, etiam locali, si ita expedire iudicauerit, vel per seipsum, vel per alium ab eo deputandum, semel, aut bis in anno eorundem Nouitiorum confessiones audire.

Quotidie Missæ sacrificio intersint, & statutis horis in Choro, nocturnis, diurnisque diuinis Officijs assistant.

Exercitationibus etiam corporalibus vacent, legant, vel scribant res spirituales, modestam animi recreationem interponant, quæ in solitario loco, &

commodo extra Nouitiatum ſemel in hebdomada,vel in alternis ſaltem hebdomadibus longior ſtatuatur, fiatque ſemper Magiſtro præſente, vel ſocio, qui multum inuigilent,ne duo ab alijs commorentur diſiuncti,atque eo tempore, cuiuſque, in quam natura feratur, propenſionem ſcrutentur.

Non liceat eis, durante Nouitiatus, & probationis tempore, vna cum Profeſſis, niſi in Choro, in Eccleſia tempore officiorum, in proceſſionibus,aut in cœnaculo cauſa refectionis commorari, nec permittatur eis Profeſſos domo exeuntes comitari.

Pro communibus, & proprijs cuiuſque neceſſitatibus, quæ accidere poſſunt, vnus ex Nouitijs ipſis, ætate, moribuſque prouectior deputetur, qui abſente ſocio, Magiſtro permittente, omnia, prout opus fuerit, agat, cui etiam ianuæ cuſtodia, & rerum leuioris momenti prouiſio intra Nouitiatum committi poterit.

Cùm autem, licèt Clericorum bene inſtituendorum cura debeat eſſe præcipua, Conuerſorum tamen religioſa inſtructio non ſit prætermittenda,quin potius æquanimiter amplexanda, quandoquidem ſatis exploratum eſt, iſtorum etiam, cum regulam profiteantur eandem, perfectam educationem, tum religioni decorem, & ornamentum, tum alijs Chriſtifidelibus ædificationem, exemplum, atque vtilitatem afferre. Conuerſis ipſis a Clericorum Nouitiatu ſeparatus ad dormiendum locus (quantum commodè fieri poterit)aſſignari præcipitur. Illi tamen hac ſeparatione non obſtante Magiſtro Nouitiorum, ſeu Superioribus Monaſteriorum, & Conuentuum iuxta cuiuſque Ordinis Statuta, & Conſtitutiones ſubditi eſſe, & obedientiam præſtare debebunt, à quo non tantum circa corporalia obſequia probandi & exercendi, verum etiam, pro eorum capacitate, & commoditate, de ſpiritualibus, præſertim de modo mentaliter orandi,diligenter inſtruendi erunt; quod vt commodius fiat, ad Capitula, & ſpirituales Conciones, quæ per Magiſtros Nouitijs fieri ſolent, accerſiri debeant,& in eccleſijs ſtatutis horis conueniant, niſi tunc in ſuis officijs actualiter occupati fuerint.

Tempore vero probationis elapſo,ij tantùm, qui non ſolum religioſæ perfectionis capaces, ſed ad laborem corporalem apti nouo, ac diligenti examine reperti fuerint (dummodo ætatis ſuæ annum, quo ad Clericos decimumſextum, quo vero ad Conuerſos, vigeſimumprimum exceſserint) ad profeſſionem admittantur. Sed qui ad Conuerſorum habitum recepti fuerint, ad Clericorum ſtatum tranſire, etiam durante tempore probationis, non poſſint.

Super cuiuſlibet Conuentus,in quo Nouitiatus fuerit conſtitutus, particularem librum habeat, in quo vniuſcuiuſque Nouitij profeſſio regiſtretur,illamq. Nouitius profeſſus propria manu, & duo teſtes, qui præſentes fuerint, ſubſcribant.

Conuerſus verò literarum ignarus, profeſſus,in eorundem teſtium, qui ſe ſubſcripſerint, praſentia propria manu ſignum Crucis apponat, aſſerueturq. liber, & cuſtodiatur in Archiuio,vbi ſcripturæ ad Monaſterium,ſeu Conuentum pertinentes reponi conſueuerunt.

Quis

Quia verò in quibusdam Ordinibus filiationis vſus eſt receptus,declaratur, quòd licet decretum ſit,vt Nouitijs educandis certa Monaſteria, aut Conuentus deſignata quilibet Ordo habere debeat, licitum tamen ſit Superioribus Monaſteriorum,& Cōuentuum huiuſmodi Ordinum, in quibus filiationis vſus receptus eſt, eos,quos prænarratis qualitatibus ſuffultos repererint,in ſuorum locorum filios iuxta cuiuſque Ordinis conſtitutiones adſcribere, ſicq. adſcriptos,cùm iuxta præſentes Inſtitutiones, & aliàs,ſeruatis ſeruandis, ad Ordinem recepti fuerint, ad loca Nouitiatuum cum teſtimonialibus literis tranſmittere, vbi tamquam dictorum Conuentuum, ſeu Monaſteriorum filij, eorundem nomine, & inſtantia recipi, ac in Nouitiatu probari, & deinde antequam ad eadem Monaſteria,ſeu Conuentus filiationis huiuſmodi remittantur, in profeſſorio ad perfectionem,vt permiſſum eſt, exerceri debebunt.

Porrò, ne loca vnius Monaſterij, ſeu Conuentus ab alio præoccupentur, Capituli generalis, aut Prouincialis partes erunt, numerum præſcribere pro omnibus, & eam ſimiliter rationem circa alimentorum contributionem (ſi opus fuerit) inire, ac ſingulis Conuentibus, & Monaſterijs præſcribere, quæ magis expedire videbitur.

Vt autem Nouitij iam in Profeſſorum numerum (ſicut præmittitur) recepti melius in bono ſpiritu, regulariſq. diſciplinæ obſeruantia ſtabiliantur,& confirmentur,mandatur,vt ſtatim poſt profeſſionem emiſſam, ſi in Conuentibus, aut Monaſterijs pro Nouitiatibus aſſignatis locus aderit ſecundi Nouitiatus, ſiue Profeſſorij, ab ea,quæ Nouitiorum eſt, atque antiquorum Profeſſorum habitatione diſtinctus,& ſegregatus, ibi collocentur,ſi Monaſterium,aut Conuentus eos alere queat; ſin minùs,in alium commodiorem Conuentum, aut Monaſterium transferantur, in quo is locus cum requiſitis ad Nouitiatum ſupranarratis reperiatur,vel accommodetur,aut de nouo conſtruatur.

Ab hoc tamen illæ Religiones excipiuntur, quæ, ſuarum conſtitutionum, ſeu inſtitutorum vigore maioris temporis curſu nouos profeſſos intra Nouitiatum detinere conſueſcunt, quibus in hac parte non derogatur: illis tamen permittitur, vt, prædictis earum conſtitutionibus non obſtantibus, idipſum facere poſſint, ſi id rationi, ac Religioni magis expedire dijudicauerint; quibus in locis degant ſub regulis, & modo viuendi adhuc arctiori,quàm ſeruent antiquiores profeſſi, ita quòd in negotijs Monaſteriorum, aut Conuentuum non ſe intromittere,nec communibus tractatibus intereſſe,neque alicuius exterioris obedientiæ officium exercere debeant, ibiq. permaneant, quouſque ad ætatem ſacris Ordinibus ſuſcipiendis ſufficientem deuenerint,vel ſaltem per triennium poſt profeſſionem: quo etiam tempore poterunt,quinimmo & debebunt litterarum ſtudiis operam nauare ſub directione,ac regimine Superioris, qui eas qualitates habeat, quibus Nouitiorum Magiſtrum præditum eſſe oportere dictum eſt.

Declaratur tamen, quòd propter præmiſſa non cenſeatur conceſſa licentia recipiendi Nouitios, niſi in locis pro Nouitiatu deſignatis, aut impoſterum deſignandis, & pro numero dumtaxat in eorum ſingulis præſcripto, vel præſcribendo.

Denique

Denique si illi qui inter Religiosos gradu, & ordine Superiores sunt, & alij, ad quos spectat, in prædictis omnibus, vel eorum aliquo deliquerint, seu quouis modo contrafecerint, officiorum omnium, quæ tunc obtinebunt, priuationem, grauioresque pro modo admissæ culpæ pœnas, se subituros certò sciant. Datum Romæ apud S. Petrum die 19. Martij 1603.

Ant. Seneca Refor.[nis] Apost.[cæ] Sec.

---

Sanctissimi D. N.

# CLEMENTIS PAPAE VIII.

Prohibitio appellandi per Religiosos Ordinis Sancti Benedicti Congregationis Cœlestinorum à Prælatis eiusdem Ordinis ad Tribunalia secularia: Permissioque habendi recursum ad Generales Visitatores, Abbatem Generalem, Protectorem, seu Viceprotectorem, aut ad Romamanum Pontificem.

## *CLEMENS PAPA VIII.*

*Ad futuram rei memoriam.*



VONIAM nostro Pastorali potissimum incumbit officio, vt ea, quæ per regulares personas contra eorum regularia instituta temere attentantur, quantùm nobis ex alto conceditur, opportunis remedijs compescamus: Proindè quia nuper dilecto Filio Domno Petro Capucitto ab Agellis Abbate Generali Monachorum Ordinis S. Benedicti Congregationis Cœlestinorum, non sine animi nostri molestia referente, accepimus, quòd nonnullæ dicti Ordinis, & Congregationis, etiã vtriusque sexus regulares personæ, Dei timore postposito, & suæ professionis immemores, vt in eorum malefactis, & inobedientia se diutiùs confoueant, ab ijs quæ per Prælatos eiusdem Ordinis, & Congregationis etiam Visitatores Generales, & alios Superiores à

res à Diffinitoriali Capitulo, & Abbate Generali pro tempore deputatos, acta sunt, & decreta, ad Tribunalia sæcularia appellare, & ad ea temerè confugere consueuerunt in non modicum iurisdictionis ipsorum Superiorum læsionem, & regularis instituti alterationem, atque scandalum plurimorum. Nos præmissis obuiare volentes, vniuersis, & singulis dicti Ordinis, & Congregationis vtriusque sexus Regularibus personis cuiuscunque dignitatis, status, gradus, & conditionis existentibus Apostolica auctoritate tenore præsentium præcipimus, & mandamus, eisq. sub excommunicationis latæ sententiæ pœna, à qua non nisi à Nobis, seu à Romano Pontifice pro tempore existente, præterquàm in mortis articulo, absolui possint; nec non priuationis perpetuæ officiorum per eos obtentorum, & inhabilitatis ad illa, & alia quæcunquæ dicti Ordinis, & Congregationis officia exercenda; ac vocis tàm actiuæ, quàm passiuæ eo ipso absque alia declaratione incurrendis pœnis, Districtiùs inhibemus, ne ad ipsa Tribunalia secularia quouis prætextu, aut quæsito colore appellare, vel ad illa confugere, aut ea quoquomodo adire audeant, vel præsumant: sed si se à Prælatis grauari prætendant, ad Visitatores Generales, quisque in suis Quarterijs, intra quorum fines existunt, & ab his ad Abbatem Generalem ipsius Ordinis, & Congregationis, seu illius Protectorem, aut Viceprotectorem in Romana Curia, vel ad Nos, siue Romanum Pontificem pro tempore existentem supremum in Ecclesia Dei Iudicem, sicut antiquitùs facere consueuerunt, recursum habeant, vnde illis breui manu iustitia ministrabitur.

Volentes, & ita declarantes, quod ne dum dicti Ordinis, & Congregationis Regulares personæ contra facientes, verùm etiam eorum quomodolibet directè, vel indirectè fautores, & consultores easdem pœnas eo ipso omnino incurrant. Decernentes irritum, & inane quidquid secus super his à quoquā quauis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac dictorum Ordinis, & Congregationis etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, priuilegijs quoque indultis, & literis Apostolicis in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus eorum tenores, ac si de verbo ad verbum exprimerentur, & insererentur, præsentibus pro sufficienter expressis, & insertis habentes, illis

alias

aliàs in ſuo robore permanſuris,hac vice duntaxat ad effectum præſentium ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrarijs quibuſcunque. Datum Tuſculi ſub annulo Piſcatoris, die 5. Octobris 1604. Pontificatus Noſtri anno tertiodecimo.


*M. Veſtrius Barbianus.*

---

# PAVLI V.

## Indulgentiarum quoquo modo Religionibus & Ordinibus Regularibus conceſſarum reuocatio: Et alia Indulgentiarum noua conceſſio.

## *PAVLVS PAPA V.*
## *Ad perpetuam rei memoriam.*



ROmanus Pontifex in Beati Petri Sede conſtitutus, cui inter alia cæleſtis Indulgentiarum theſauri diſpenſandi cura incumbit, ſolicitè proſpicere debet, ac ſolerter, vt huiuſmodi Indulgentiarum diſpēſatio,& vſus ad Dei gloriam,& animarum ſalutem præcipuè dirigatur,& ne ex illarum multiplicitate confuſio,aut inanis interpretatio exoriatur.

§. 1. Proinde cùm fe: re: Clemens Papa viij. Prædeceſſor noſter magna cum diligentia, & ſolicitudine procurauerit abuſus, & corruptelas, tum in communicando Indulgentiarum theſauros, tum in modo illos recipiendi irreptos tollere; & propterea ſua quadam Conſtitutione formam aggregandi, inſtituendi, & rectè adminiſtrandi Societates, & Confraternitates præſcripſerit, licèt morte præuentus hanc piam eius voluntatem ad finalem executionem deducere; neque etiā,vt cogitauerat,circa Indulgentias à pleriſq. Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus, Religionibus,& Ordinibus Monaſticis, & Mendicantibus diuerſis temporibus conceſſas aliquid deliberare potuerit.

Nos,

§. 2. Nos, qui nullis nostris meritis, sed sola Dei benignitate ad summi Apostolatus officiũ vocati sumus, susceptum à tanto Pontifice pium hoc opus ad optimum finem perducere cupientes, vbi primũ Catholicæ Ecclesiæ regimen suscepimus, Venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus ad hoc opus à dicto Clemente Prædecessore deputatis, de quorũ numero tempore ipsius Clementis Prædecessoris eramus, iniunximus, vt in illo opere ad vlteriora progrederentur, & Indulgentias Regularibus concessas recognoscerent, ijsque recognitis rem nobiscum communicarent.

§. 3. Cùm itaque præfati Cardinales priuilegia, concessiones, & gratias prædictis Religionibus, & Ordinibus concessas diligenter inspexerint, & examinauerint, ac eorundem Ordinum Superiores, & Officiales pluries audiuerint, ac circa easdem Indulgentias varia dubia, & incertitudines, & confusiones adesse compererint; & ex iudicio eorundem etiam Regularium, vel aliquorũ ex illis Nobis proposuerint valde expedire, pro eorum maiori securitate, & beneficio, vt Indulgentias ipsis Religionibus, & Ordinibus ad instar, vel per communicationem, aut alio modo hactenus concessas annullaremus, & reuocaremus, ac alias particulares illis concederemus.

§. 4. Nos matura super hoc consultatione præhabita, cupientes personis Regularibus quibuscunque quorumuis Ordinum, tam Monasticorum, quàm Mendicantium spirituale solatiũ, & iuuamen afferre, infrascriptas Indulgentias, & gratias, quas personis Regularibus intra claustra, aut extra, cum licentia tamẽ suorum Superiorum legitima de causa illis concessa degentibus tantummodo suffragari debere declaramus, concedendas duximus.

§. 5. Omnibus igitur Christifidelibus, qui canonicè & iuxtà ordines cuiuslibet Religionis, & Constitutiones Apostolicas habitum regularem à legitimis Superioribus causa profitendi in illo susceperint, die primo eorum ingressus in ipsam Religionem, si verè pœnitentes, & confessi Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, Plenariam;

§. 6. Ac cuilibet Nouitio, qui pœnitens, & confessus, ac sacra Communione refectus post completum probationis annum professionem emiserit, etiam Plenariam;

§. 7. Necnon cuilibet Religioso intra claustra sui Monasterij viuenti, qui in festo principali sui Ordinis confessus, & sacra Communione refectus fuerit, aut Missam recitans pro Christianorum Principum

cipum concordia, hæresum extirpatione, Romani Pontificis salute, ac Sanctæ Matris Ecclesię exaltatione pias ad Deum preces effuderint, etiam Plenariam;

§. 8. In cuiuslibet verò mortis articulo, si pariter verè pœnitens, & confessus, ac sacra Communione refectus, vel quatenus id facere nequiuerit, saltem contritus nomen Iesu ore, si potuerit, sin autem corde, deuotè inuocauerit, etiam Plenariam.

§. 9. Qui verò ad Presbyteratus ordinem canonicè promotus, & confessus primam Missam celebrabit: necnon etiam ijs Religiosis, qui pariter confessi, ac sacra Communione refecti eidem Missæ interfuerint, aut ipso die Missam similiter celebrabunt, etiam Plenariam;

§. 10. Ijs verò qui de suorum Superiorum licentia à negotijs per decē dies alieni in Cella commorabuntur, aut ab aliorum conuersatione separati in piorum librorum, & aliarum rerum spiritualium animos ad deuotionem, & spiritum inducentium lectionibus operā suam dederint, addendo sæpè considerationes, & meditationes mysteriorum fidei Catholicæ, diuinorum beneficiorum, quatuor Nouissimorum, Passionis Domini Nostri Iesu Christi, & aliorum exercitiorum, orationum iaculatoriarum, aut vocalium saltem per duas horas in diem, & noctem orationibus mentalibus sese exercendo, faciendo eodem tempore confessionem generalem, aut annualem, vel ordinariam, Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, aut Missam celebrauerint, toties pro quolibet prædictorum exercitiorum Plenariam similiter omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus.

§. 11. Prætereà ijsdem Religiosi intra claustra viuentes, qui suā Ecclesiam deuotè visitauerint, & vt præfertur orauerint, consequantur easdem Indulgentias, quas visitantes Ecclesias Vrbis, & extra eam diebus Stationum cōsequuntur, in omnibus diebus, perinde ac si ipsas Vrbis Ecclesias personaliter visitarent.

§. 12. Omnibus itē Religiosis intra claustra vt supra viuentibus, qui quinquies Orationem Dominicam, & toties salutationem Angelicam ante Altare eorum Ecclesię, in quolibet die quinque Annos, & totidem quadragenas;

§. 13. Ijs verò qui de suorum Superiorum licentia in itinere existentes, aut extra claustra degentes, tamquam Prædicatores, & Lectores quinquies eandem orationem Dominicam, & toties salutationem

tationem Angelicam ante quodlibet Altare ſimiliter dixerint, etiam quinque annos, & totidem quadragenas:

§. 14. Necnon etiam eiſdem Religioſis, qui per menſem integrum ſingulis diebus ſpatio mediæ horæ orationem mentalem fecerint, ac confeſsi, & ſacra communione vltima Dominica menſis huiuſmodi refecti fuerint, ſexaginta annos, & totidem quadragenas:

§. 15. Qui verò contrito corde, & pœnitentes eorum culpas, & peccata, ac imperfectiones in Capitulis Culparum accuſabunt, & ſpiritualiter communicabunt, & exercitium virtutum facient, tres annos, & totidem quadragenas.

§. 16. Quotieſcumque autem de licentia Summi Pontificis, aut ſuorum Superiorum in Ditiones, & Terras Infidelium, aut hæreticorum ad concionandum, aut Catholicos docendum, vel Infideles, & hæreticos ipſos ad fidem Catholicam conuertendum, & Eccleſiæ gremio reducendum miſſi fuerint; ſi pœnitentes, & confeſſi, ac ſanctiſsima Communione refecti fuerint, vel Miſſam celebrauerint, vt meliùs ad huiuſmodi opus ſeſe parare valeant, pro duabus vicibus, videlicet quando itinerĩ ſe accingent, & quando in Prouinciã, vbi prædicta opera eis exercenda erunt, ingreſſi fuerint, Plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino pariter concedimus, & elargimur.

§. 17. Et inſuper cùm Superior in viſitationibus generalibus orationes quadraginta horarum pro bono viſitationis progreſſu collocare voluerit, ijs Religioſis, qui dictis orationibus ſaltem ſpatio duarum horarum in diuerſo tempore interfuerint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, Romani Pontificis ſalute, ac ſanctæ Matris Eccleſię exaltatione, necnon diſciplinæ, & obſeruantiæ regularis augmento pias ad Deum preces, vt ſupra dictum eſt, effuderint, ſi confeſſi, & ſacra Communione refecti fuerint, aut Miſſam celebrauerint, Plenariam ſimiliter omnium peccatorum Indulgentiam, & remiſsionem, vt præfertur, concedimus.

§. 18. Volumus autem, vt omnes ſupradictæ Indulgentiæ, & gratiæ Religioſis regularibus cuiuſuis Ordinis, tam Monaſtici, quàm Mendicantis duntaxat, vt præfertur conceſſæ, etiam omnibus Monialibus cuiuſuis regulæ approbatæ, & intra clauſtra cum tribus votis ſolemnibus viuentibus, & perpetuam clauſuram ſeruantibus tam Ordinarijs Locorum, quàm etiam regularibus cuiuſ-

cunque

cunque Ordinis, regulæ, & instituti subiectis suffragentur. Præsentibus perpetuis futuris temporibus duraturis.

§. 19. Ceterum omnes, & singulas Indulgentias quibuscunque Ordinibus, & Institutis regularibus huiusmodi, etiam Mendicantibus, & quibuslibet personis regularibus, tam vigore priuilegiorum, & literarum Apostolicarum, quàm viuæ vocis oraculo, aut aliàs quouis modo per quoscunque Romanos Pontifices Prædecessores nostros, ac Nos, & Apostolicam Sedem hactenus concessas, confirmatas, approbatas, & innouatas, auctoritate, & tenore prædictis perpetuò reuocamus, cassamus, annullamus, & abrogamus, & ad præsentium nostrarum literarũ præscriptum reducimus, & moderamur.

§. 20. Non obstañ quibusuis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac eorundem Ordinum, & Institutorum Regularium, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, priuilegijs quoque indultis, & literis Apostolicis, etiam Mare magnum, & Bulla aurea nuncupata eisdem Ordinibus, & Institutis, eorumque Monasterijs, Conuentibus, Collegijs, Domibus, Superioribus, & personis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & approbatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quæuis alia expressio habenda foret, tenores huiusmodi præsentibus pro expressis, & ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dũtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrarijs quibuscunque.

§. 21. Volumus autem, vt præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadẽ fides habeatur vbique, quæ presentibus ipsis originalibus literis haberetur.

Dat. Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die xxiij. Maij M. DCVI. Pontificatus Nostri Anno Primo.

M. Vestrius Barbianus.

Sanctis-

# REGVLA
## Sanctiſsimi Patris Noſtri
# BENEDICTI.



# PROLOGVS.



Vſculta ò fili præcepta magiſtri, & inclina aurem cordis tui, & admonitionem pij patris libenter excipe, & efficaciter comple: vt ad eum per obedientiæ laborem redeas, à quo per inobedientiæ deſidiam receſſeras. Ad te ergo nunc meus ſermo dirigitur, quiſquis abrenuncians proprijs voluptatibus, Domino Chriſto vero regi militaturus, obedientiæ fortiſſima, atque præclara arma aſſumis.

In primis, vt quicquid agendum inchoas bonum, ab eo perfici inſtantiſsima oratione depoſcas; vt qui nos iam in filiorum dignatus eſt numero computare, non debeat aliquando de malis actibus noſtris contriſtari. It[illegible] ei omni tempore de bonis ſuis in nobis parendum eſt, vt non ſolùm vt iratus pater ſuos non aliquando filios exhæredet: ſed nec vt metuendus dominus irritatus malis noſtris, vt nequiſſimos ſeruos perpetuam tradat ad pęnam, qui eum ſequi noluerint ad gloriam.

Exurgamus ergo tandem aliquando, excitante nos ſcriptura, ac dicente. Hora eſt iam nos de ſomno ſurgere. Et apertis oculis noſtris ad deificum lumen, attonitis auribus audiamus, diuina quotidie clamans quid nos admoneat vox dicens. Hodie ſi vocem eius audieritis, nolite obdurare corda veſtra. Et iterum. Qui habet aures audiendi audiat, quid ſpiritus dicat Eccleſijs. Et quid dicit? Venite filij, audite me, timorem Domini docebo vos. Currite dum lumen vitæ habetis, ne tenebræ mortis vos comprehendant. Et quærens Dominus in multitudine populi ſui (cui hæc clamat) operarium ſuum, iterum dicit: Quis eſt homo qui vult vitam, & cupit dies videre bonos? Quod ſi tu audiens, reſpondeas: Ego: dicit tibi Deus: Si vis habere veram & perpetuam vitam; prohibe linguam tuam à malo, & labia tua ne

loquantur dolum. Diuerte a malo, & fac bonum: inquire pacem & sequere eam. Et cum hæc feceritis, oculi mei super vos: & aures meæ ad preces vestras: & antequam me inuocetis, dicam. Ecce adsum. Quid dulcius nobis hac voce Domini inuitantis nos, fratres charissimi? Ecce pietate sua demonstrat nobis Dominus viam vitæ.

Succinctis ergo fide, vel obseruantia bonorum actuum lumbis nostris, per ducatum Euangelij, pergamus itinera eius; vt mereamur eum, qui nos vocauit in regno suo videre. In cuius regni tabernaculo si volumus habitare, nisi illuc bonis actibus currendo, minimè peruenitur. Sed interrogemus cum Propheta Dominum dicentes ei: Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo? Post hanc interrogationem, fratres, audiamus Dominum respondentem, & ostendentem nobis viam ipsius tabernaculi, & dicentem: Qui ingreditur sine macula, & operatur iustitiam. Qui loquitur veritatem in corde suo, qui non egit dolum in lingua sua. Qui non fecit proximo suo malum: qui opprobrium non accepit aduersus proximum suum. Qui malignum diabolum aliqua suadentem sibi, cum ipsa suasione sua a conspectibus cordis sui respuens, deduxit ad nihilum, & paruulos cogitatus eius tenuit, & allisit ad Christum.

Qui timentes Dominum, de bona obseruantia sua, non se reddunt elatos: sed ipsa in se bona non a se posse, sed a Domino fieri existimantes, operantem in se Dominum magnificant, illud cum propheta dicentes: Non nobis Domine, non nobis; sed nomini tuo da gloriam. Sicut nec Paulus Apostolus de prædicatione sua sibi aliquid imputauit. Gratia Dei sum id quod sum. Et iterum ipse dicit. Qui gloriatur, in Domino glorietur. Vnde & Dominus in Euangelio ait. Qui audit verba mea hæc, & facit ea, similabo eum viro sapienti, qui ædificauit domum suam supra petram. Venerunt flumina, flauerunt venti, & impegerunt in domum illam, & non cecidit: fundata enim erat supra petram. Hæc complens Dominus, expectat quotidie, his su[illegible]is monitis factis nos respondere debere. Ideo nobis propter emendationem malorum huius vitæ dies ad inducias relaxantur, dicente Apostolo. An nescis, quia patientia Dei ad pœnitentiam te adducit? Nam pius Dominus dicit. Nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur, & viuat.

Cùm ergo interrogassemus Dominum, fratres, de habitatore tabernaculi eius, audiuimus habitandi præceptum. Sed & si compleamus habitatoris officium, erimus hæredes regni cœlorum. Ergo præparanda sunt corda nostra, & corpora sanctæ præceptorum obedientiæ militatura: & quod minus habet in nobis natura possibile, rogemus Dominum, vt gratiæ suæ iubeat nobis adiutorium ministrare. Et si fugientes gehennæ pœnas, ad vitam volumus peruenire perpetuam; dum adhuc vacat, & in hoc corpore sumus, & per hanc lucis vitam vacat implere, currendum, & agendum est modò, quod in perpetuum nobis expediat.

Constituenda est ergo a nobis dominici schola seruitij, in qua institutione nihil asperum, nihilque graue nos constituturos speramus. Sed & si quid paululum restrictius, dictante æquitatis ratione, propter emendationem

vitiorum,

vitiorum, & conſeruationem charitatis proceſſerit, non ilicò pauore perterritus refugias viam ſalutis, quæ non eſt niſi anguſto initio incipienda. Proceſſu vero conuerſationis, & fidei, dilatato corde, inenarrabili dilectionis dulcedine curritur via mandatorum Dei: vt ab ipſius nunquàm magiſterio diſcedentes, in eius doctrina vſque ad mortem in monaſterio perſeuerantes, paſſionibus Chriſti per patientiam participemur, vt regni eius mereamur eſſe conſortes. Amen.

---

# INCIPIT REGVLA Eiuſdem S. P. N. Benedicti.

## *De generibus Monachorum. Cap. I.*

MOnachorum quatuor genera eſſe manifeſtum eſt. Primum Cœnobitarum, hoc eſt monaſteriale militans ſub regula, vel Abbate. Deinde ſecundum genus eſt Anachoretarum, ideſt, Eremitarum. Horum qui non conuerſionis feruore nouitio, ſed monaſterij probatione diuturna, didicerunt contra diabolum, multorum ſolatio iam docti; pugnare; & bene inſtructi fraterna ex acie ad ſingularem pugnam eremi, ſecuri iam ſine conſolatione alterius, ſola manu, vel brachio contra vitia carnis, vel cogitationum Deo auxiliante, pugnare ſufficiunt. Tertiùm verò Monachorum teterrimum genus eſt Sarabaitarum, qui nulla regula approbati, experientia magiſtri ſicut aurum fornacis, ſed in plumbi natura molliti, adhuc operibus ſeruantes ſeculo fidem, mentiri De[illegible]onſuram noſcuntur. Qui bini, aut terni, aut certe ſinguli ſine paſto[illegible]non dominicis, ſed ſuis incluſi ouilibus, pro lege eis eſt deſideriorum voluptas, cùm quicquid putauerint vel egerint, hoc dicunt ſanctum: & quod noluerint, hoc putant non licere. Quartum verò genus Monachorum eſt, quod vocatur Gyrouagum. Qui totam vitam ſuam, per diuerſas Prouincias, ternis, aut quaternis diebus per diuerſorum cellas hoſpitantur, ſemper vagi, & nunquam ſtabiles, & proprijs voluptatibus, & gulæ illecebris ſeruientes, & per omnia deteriores Sarabaitis. De quorum omnium horum miſerrima conuerſatione melius eſt ſilere, quàm loqui. His ergo omiſſis, ad Cœnobitarum fortiſſimum genus diſponendum, adiuuante Domino veniamus.

## *Qualis debeat eſſe Abbas. Cap. II.*

ABbas, qui præeſſe dignus eſt Monaſterio, ſemper meminiſſe debet quod dicitur, & nomen maioris factis implere. Chriſti enim agere vices in

Monaſterio creditur, quando ipſius vocatur prænomine, dicente Apoſtolo. Accepiſtis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba pater. Ideoque Abbas nihil extra præceptum Domini (quod abſit) debet aut docere, aut conſtituere, vel iubere. Sed iuſſio eius, vel doctrina fermentum Diuinæ iuſtitiæ in diſcipulorum mentibus conſpergatur. Memor ſit ſemper Abbas, quia doctrinæ ſuæ, vel diſcipulorum obedientiæ vtrarumque rerum in tremendo Dei iudicio facienda erit diſcuſſio. Sciatque Abbas culpæ paſtoris incumbere, quidquid in ouibus paterfamilias vtilitatis minus potuerit inuenire. Tantum iterum liber erit, vt ſi inquieto, vel inobedienti gregi paſtoris fuerit omnis diligentia attributa, & morbidis earum actibus vniuerſa fuerit cura exhibita: paſtor earum in iudicio Domini abſolutus, dicat cum propheta Domino. Iuſtitiam tuam non abſcondi in corde meo, veritatem tuam, & ſalutare tuum dixi: ipſi autem contemnentes ſpreuerunt me. Et tunc demum inobedientibus curæ ſuæ ouibus pœna ſit eis præualens ipſa mors.

Ergo cum aliquis ſuſcipit nomen Abbatis, duplici debet doctrina ſuis præeſſe diſcipulis, ideſt, omnia bona, & ſancta factis amplius, quàm verbis oſtendere, vt capacibus diſcipulis mandata Domini verbis proponat; duris vero corde, & ſimplicioribus, factis ſuis diuina præcepta demonſtret. Omnia verò, quæ diſcipulis docuerit eſſe contraria, in ſuis factis indicet non agenda: ne alijs prædicans, ipſe reprobus inueniatur; ne quando illi dicat Deus peccanti. Quare tu enarras iuſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum? Tu verò odiſti diſciplinam, & proieciſti ſermones meos poſt te. Et qui in fratris tui oculo feſtucam videbas, in tuo trabem non vidiſti. Non ab eo perſona in Monaſterio diſcernatur. Non vnus plus ametur, quàm alius, niſi quem in bonis actibus, aut obedientia inuenerit meliorem. Non præponatur ingenuus ex ſeruitio conuertenti, niſi alia rationabilis cauſa exiſtat. Quòd ſi ita iuſtitia dictante, Abbati viſum fuerit, & de cuiuſlibet ordine id faciat; ſin alias, propria teneant loca. Quia ſiue ſeruus, ſiue liber, omnes in Chriſto vnum ſumus, & ſub vno Domino æqualem ſeruitutis militiam baiulamus. Quia non eſt apud eum perſonarum acceptio. Solummodò in hac parte apud ipſum diſcernimur, ſi meliores alijs, in operibus bonis, & humiles inueniamur.

Ergo æqualis ſit omnibus ab eo charitas: vna præbeatur omnibus ſecundùm merita diſciplina. In doctrina namque ſua Abbas Apoſtolicam debet illam ſemper formam ſeruare, in qua dicit. Argue, obſecra, increpa: ideſt, miſcens temporibus tempora, terroribus blandimenta, dirum magiſtri, pium patris oſtendat affectum, ideſt, indiſciplinatos, & inquietos debet durius arguere: obedientes autem, & mites, & patientes, vt in meliùs proficiant, obſecrare. Negligentes autem, & contemnentes, vt increpet, & corripiat, admonemus. Neque diſſimulet peccata delinquentium, ſed mox vt cœperint oriri, radicitùs ea (vt præualet) amputet; memor periculi Heli Sacerdotis de Sylo. Et honeſtiores quidem, atque intelligibiles animos prima, vel ſecunda admonitione verbis corripiat: improbos autem, & duros corde ac

ſuperbos,

ſuperbos, vel inobedientes verberum, vel corporis caſtigatione, in ipſo initio peccati coerceat, ſciens ſcriptum. Stultus verbis non corrigitur. Et iterum. Percute filium tuum virga, & liberabis animam eius a morte.

Meminiſſe debet ſemper Abbas quod eſt, meminiſſe quod dicitur, & ſcire, quia cui plùs committitur, plùs ab eo exigitur. Sciatque quàm difficilem, & arduam rem ſuſcepit, regere animas, & multorum ſeruire moribus. Et alium quidem blandimentis, alium verò increpationibus, alium ſuaſionibus: & ſecundùm vniuſcuiuſque qualitatem, vel intelligentiam, ita ſe omnibus conformet, & aptet, vt non ſolùm detrimenta gregis ſibi commiſſi non patiatur, verùm etiam in augmentatione boni gregis gaudeat. Ante omnia ne diſſimulans, aut paruipendens ſalutem animarum ſibi commiſſarum, non plùs gerat ſolicitudinem de rebus tranſitorijs, & terrenis, atque caducis: ſed ſemper cogitet, quia animas ſuſcepit regendas, de quibus & rationem redditurus eſt. Et ne cauſetur de minori fortè ſubſtantia, meminerit ſcriptum. Primùm quærite regnum Dei, & iuſtitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis. Et iterum. Nihil deeſt timentibus eum. Sciatque, quia qui ſuſcipit animas regendas, præparet ſe ad rationem reddendam. Et quantum ſub cura ſua fratrum ſe habere ſcierit numerum, agnoſcat pro certo, quia in die iudicij ipſarum omnium animarum eſt redditurus Domino rationem; ſine dubio, addita & ſuæ animæ. Et ita timens ſemper futuram diſcuſſionem paſtoris de creditis ouibus, cùm de alienis ratiocinijs cauet, redditur de ſuis ſolicitus. Et cum de admonitionibus ſuis emendationem alijs ſubminiſtrat; ipſe efficitur a vitijs emendatus.

## *De adhibendis ad Conſilium Fratribus. Cap. III.*

QVoties aliqua præcipua agenda ſunt in Monaſterio; conuocet Abbas omnem congregationem, & dicat ipſe vnde agitur. Et audiens conſilium fratrum, tractet apud ſe, & quod vtilius iudicauerit, faciat.

Ideo autem omnes ad conſilium vocari diximus, quia ſæpe iuniori Dominus reuelat, quod melius eſt. Sic autem dent Fratres conſilium cum omni humilitatis ſubiectione, vt non præſumant procaciter defendere, quod eis viſum fuerit, ſed magis in Abbatis pendeat arbitrio: vt quod ſalubriùs eſſe iudicauerit, ei cuncti obediant. Sed ſicut diſcipulis conuenit obedire Magiſtro: ita & ipſum prouidè, & iuſtè condecet cuncta diſponere. In omnibus igitur omnes magiſtram ſequantur regulam, neque temerè ab ea deuietur a quoquam. Nullus in Monaſterio ſequatur proprij cordis voluntatem. Neque præſumat quiſquam cum Abbate ſuo proteruè intus, vel foris Monaſterij contendere. Quòd ſi quiſquam præſumpſerit, regulari diſciplinæ ſubiaceat. Ipſe tamen Abbas cum timore Dei, & obſeruatione regulæ omnia faciat; ſciens ſe proculdubiò de omnibus iudicijs ſuis æquiſſimo iudici Deo rationem redditurum. Si qua verò minora agenda ſunt in Monaſterij vtilitatibus; ſeniorum tantùm vtatur conſilio, ſicut ſcriptum eſt. Omnia fac cum conſilio, & poſt factum non pœnitebis.

## *Quæ sunt instrumenta bonorum operum? Cap. IV.*

IN primis Dominum Deum diligere ex toto corde, tota anima, tota virtute. Deinde proximum tanquam seipsum. Deinde non occidere. Non adulterare. Non facere furtum. Non concupiscere. Non falsum testimonium dicere. Honorare omnes homines. Et quod sibi fieri quis non vult, alij ne faciat. Abnegare semetipsum sibi, vt sequatur Christum. Corpus castigare. Delicias non amplecti. Ieiunium amare. Pauperes recreare. Nudum vestire. Infirmum visitare. Mortuum sepelire. In tribulatione subuenire. Dolentem consolari. A seculi actibus se facere alienum. Nihil amore Christi præponere. Iram non perficere. Iracundiæ tempus non reseruare. Dolum in corde non tenere. Pacem falsam non dare. Charitatem non derelinquere. Non iurare, ne fortè periuret. Veritatem ex corde, & ore proferre. Malum pro malo non reddere. Iniuriam non facere: sed & factam patienter sufferre. Inimicos diligere. Maledicentes se non remaledicere, sed magis benedicere. Persecutionem propter iustitiam sustinere. Non esse superbum. Non vinolentum. Non multùm edacem. Non somnolentum. Non pigrum. Non murmurosum. Non detractorem. Spem suam Deo committere. Bonum aliquod in se cum viderit, Deo applicet, non sibi. Malum verò a se semper factum sciat, & sibi reputet. Diem iudicij timere. Gehennam expauescere. Vitam æternam omni concupiscentia spirituali desiderare. Mortem quotidie ante oculos suspectam habere. Actus vitæ suæ omni hora custodire. In omni loco Deum se respicere pro certo scire. Cogitationes malas cordi suo aduenientes mox ad Christum allidere, & seniori spirituali patefacere. Os suum a malo, vel prauo eloquio custodire. Multùm loqui non amare. Verba vana, aut risui apta non loqui. Risum multum, aut excussum non amare. Lectiones sanctas libenter audire. Orationi frequenter incumbere. Mala sua præterita cum lachrimis, vel gemitu quotidie in oratione Deo confiteri. De ipsis malis de cætero emendare. Desideria carnis non perficere. Voluntatem propriam odisse. Præceptis Abbatis in omnibus obedire: etiamsi ipse (quod absit) aliter agat, memor illius Dominici præcepti: Quæ dicunt, facite: quæ autem faciunt, facere nolite. Non velle dici sanctum antequam sit: sed prius esse, vt veriùs dicatur. Præcepta Dei factis quotidiè adimplere. Castitatem amare. Nullum odisse. Zelum, & inuidiam non habere. Contentionem non amare. Elationem, & iactantiam fugere. Seniores venerari. Iuniores diligere in Christi amore. Pro inimicis orare. Cum discordantibus ante solis occasum in pacem redire. Et de Dei misericordia nunquam desperare.

Ecce hæc sunt instrumenta artis spiritualis, quæ cùm fuerint a nobis die, noctuque incessabiliter adimpleta, & in die iudicij reconsignata: illa merces a Domino nobis recompensabitur, quam ipse promisit. Quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus his qui diligunt eum. Officina verò, vbi hæc omnia diligenter operemur, claustra sunt Monasterij, & stabilitas in congregatione.

## *De obedientia. Cap. V.*

PRimus humilitatis gradus est, obedientia sine mora. Hæc conuenit his; qui nihil sibi Christo cariùs aliquid existimant, propter seruitium sanctum, quod professi sunt, seu propter metum gehennæ, vel gloriam vitæ æternæ: mox vt aliquid imperatum a maiore fuerit, ac si diuinitùs imperetur, moram pati nesciunt in faciendo. De quibus Dominus dicit. Ob auditu oris obediuit mihi. Et item dicit Doctoribus. Qui vos audit, me audit. Ergo hi tales relinquentes statim quæ sua sunt, & voluntatem propriam deserentes, mox exoccupatis manibus, & quod agebant imperfectum relinquentes, vicino obedientiæ pede iubentis vocem factis sequuntur. Et veluti vno momento prædicta Magistri iussio, & perfecta discipuli opera in velocitate timoris Dei ambæ res communiter citiùs explicantur, quibus ad vitam æternam gradiendi amor incumbit. Ideo angustam viam arripiunt, vnde Dominus ait; Angusta via est, quæ ducit ad vitam, vt non suo arbitrio viuentes, vel desiderijs suis, & voluptatibus obedientes, sed ambulantes alieno iudicio, & imperio, in cœnobijs degentes, Abbatem sibi præesse desiderant. Sine dubio hi tales illam Domini imitantur sententiam, qua dicit. Non veni facere voluntatem meam, sed eius qui misit me. Sed hæc ipsa obedientia tunc erit acceptabilis Deo, & dulcis hominibus; si quod iubetur, non trepidè, non tardè, non tepidè, aut cum murmure, vel cum responsione nolentis efficiatur; quia obedientia quæ Maioribus prabetur, Deo exhibetur. Ipse enim dixit. Qui vos audit, me audit. Et cum bono animo a discipulis præberi oportet: quia hilarem datorem diligit Deus. Nam cum malo animo si obedit discipulus, & non solum ore, verùm etiam in corde si murmurauerit; & si impleat iussionem, tamen acceptum iam non erit Deo, qui cor respicit murmurantis. Et pro tali facto nullam consequitur gratiam: imò pœnam murmurantium incurrit, si non cum satisfactione se emendauerit.

## *De Taciturnitate. Cap. VI.*

FAciamus quod ait Propheta. Dixi custodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea. Posui ori meo custodiam: obmutui, & humiliatus sum, & silui a bonis. Hic ostendit Propheta, si a bonis eloquijs interdum propter taciturnitatem debet taceri: quantò magis a malis verbis propter pœnam peccati debet cessari. Ergo quamuis de bonis, & sanctis, ad ædificationem eloquijs, perfectis discipulis propter taciturnitatis grauitatem, rara loquendi concedatur licentia: quia scriptum est. In multiloquio non effugies peccatum. Et alibi. Mors, & vita in manibus linguæ. Nam loqui, & docere Magistrum condecet, tacere & audire discipulo conuenit. Et ideo si quæ requirenda sunt a Priore, cum omni humilitate, & subiectione reuerentię requirantur. Scurrilitates verò, vel verba ociosa, & risum mouentia,

æterna clausura in omnibus locis damnamus, & ad tale eloquium discipulum os aperire non permittimus.

## *De Humilitate. Cap. VII.*

CLamat nobis scriptura diuina fratres dicens. Omnis qui se exaltat, humiliabitur, & qui se humiliat, exaltabitur. Cùm hæc ergo dicit, ostendit nobis omnem exaltationem genus esse superbiæ. Quod se cauere Propheta indicat, dicens. Domine non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei. Neque ambulaui in magnis, neque in mirabilibus super me. Sed quid? si non humiliter sentiebam, sed exaltaui animam meam. Sicut ablactatus super matre sua, ita retribues in animam meam. Vnde fratres si summæ humilitatis culmen volumus attingere, & ad exaltationem illam cœlestem, ad quam per præsentis vitæ humilitatem ascenditur, volumus velociter peruenire; actibus nostris ascendentibus scala illa erigenda est, quæ in somno Iacob apparuit, per quam ei descendentes Angeli, & ascendentes monstrabantur. Non aliud sine dubio descensus ille, & ascensus a nobis intelligitur; nisi exaltatione descendere, & humilitate ascendere. Scala verò ipsa erecta, nostra est vita in seculo, quæ humiliato corde a Domino erigitur ad cœlum. Latera enim eiusdem scalæ nostrum dicimus esse corpus, & animam, in quæ latera diuersos gradus humilitatis, vel disciplinæ euocatio diuina ascendendos inseruit.

Primus itaque gradus humilitatis est, si timorem Dei sibi ante oculos semper ponens, obliuionem omnino fugiat. Et semper sit memor omnium, quæ præcepit Deus, qualiter contemnentes Deum, in gehennam pro peccatis incidunt: & vitam æternam, quæ timentibus Deum præparata est, animo suo semper reuoluat. Et custodiens se omni hora a peccatis & vitijs, idest, cogitationum, linguæ, oculorum, manuum, pedum, vel voluntatis propriæ: sed & desideria carnis amputare festinet. Aestimet se homo de cœlis a Deo semper respici omni hora, & facta sua in omni loco ab aspectu Diuinitatis videri, & ab Angelis omni hora Deo nuntiari. Demonstrat nobis hoc Propheta, cum in cogitationibus nostris, ita Deum semper præsentē ostendit dicens. Scrutans corda & renes Deus. Et item. Dominus nouit cogitationes hominum. Et item dicit. Intellexisti cogitationes meas a longe. Et quia cogitatio hominis confitebitur tibi. Nam vt sollicitus sit circa cogitationes suas peruersas, dicat semper humilis frater in corde suo. Tunc ero immaculatus coram eo, si obseruauero me ab iniquitate mea. Voluntatem verò propriam ita facere prohibemur, cum dicit scriptura nobis. Et a voluntatibus tuis auertere. Et item, rogamus Deum in oratione, vt fiat voluntas eius in nobis. Docemur ergo meritò nostram non facere voluntatem, cùm cauemus illud, quod dicit sacra Scriptura. Sunt viæ quæ videntur hominibus rectæ, quarum finis vsque ad profundum inferni demergit: & cùm item cauemus illud, quod de negligentibus dictum est. Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in voluntatibus suis. In desiderijs verò carnis ita nobis Deum credamus

mus ſemper eſſe præſentē, cùm dicit Propheta Domino. Ante te eſt omne deſiderium meū. Cauendū ergo eſt ideo malū deſideriū, quia mors ſecus introitū delectationis poſita eſt. Vnde ſcriptura præcipit dicens. Poſt concupiſcentias tuas non eas. Ergo ſi oculi Domini ſpeculantur bonos & malos, & Dominus de cœlo ſemper reſpicit ſuper filios hominum, vt videat ſi eſt intelligens, aut requirens Deum, & ab Angelis deputatis nobis quotidie, die, noctuque Domino factori noſtro, opera noſtra nunciantur, cauendum eſt omni hora Fratres (ſicut dicit in paſalmo Propheta) ne nos declinantes in malum, & inutiles factos, aliqua hora aſpiciat Deus, & parcendo nobis in hoc tempore, quia pius eſt, & expectat nos conuerti in melius, ne dicat nobis in futuro. Hæc feciſti, & tacui.

Secundus humilitatis gradus eſt, ſi quis propriam non amans voluntatem, deſideria ſua non delectetur implere, ſed vocem illam Domini factis imitetur dicentis. Non veni facere voluntatem meam, ſed eius, qui me miſit. Item dicit ſcriptura: Voluntas habet pœnam: & neceſſitas parit coronam.

Tertius humilitatis gradus eſt, vt quis pro Dei amore omni obedientia ſe ſubdat Maiori, imitans Dominum, de quo dicit Apoſtolus. Factus obediens Patri vſque ad mortem.

Quartus humilitatis gradus eſt, ſi in ipſa obedientia duris, & contrarijs rebus, vel etiam quibuſlibet irrogatis iniurijs tacita conſcientia patientiam amplectatur, & ſuſtinens non laſſeſcat, vel diſcedat dicente ſcriptura. Qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit. Item, confortetur cor tuum; & ſuſtine Dominum. Et oſtendens fidelem pro Domino vniuerſa etiam contraria ſuſtinere debere, dicit etiam ex perſona ſufferentium. Propter te morte afficimur tota die: æſtimati ſumus vt oues occiſionis. Et ſecuri de ſpe retributionis Diuinæ, ſubſequuntur gaudentes, & dicentes. Sed in his omnibus ſuperamus propter eum, qui dilexit nos. Et item alio loco ſcriptura. Probaſti nos (inquit) Deus: igne nos examinaſti, ſicut igne examinatur argentum; induxiſti nos in laqueum, poſuiſti tribulationes in dorſo noſtro. Et vt oſtendat ſub Priore nos debere eſſe, ſubſequitur dicens. Impoſuiſti homines ſuper capita noſtra. Sed & præceptum Domini in aduerſis, & in iniurijs per patientiam adimplentes, qui percuſſi in maxillam, præbent & aliam; auferenti tunicam, dimittunt & pallium: angariati miliario, vadunt & duo, cum Paulo Apoſtolo, falſos fratres ſuſtinent, perſecutionem ſuſtinent, & maledicentes ſe benedicunt.

Quintus humilitatis gradus eſt, ſi omnes cogitationes malas cordi ſuo aduenientes, vel mala a ſe abſcondite commiſſa, per humilem confeſſionem Abbati non celauerit ſuo. Hortatur nos de hac re ſcriptura dicēs. Reuela Domino viam tuam, & ſpera in eo. Et item dicit. Confitemini Domino, quoniam bonus: quoniam in ſeculum miſericordia eius. Et item Propheta: Delictum meum cognitum tibi feci, & iniuſtitias meas non operui. Dixi, pronunciabo aduerſum me iniuſtitias meas Domino: & tu remiſiſti impietatem cordis mei.

Sextus humilitatis gradus eſt, ſi omni vilitate, vel extremitate ſit contentus

Vide Cassian Lib. 4 Inst. cap. 29

tus Monachus : & ad omnia quæ ſibi iniunguntur , velut operarium malum & indignum ſe iudicet, dicens cum Propheta . Ad nihilum reddactus ſum, & neſciui : vt iumentum factus ſum apud te & ego ſemper tecum,

Septimus humilitatis gradus eſt, ſi omnibus ſe inferiorem,& viliorem non ſolum ſua lingua pronunciet , ſed etiam intimo cordis credat affectu , humilians ſe , & dicens cum Propheta : Ego autem ſum vermis , & non homo : opprobrium hominum, & abiectio plebis . Exaltatus ſum , & humiliatus, & confuſus . Et item,Bonum mihi quod humiliaſti me: vt diſcam mandata tua.

Octauus humilitatis gradus eſt, ſi nihil agat Monachus, niſi quod communis Monaſterij regula, vel maiorum cohortantur exempla .

Nonus humilitatis gradus eſt, ſi linguam ad loquendum prohibeat Monachus : & taciturnitatem habens , vſque ad interrogationem non loquatur, monſtrante ſcriptura : quia in multiloquio non effugietur peccatum : & quia vir linguoſus non dirigetur ſuper terram .

Decimus humilitatis gradus eſt, ſi non ſit facilis, ac promptus in riſu,quia ſcriptum eſt : Stultus in riſu exaltat vocem ſuam .

Vndecimus humilitatis gradus eſt , ſi cùm loquitur Monachus, leniter, & ſine riſu, humiliter cum grauitate, vel pauca verba, & rationabilia loquatur; & non ſit clamoſus in voce , ſicut ſcriptum eſt . Sapiens verbis innoteſcit paucis .

Duodecimus humilitatis gradus eſt,ſi non ſolum corde Monachus,ſed etiã corpore humilitatem ſe videntibus ſemper indicet , ideſt in opere : in Monaſterio , in Oratorio , in horto , in via, in agro, vel vbicumque ſedens, ambulans, vel ſtans, inclinato ſit ſemper capite, defixis in terram aſpectibus,reũ ſe omni hora de peccatis ſuis exiſtimans , iam ſe tremendo iudicio Dei præſentari æſtimet,dicẽs ſibi ſemper illud,quod Publicanus ille euangelicus fixis in terram oculis dixit : Domine, non ſum dignus ego peccator leuare oculos meos ad cœlum . Et iterum cum Propheta : Incuruatus ſum , & humiliatus ſum vſquequaque . Ergo his omnibus humilitatis gradibus aſcenſis Monachus mox ad charitatem Dei perueniet illam , quæ perfecta,foras mittit timorem , per quam vniuerſa , quæ priùs non ſine formidine obſeruabat abſque vllo labore velut naturaliter ex conſuetudine incipiet cuſtodire , non iam timore gehennæ, ſed amore Chriſti , & conſuetudine ipſa bona, & delectatione virtutum ; quæ Dominus iam in operario ſuo mundo a vitijs,& peccatis Spiritu ſancto dignabitur demonſtrare .

## *De officijs Diuinis in noctibus . Cap. VIII.*

HYemis tempore, id eſt, a kalendis Nouembris vſque ad Paſcha, iuxta conſiderationem rationis,octaua hora noctis ſurgendum eſt, vt modicè ampliùs de media nocte pauſetur, & iam digeſti ſurgant . Quod verò reſtat poſt Vigilias, a Fratribus, qui pſalterij , vel lectionum aliquid indigent; meditationi inſeruiatur . A Paſcha autem vſque ad ſupradictas kalendas Nouembris, ſic temperetur hora Vigiliarum agenda , vt paruiſſimo interuallo,

quo

quo Fratres ad necessaria naturæ exeant, custodito: mox Matutini, qui incipiente luce agendi sunt, subsequantur.

### *Quot Psalmi dicendi sunt in nocturnis horis. Cap. IX.*

HYemis tempore præmisso in primis versu, Deus in adiutorium meum intende: Domine ad adiuuandum me festina: in secundo ter dicendum; Domine labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam. Cui subiungendus est tertius Psalmus, & Gloria. Post hunc Psalmus nonagesimus quartus, cum Antiphona, aut certè decantandus. Inde sequatur Ambrosianum. Deinde sex Psalmi cum Antiphonis. Quibus dictis, dicto Versu: benedicat Abbas, Et sedentibus omnibus in scamnis, legantur vicissim a Fratribus in codice super analogium tres Lectiones: inter quas tria Responsoria canantur. Post tertiam verò Lectionem, qui cantat, dicat Gloriam. Quam dum incipit Cantor dicere, mox omnes de sedilibus suis surgant ob honorem, & reuerentiam Sanctæ Trinitatis. Codices autem legantur in Vigilijs tam veteris Testamenti, quàm noui diuinæ auctoritatis: & expositiones earum, quæ a nominatissimis Doctoribus orthodoxis, & catholicis Patribus factæ sunt. Post has verò tres Lectiones cum Responsorijs suis, sequantur reliqui sex Psalmi cum Alleluia canendi. Post hos Lectio Apostoli sequatur, ex corde recitanda, & Versus, & supplicatio Litaniæ. idest kyrie eleyson, & sic finiantur Vigiliæ nocturnæ.

### *Qualiter æstatis tempore nocturna laus agatur. Cap. X.*

A Pascha autem vsque ad kalendas Nouembris omnis (vt supra dictum est) Psalmodiæ quantitas teneatur: excepto quod Lectiones in Codice propter breuitatem noctium minimè legantur: sed pro ipsis tribus Lectionibus vna de veteri Testamento memoriter dicatur, quam breue Responsorium subsequatur, & reliqua omnia, vt dictum est, impleantur, idest, vt nunquàm minus a duodecim Psalmorum quantitate ad Vigilias nocturnas dicantur, exceptis tertio, & nonagesimo quarto Psalmo.

### *Qualiter Dominicis diebus Vigiliæ agantur. Cap. XI.*

DOminico die temperiùs surgatur ad Vigilias, in quibus Vigilijs teneatur mensura, idest modulatis (vt supra disposuimus) sex Psalmis, & Versu, residentibus cunctis dispositè, & per ordinem in subsellijs, legantur in Codice (vt suprà diximus) quatuor Lectiones cum Responsorijs suis, vbi tantùm in Responsorio quarto dicatur a cantante, Gloria. Quam cum incipit, mox omnes cum reuerentia surgant. Post quas Lectiones sequantur ex ordine alij sex Psalmi cum Antiphonis sicut anteriores, & Versu. Post quos iterum legantur aliæ quatuor Lectiones cum Responsorijs suis ordine, quo suprà. Post quas iterum dicantur tria Cantica de Prophetis, quæ instituerit

tuerit Abbas: quæ Cantica cum Alleluia psallantur. Dicto etiam Versu, & benedicente Abbate, legantur aliæ quatuor Lectiones de nouo Testamento, ordine, quo suprà. Post quartum autem Responsorium incipiat Abbas Hymnum: Te Deum laudamus. Quo perdicto, legat Abbas Lectionem de Euangelio, cum honore, & tremore stantibus omnibus. Qua perlecta, respondeant omnes. Amen. Et subsequatur mox Abbas Hymnum: Te decet laus. Et data benedictione, incipiant Matutinos. Qui ordo Vigiliarum omni tempore tam æstatis, quàm hyemis æqualiter in die Dominico teneatur, nisi fortè (quod absit) tardiùs surgant, & aliquid de Lectionibus breuiandum est, aut Responsorijs, quod tamen omnino caueatur, ne proueniat. Quod si contigerit, dignè inde satisfaciat Deo in oratorio, per cuius euenerit neglectum.

## *Qualiter Matutinorum solemnitas agatur. Cap. XII.*

IN Matutinis Dominico die, in primis dicatur Psalm. 66. sine Antiphona, indirectum. Post quem dicatur quinquagesimus, cum Alleluia. Post quem dicatur centesimus decimus septimus, & sexagesimus secundus. Inde benedictiones, & laudes: Lectio de Apocalypsi vna ex corde, Responsorium, Ambrosianum, Versus, Canticum de Euangelio, Litaniæ, & completum est.

## *Qualiter priuatis diebus Matutini agantur. Cap. XIII.*

DIebus autem priuatis Matutinorum solemnitas ita agatur, idest sexagesimus sextus Psalmus dicatur sine Antiphona, subtrahendo modicè sicut Domlnica, vt omnes occurrant ad quinquagesimum, qui cum Antiphona dicatur. Post quem alij duo Psalmi dicantur secundùm cousuetudinem, idest, Secunda feria, quintus, & trigesimus quintus. Tertia feria, quadragesimus secundus, & quinquagesimus sextus. Quarta feria, sexagesimus tertius & sexagesimus quartus. Quinta feria, octogesimus septimus & octogesimus nonus. Sexta feria, septuagesimus quintus, & nonagesimus primus. Sabbato autē centesimus quadragesimus secundus: & Canticum Deuteronomij, quod diuidatur in duas Glorias. Nam cæteris diebus Canticum vnum quodque die suo ex Prophetis sicut psallit Ecclesia Romana. Post hæc sequantur Laudes, deinde Lectio vna Apostoli memoriter recitanda, Responsorium, Ambrosianum: Versus: Canticum de Euangelio, Litania, & complet. Planè agenda Matutina, vel Vespertina non transeat aliquando, nisi in vltimo ordine, Oratio Dominica omnibus audientibus dicatur a Priore propter scandalorum spinas, quæ oriri solent, vt conuenti per ipsius Orationis sponsionem, qua dicunt, dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris, purgent se ab huiusmodi vitio. Cæteris verò agendis vltima pars eius orationis dicatur, vt ab omnibus respondeatur: Sed libera nos a malo.

### *Qualiter in natalitijs Sanctorum Vigiliæ agantur. Cap. XIV.*

IN Sanctorum verò feſtiuitatibus, vel omnibus ſolemnitatibus, ſicut diximus Dominico die, agendum, ita agatur: excepto, quòd Pſalmi, aut Antiphonæ, vel Lectiones ad ipſum diem pertinentes, dicantur: modus autem ſupra ſcriptus teneatur.

### *Quibus temporibus Alleluia dicatur. Cap. XV.*

A Sancto Paſcha vſque ad Pentecoſten, ſine intermiſſione dicatur Alleluia, tam in Pſalmis, quàm in Reſponſorijs. A Pentecoſte autem vſque ad caput Quadrageſimæ omnibus noctibus cũ ſex poſterioribus Pſalmis tantùm ad nocturnos dicatur. Omni verò Dominica extra Quadrageſimam Cantica matutina, Prima, Tertia, Sexta, Nonaque, cum Alleluia dicantur, Veſpera verò cum Antiphona. Reſponſoria verò nunquàm dicantur cum Alleluia, niſi a Paſcha vſque ad Pentecoſten.

### *Qualiter diuina opera per diem agantur. Cap. XVI.*

VT ait Propheta: ſepties in die laudem dixi tibi. Qui ſeptenarius ſacratus numerus a nobis ſic implebitur: ſi Matutinæ, Primæ, Tertiæ, Sextæ, Nonæ, Veſperæ, Completorijque tempore noſtræ ſeruitutis officia perſoluamus; quia de his horis dicit Propheta: Septies in die laudem dixi tibi. Nam de nocturnis Vigilijs idem ipſe Propheta ait: Media nocte ſurgebam ad confitendum tibi. Ergo his temporibus referamus laudes Creatori noſtro ſuper iudicia iuſtitiæ ſuæ, ideſt, Matutinis, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Veſpera, Completorio; & nocte ſurgamus ad confitendum ei.

### *Quanti Pſalmi per eaſdem Horas dicendi ſunt. Cap. XVII.*

IAm de Nocturnis, vel Matutinis digeſſimus ordinem pſalmodiæ, nunc de ſequentibus Horis videamus. Prima hora dicantur tres Pſalmi ſigillatim, & non ſub vna Gloria, Hymnus eiuſdem horæ poſt Verſum, Deus in adiutorium meum intende, antequàm Pſalmi incipiantur. Poſt expletionem trium Pſalmorum recitetur Lectio vna, Verſus, & kyrie eleiſon, & miſſæ ſint. Tertia verò, Sexta, & Nona, item eodem ordine celebretur oratio, Verſus, Hymni earundem Horarum, terni Pſalmi, Lectio, Verſus, kyrie eleyſon, & miſſæ ſint. Si maior congregatio fuerit, cum Antiphonis: ſi verò minor, in directum pſallantur. Veſpertina autem Synaxis quatuor Pſalmis cum Antiphonis terminetur: poſt quos Pſalmos Lectio recitanda eſt, inde Reſponſorium, Ambroſianum, Verſus, Canticum de Euangelio, Litania, & oratio Dominica, & fiant miſſæ. Completorium autem trium Pſalmorum dictione terminetur. Qui Pſalmi directanei ſine Antiphona dicendi ſunt: poſt quos

Hymnus

Hymnus eiusdem horæ, Lectio vna, Versus, kyrie eleison, & benedictio, & missæ fiant.

## *Quo ordine Psalmi dicendi sunt. Cap. XVIII.*

IN primis semper diurnis horis dicatur Versus, Deus in adiutorium meum intende, & Gloria. Inde Hymnus vniuscuiusque horæ. Deinde prima hora Dominica dicenda, quatuor Capitula Psalmi centesimi octaui decimi dicantur. Reliquis verò horis, idest, Tertia, Sexta, Nona, terna Capitula supradicti Psalmi centesimi octaui decimi dicantur. Ad primam autem secundæ feriæ, dicantur tres Psalmi, idest, primus, secundus, & sextus; & ita per singulos dies ad primam, vsque ad Dominicam dicantur per ordinem terni Psalmi vsque ad nonum decimum Psalmum; ita sanè, vt nonus Psalmus, & septimus decimus diuidantur in binas Glorias; & sic fiat, vt ad Vigilias Dominica semper a vigesimo incipiatur. Ad Tertiam verò, Sextam, & Nonam secundæ feriæ nouem capitula, quæ residua sunt de centesimo octauo decimo Psalmo, ipsa terna per easdem Horas dicantur. Expenso igitur Psalmo centesimo octauo decimo duobus diebus, idest, Dominica, & secunda feria; tertia feria, iam ad Tertiam, Sextam, vel Nonam psallantur terni Psalmi a centesimo nono decimo vsque ad centesimum vigesimum septimum, Psalmi nouem. Quique Psalmi semper vsque ad Dominicam per easdem horas itidem repetantur: Hymnorum nihilominus, Lectionum, vel Versuum dispositione vniformi cunctis diebus seruata, & ita scilicet, vt semper Dominica a centesimo octauo decimo incipiatur. Vespera autem quotidie quatuor Psalmorum modulatione canatur. Qui Psalmi incipiantur a centesimo nono, vsque centesimum quadragesimum septimum, exceptis his qui in diuersis horis ex eis sequestrantur, idest a centesimo decimo septimo, vsque ad centesimum vigesimum septimum, & centesimo trigesimo tertio, & centesimo quadragesimo secundo. Reliqui omnes in Vespera dicendi sunt. Et quia minus veniunt tres Psalmi, ideo diuidendi sunt, qui in numero supradicto fortiores inueniuntur, idest, centesimus trigesimus octauus, & centesimus quadragesimus tertius, & centesimus quadragesimus quartus. Centesimus verò sextus decimus, quia paruus est, cum centesimo quintodecimo coniungatur. Digesto ergo ordine Psalmorum vespertinorum, reliqua, idest Lectiones, Responsoria, Hymni, Versus, vel Cantica, sicut suprà taxauimus, impleantur. Ad Completorium verò quotidie ijdem Psalmi repetantur, idest, quartus, nonagesimus, & centesimus trigesimus tertius. Disposito ordine psalmodiæ diurnæ, reliqui omnes Psalmi, qui supersunt, æqualiter diuidantur in septem noctium Vigilias, partiendo scilicet qui inter eos prolixiores sunt Psalmi: & duodecim per vnamquamque constituantur noctem. Hoc præcipuè commonentes, vt si cui fortè hæc distributio Psalmorum displicuerit, ordinet si melius aliter iudicauerit dum omnimodis id attendatur, vt omni hebdomada Psalterium ex integro numero centum quinquaginta Psalmorum psallatur, & Dominico die semper a capite repetatur ad Vigilias. Quia

nimis

nimis iners deuotionis suæ seruitium ostendunt Monachi, qui minùs Psalterio cum Canticis consuetudinarijs per septimanæ circulum psallunt, dum legamus, sanctos Patres nostros vno die strenuè impleuisse, quod nos tepidi vtinam, septimana integra persoluamus.

### *De disciplina psallendi. Cap. XIX.*

VBique credimus diuinam esse præsentiam, & oculos Domini in omni loco speculari bonos, & malos. Maximè tamen hoc sine aliqua dubitatione credamus, cum ad opus diuinum assistimus. Ideo semper memores simus, quod ait Propheta. Seruite Domino in timore. Et iterum. Psallite sapienter. Et, In conspectu Angelorum psallam tibi. Ergo consideremus qualiter oporteat nos in conspectu Diuinitatis, & Angelorum esse; & sic stemus ad psallendum, vt mens nostra concordet voci nostræ.

### *De reuerentia orationis. Cap. XX.*

SI cum hominibus potentibus volumus aliqua suggerere, non præsumimus nisi cum humilitate, & reuerentia: quantò magis Domino Deo vniuersorum cum omni humilitate, & puritatis deuotione supplicandum est? Et non in multiloquio, sed in puritate cordis, & compunctione lacrymarum nos exaudiri sciamus. Et ideo breuis debet esse, & pura oratio, nisi fortè ex affectu inspirationis diuinæ gratiæ protendatur. In Conuentu tamen omnino breuietur oratio; & facto signo a Priore, omnes pariter surgant.

### *De Decanis Monasterij. Cap. XXI.*

SI maior fuerit Cognregatio, eligantur de ipsis fratres boni testimonij, & sanctæ conuersationis, & constituantur Decani, qui sollicitudinem gerant super decanias suas in omnia secundùm mandata Dei, & præcepta Abbatis sui. Qui Decani tales eligantur, in quibus securus Abbas partiatur onera sua. Et non eligantur per ordinem, sed secundùm vitæ meritum, & sapientiæ doctrinam. Quod si quis ex eis aliqua fortè inflatus superbia repertus fuerit reprehensibilis; correptus semel, & iterum, atque tertiò, si emendari noluerit, deijciatur: & alter in loco eius, qui dignus est, subrogetur. Et de Præposito eadem constituimus.

### *Quomodo dormiant Monachi. Cap. XXII.*

SInguli per singula lecta dormiant. Lectisternia pro modo conuersationis secundùm dispositionem Abbatis sui accipiant. Si potest fieri, omnes in vno loco dormiant. Si autem multitudo non sinit; deni, aut viceni cum senioribus suis, qui super eos solliciti sint, pausent. Candela iugiter in eadem cella ardeat vsque mane. Vestiti dormiant, & cincti cingulis, aut funibus;

funibus; & cultellos ad latus non habeant dum dormiunt, ne fortè per ſomnum vulnerentur dormientes. Et vt parati ſint Monachi ſemper, & facto ſigno, abſque mora ſurgentes, feſtinent inuicem ſe præuenire ad opus Dei, cum omni tamen grauitate, & modeſtia. Adoleſcentiores fratres iuxta ſe non habeant lecta; ſed permixti cum ſenioribus. Surgentes verò, ad opus Dei inuicem ſe moderatè cohortentur propter ſomnolentorum excuſationes.

### *De excommunicatione culparum.* Cap. XXIII.

SI quis frater contumax, aut inobediens, aut ſuperbus, aut murmurans, vel in aliquo contrarius exiſtens ſanctæ Regulæ, & præceptis ſeniorum ſuorum, contemptor repertus fuerit; hic ſecundum Domini noſtri præceptum admoneatur ſemel, & ſecundò ſecretò a ſenioribus ſuis. Si non emendauerit, obiurgetur publicè coram omnibus: ſi vero neque ſic correxerit, ſi intelligit qualis pœna ſit, excommunicationi ſubiaceat. Si autem improbus eſt, vindictæ corporali ſubdatur.

### *Qualis debeat eſſe modus excommunicationis.* Cap. XXIV.

SEcundum modum culpæ, excommunicationis, vel diſciplinæ debet extendi menſura. Qui culparum modus in Abbatis pendeat iudicio. Si quis tamen frater in leuioribus culpis inuenitur; tantùm a menſæ participatione priuetur. Priuati autem a menſæ conſortio, iſta erit ratio, vt in oratorio Pſalmum, aut Antiphonam non imponat, neque Lectionem recitet vſque ad ſatisfactionem. Refectionem autem cibi poſt fratrum refectionem ſolus accipiat menſura, vel hora, qua præuiderit Abbas ei competere. Vt ſi (verbi gratia) fratres reficiunt ſexta hora, ille frater nona: ſi fratres nona, ille veſpertina; vſque dum ſatisfactione congrua veniam conſequatur,

### *De grauioribus culpis.* Cap. XXV.

IS frater qui grauioris culpæ noxa tenetur, ſuſpendatur a menſa ſimul, & ab oratorio: nullus, ei fratrum in vllo iungatur conſortio, neque in colloquio. Solus ſit ad opus ſibi iniunctum, perſiſtens in pœnitentiæ luctu, ſciens illam terribilem Apoſtoli ſententiam dicentis: Traditum huiuſmodi hominem Satanæ in interitum carnis, vt ſpiritus ſaluus ſit in die Domini. Cibi autem refectionem ſolus percipiat menſura, vel hora, qua præuiderit ei Abbas competere: nec a quoquam benedicatur tranſeunte, neque cibus, qui ei datur.

### *De his, qui sine iussione Abbatis iungunt se excommunicatis. Cap. XXVI.*

SI quis frater præsumpserit sine iussione Abbatis fratri excommunicato quolibet modo se iungere, aut loqui cum eo, vel mandatum ei dirigere, similem sortiatur excommunicationis vindictam,

### *Qualiter debet esse sollicitus circa excommunicatos. Cap. XXVII.*

OMni sollicitudine curam gerat Abbas circa delinquentes fratres, quia non est opus sanis medicus, sed male habentibus. Et ideo vti debet omni modo, vt sapiens medicus: immittere quasi occultos consolatores senipetas, idest, seniores sapientes fratres, qui quasi secretè consolentur fratrem fluctuantem, & prouocent eum ad humilitatis satisfactionem. Et consolentur eum, ne abundantiori tristitia absorbeatur; sed sicut ait Apostolus: Confirmetur in eo charitas, & oretur pro eo ab omnibus. Magnopere enim debet sollicitudinem gerere Abbas circa delinquentes fratres, & omni sagacitate, & industria curare, ne aliquam de ouibus sibi creditis perdat. Nouerit enim se infirmarum curam suscepisse animarum, non super sanas tyrannidem. Et metuat Prophetæ comminationem, per quem dicit Deus: Quod crassum videbatis, assumebatis: & quod debile erat, proijciebatis. Et Pastoris boni pium imitetur exemplum, qui relictis nonaginta nouem ouibus in montibus, abiit vnam ouem, quæ errauerat, quærere. Cuius infirmitati in tantum compassus est, vt eam in sacris humeris suis dignaretur imponere, & sic reportare ad gregem.

### *De his qui sæpius correpti, non emendauerint. Cap. XXVII.*

SI quis frater frequenter correptus pro qualibet culpa, si etiam excommunicatus non emendauerit, acrior ei accedat correctio, idest, vt verberum vindicta in eum procedat: Quòd si nec ita se correxerit, aut fortè (quod absit) in superbiam elatus, etiam defendere voluerit opera sua, tunc Abbas faciat quod sapiens medicus. Si exhibuit fomenta, si vnguenta adhortationum, si medicamina scripturarum diuinarum, si ad vltimum vstionem excommunicationis, vel plagas virgarum, & iam si viderit nihil suam praualere industriam: adhibeat etiam, quod maius est, suam, & omnium fratrum pro eo orationem, vt Dominus, qui omnia potest, operetur salutem circa infirmum fratrem. Quòd si nec isto modo sanatus fuerit, tunc iam vtatur Abbas ferro abscissionis, vt ait Apostolus: Auferte malum ex vobis. Et iterum: Infidelis si discedit, discedat: ne vna ouis morbida omnem gregem contaminet.

### *Si debeant Fratres iterum recipi, de Monaſterio exeuntes. Cap.* XXIX.

FRater, qui proprio vitio egreditur, aut proijcitur de Monaſterio, ſi reuerti voluerit, ſpondeat prius omnem emendationem vitij, pro quo egreſſus eſt; & ſic in vltimo gradu recipiatu., vt ex hoc eius humilitas comprobetur. Quòd ſi denuò exierit, vſque tertio ita recipiatur. Iam verò poſtea ſciat omnem ſibi reuerſionis aditum denegari.

### *De pueris minori ætate, qualiter corripiantur. Cap.* XXX.

OMnis ætas, vel intellectus proprias debet habere menſuras. Ideoque quotiens pueri, vel adoleſcentiores ætate, aut qui minùs intelligere poſſunt quanta pœna ſit excommunicationis; hi tales dum delinquunt, aut ieiunijs nimis affligantur, aut acribus verberibus coerceantur, vt ſanentur.

### *De Cellerario Monaſterij, qualis ſit. Cap.* XXXI.

CEllerarius Monaſterij eligatur de Congregatione, ſapiens, maturis moribus, ſobrius, non multum edax, non elatus, non turbulentus, non iniurioſus, non tardus, non prodigus, ſed timens Deum, qui omni Congregationi ſit ſicut pater. Curam gerat de omnibus: ſine iuſſione Abbatis nihil faciat: quæ iubentur cuſtodiat: fratres non contriſtet. Si quis autem frater ab eo fortè aliquid irrationabiliter poſtulat, non ſpernendo eũ contriſtet, ſed rationabiliter cum humilitate malè petenti deneget. Animam ſuam cuſtodiat: memor ſemper illius Apoſtolici præcepti, quia, qui bene miniſtrauerit, gradum bonum ſibi acquirit. Infirmorum, infantum, hoſpitum, pauperumque cum omni ſollicitudine curam gerat, ſciens ſine dubio, quia pro his omnibus in die iudicij rationem redditurus eſt. Omnia vaſa Monaſterij, cunctamque ſubſtantiam, ac ſi altaris vaſa ſacrata conſpiciat: nihil ducat negligendum: neque auaritiæ ſtudeat: neque prodigus ſit, aut extirpator ſubſtantiæ Monaſterij: ſed omnia menſuratè faciat, & ſecundùm iuſſionem Abbatis. Humilitatem ante omnia habeat, & cui ſubſtantia non eſt quæ tribuatur, ſermo reſponſionis porrigatur bonus: vt ſcriptum eſt. Sermo bonus ſuper datum optimum. Omnia quæ ei iniunxerit Abbas, ipſa habeat ſub cura ſua; a quibus eum prohibuerit, non præſumat. Fratribus conſtitutam annonam ſine aliquo typo, vel mora offerat, vt non ſcandalizentur; memor diuini eloquij, quid mereatur, qui ſcandalizauerit vnum de puſillis. Si Congregatio maior fuerit, ſolatia ei dentur, a quibus adiutus, & ipſe æquo animo impleat officium ſibi commiſſum. Horis competentibus dentur, quæ danda ſunt, & petantur quæ petenda ſunt: vt nemo perturbetur, neque contriſtetur in domo Dei.

*De*

### *De ferramentis, vel rebus Monasterij.* Cap. XXXII.

SVbstantia Monasterij in ferramentis, vel vestibus, seu quibuslibet rebus, prouideat Abbas fratres, de quorum vita, & moribus securus sit, & eis singula, vt vtile iudicauerit, consignet custodienda atque recolligenda. Ex quibus Abbas breuem teneat; vt dùm sibi in ipsa assignata fratres vicissim succedunt, sciat quid dat, aut quid recipit. Si quis autem sordidè, aut negligenter res Monasterij tractauerit, corripiatur. Si non emendauerit, disciplinæ Regulari subiaceat.

### *Si debeant Monachi proprium aliquid habere.* Cap. XXXIII.

PRæcipuè hoc vitium radicitùs amputetur de Monasterio, ne quis præsumat aliquid dare, aut accipere sine iussione Abbatis, neque aliquid habere proprium: nullam omnino rem, neque codicem, neque tabulas, neque graphium, sed nihil omnino: quippe quibus nec corpora sua, nec voluntates licet habere in propria potestate. Omnia verò necessaria a parte Monasterij sperare; nec quicquam liceat habere, quod Abbas non dederit, aut permiserit. Omniaque omnibus sint communia, vt scriptum est; nec quisquam suum esse aliquid dicat, vel præsumat. Quòd si quisquam hoc nequissimo vitio deprehensus fuerit delectari, admoneatur semel, & iterum: si non emendauerit, correptioni subiaceat.

### *Si omnes æqualiter debeant necessaria accipere.* Cap. XXXIV.

SIcut scriptum est: Diuidebatur singulis, prout cuique opus erat. Vbi non dicimus, vt personarum (quod absit) acceptio sit; sed infirmitatum consideratio. Vbi qui minus indiget, agat Deo gratias, & non contristetur. Qui verò plùs indiget, humilietur pro infirmitate, non extollatur pro misericordia; & ita omnia membra erunt in pace. Ante omnia admonemus ne murmurationis malum pro qualicunque causa, in aliquo qualicunque verbo, vel significatione appareat. Quòd si deprehensus fuerit quis, districtiori disciplinæ subdatur.

### *De septimanarijs coquinæ.* Cap. XXXV.

FRatres sic sibi inuicem seruiant vt nullus excusetur a coquinæ officio, nisi aut ægritudine, aut in causa grauis vtilitatis quis occupatus fuerit: quia exinde maior merces, & charitas acquiritur. Imbecillibus autem procurentur solatia, vt non cum tristitia hoc faciant, sed habeant omnes solatia secundùm modum Congregationis, aut positionem loci. Si maior Congre-

gatio fuerit, Cellerarius excusetur a coquina, vel si qui (vt diximus) maioribus vtilitatibus occupantur. Cæteri verò sibi sub charitate inuicem seruiant. Egressurus de septimana, Sabbato munditias faciat. Lintea, cum quibus sibi fratres manus, aut pedes tergunt, lauent. Pedes verò tam ipse qui egreditur, quam ille, qui intraturus est, omnibus lauent. Vasa ministerij sui munda, & sana Cellerario reconsignet. Qui Cellerarius item intranti consignet, vt sciat quid dat, aut quid recipit. Septimanarij autem ante vnam horam refectionis accipiant super statutam annonam singulos biberes, & panem; vt hora refectionis sine murmuratione, & graui labore seruiant fratribus suis. In diebus autem solemnibus, vsque ad Missas sustineant. Intrantes, & exeuntes hebdomadarij, in oratorio mox Matutinis finitis Dominica, omnium genibus prouoluantur postulantes pro se orari. Egredientes autem de septimana, dicant hunc Versum: Benedictus es Domine Deus, qui adiuuasti me, & consolatus es me. Quo dicto tertiò, accipiat benedictionem egrediens. Subsequatur ingrediens, & dicat: Deus in adiutorium meum intende: Domine ad adiuuandum me festina. Et hoc idem tertiò repetatur ab omnibus; & accepta benedictione, ingrediatur.

## *De infirmis Fratribus. Cap. XXXVI.*

INfirmorum cura ante omnia, & super omnia adhibenda est; vt sicut reuera Christo, ita eis seruiatur, quia ipse dixit: Infirmus fui, & visitastis me. Et, quod fecistis vni de his minimis meis, mihi fecistis. Sed & ipsi infirmi considerent in honorem Dei sibi seruiri, & non superfluitate sua contristent fratres suos seruientes sibi. Qui tamen patienter portandi sunt, quia de talibus copiosior merces acquiritur. Ergo cura maxima sit Abbati, ne aliquam negligentiam patiantur. Quibus fratribus infirmis sit cella super se deputata, & seruitor timens Deum, & diligens, ac sollicitus. Balnearum vsus infirmis quotiens expedit, offeratur: sanis autem, & maximè iuuenibus, tardiùs concedatur. Sed & carnium esus infirmis omnino, debilibusque pro reparatione, concedatur. At vbi meliorati fuerint, a carnibus, more solito, omnes abstineant. Cura autem maxima sit Abbati, ne a Cellerarijs, aut seruitoribus negligantur infirmi, quia ad ipsum respicit, quicquid a discipulis delinquitur.

## *De senibus, vel infantibus. Cap. XXXVII.*

LIcet ipsa natura humana trahatur ad misericordiam in his ætatibus, senum videlicet, & infantum: tamen, & regulæ authoritas eis prospiciat. Consideretur semper in eis imbecillitas, & nullatenus ei districtio Regulæ teneatur in alimentis: sed sit in eis pia consideratio, & præueniant horas canonicas.

De

*De hebdomadario Lectore. Cap. XXXVIII.*

MEnsis fratrum edentium lectio deesse non debet: nec fortuito casu, qui arripuerit Codicem, legere audeat ibi; sed lecturus tota hebdomada, Dominica ingrediatur. Qui ingrediens post Missas, & communionem, petat ab omnibus pro se orari, vt auertat ab ipso Deus spiritum elationis. Et dicatur hic Versus in Oratorio tertiò ab omnibus, ipso tamen incipiente: Domine labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam. Et sic accepta benedictione, ingrediatur ad legendum. Summumque fiat silentium ad mensam, vt nullius mussitatio, vel vox, nisi solius legentis, ibi audiatur. Quæ verò necessaria sunt comedentibus, & bibentibus, sic sibi inuicem ministrent frátres, vt nullus indigeat petere aliquid. Si quid tamen opus fuerit, sonitu cuiuscunque signi potiùs petatur, quàm voce. Nec præsumat ibi aliquis de ipsa lectione, aut aliunde quicquam referre, ne detur occasio: nisi fortè Prior pro ædificatione voluerit aliquid breuiter dicere. Frater autem hebdomadarius accipiat mixtum priùs quàm incipiat legere, propter communionem sanctam: & ne fortè graue sit ei ieiunium sustinere. Postea autem cum coquinæ hebdomadarijs, & seruitoribus reficiat. Fratres autem non per ordinem legant, aut cantent, sed qui ædificent audientes.

*De mensura ciborum. Cap.* XXXIX.

SVfficere credimus ad refectionem quotidianam tam sextæ, quàm nonæ, omnibus mensibus cocta duo pulmentatia, pro diuersorum infirmitatibus; vt fortè qui ex vno non potuerit edere, ex altero reficiatur. ergo duo pulmentaria cocta fratribus sufficiant. Et si fuerint inde poma, aut nascentia leguminum, addatur & tertium. Panis libra vna propensa sufficiat in die, siue vna sit refectio, siue prandij, & cœnæ. Quòd si cœnaturi sunt, de eadem libra tertia pars a Cellerario reseruetur, reddenda cœnaturis. Quòd si labor fortè factus fuerit maior, in arbitrio, & potestate Abbatis erit, si expediat aliquid augere, remota præ omnibus crapula, vt nunquam Monacho subrepat indigeries. Quia nihil sic contrarium est omni Christiano, quomodo crapula, sicut ait Dominus noster: Videte ne grauentur corda vestra in crapula, & ebrietate. Pueris verò minori ætate non eadem seruetur quantitas: sed minor quàm maioribus, seruata in omnibus parcitate. Carnium quadrupedum omnino ab omnibus abstineatur comestio: præter omnino debiles, & ægrotos.

*De mensura potus. Cap. XL.*

VNusquisque proprium habet donum ex Deo, alius sic, alius verò sic. Et ideo cum aliqua scrupulositate a nobis mensura victus aliorum consti-

tuitur. Tamen infirmorum contuentes imbecillitatem, credimus heminam vini per singulos sufficere per diem. Quibus autem donat Deus tolerantiam abstinentiæ, propriam se habituros mercedem sciant. Quòd si aut loci necessitas, aut labor, aut ardor æstatis amplius poposcerit, in arbitrio Prioris consistat: considerando in omnibus ne subrepat satietas, vel ebrietas. Licèt legamus vinum omnino Monachorum non esse; sed quia nostris temporibus id Monachis persuaderi non potest, saltem vel hoc consentiamus, vt non vsque ad satietatem bibamus, sed parcius: quia vinum apostatare facit etiam sapientes. Vbi autem necessitas loci exposcit, vt nec suprascripta mensura inueniri possit, sed multò minùs, aut ex toto nihil; benedicant Deum, qui ibi habitant, & non murmurent. Hoc ante omnia admonemus, vt absque murmurationibus sint.

## *Quibus horis oporteat reficere fratres. Cap. XLI.*

A Sancto Pascha vsque ad Pentecosten ad sextam reficiant fratres: & ad seram cœnent. A Pentecoste autem tota æstate, si labores agrorum non habent Monachi, aut nimietas æstatis non perturbat, quarta, & sexta feria ieiunent vsque ad nonam; reliquis diebus ad sextam prandeant. Quæ prandij sexta, si opera in agris habuerint, aut æstatis feruor nimius fuerit, continuanda erit: & in Abbatis sit prouidentia. Et sic omnia temperet, atque disponat, qualiter animæ saluentur, & quod faciunt fratres, absque vlla murmuratione faciant. Ab idibus autem Septembris, vsque ad caput Quadragesimæ, ad nonam semper reficiant. In Quadragesima verò vsque ad Pascha ad vesperam reficiant. Ipsa tamen vespera sic agatur, vt lumine lucernæ non indigeant reficientes: sed luce adhuc diei omnia consummentur. Sed & omni tempore siue cœnæ, siue refectionis hora sic temperetur, vt cum luce diei fiant omnia.

## *Vt post Completorium nemo loquatur. Cap. XLII.*

OMni tempore silentio debent studere Monachi: maximè tamen nocturnis horis. Et ideo omni tempore siue ieiunij, siue prandij, si tempus fuerit prandij, mox vt surrexerint à cœna, sedeant omnes in vnum: & legat vnus Collationes, vel vitas Patrum, aut certè aliud, quod ædificet audientes, non autem Eptaticum aut Regum. Quia infirmis intellectibus non erit vtile illa hora hanc scripturam audire: alijs verò horis legantur. Si autem ieiunij dies fuerit: dicta Vespera, paruo interuallo, mox accedant ad lectionem Collationum, vt diximus: & lectis quatuor, aut quinque folijs, vel quantum hora permittit, omnibus in vnum occurrentibus, per hanc moram lectionis: si quis fortè in assignato sibi commisso fuerit occupatus, occurrat. Omnes ergo in vnum congregati compleant. Et exeuntes a Completorio, nulla sit licentia denuò cuiquam loqui aliquid. Quòd si inuentus fuerit quisquam præuaricari hanc taciturnitatis regulam, grauiori vindictæ subiaceat:

excepto

excepto si necessitas hospitum superuenerit: aut fortè Abbas alicui aliquid iusserit; quod tamen, & ipsum cum summa grauitate, & moderatione honestissimè fiat.

### *De his, qui ad Opus Dei, vel ad mensam tardè occurrerint. Cap. XLIII.*

AD horam diuini Officij, mox vt auditum fuerit signum, relictis omnibus, quælibet fuerint in manibus, summa cum festinatione curratur; cum grauitate tamen, vt non scurrilitas inueniat fomitem. Ergo nihil operi Dei præponatur. Quòd si quis ad nocturnas Vigilias post Gloriam Psalmi nonagesimi quarti (quem propter hoc omnino protrahendo, & morosè volumus dici) occurrerit, non stet in ordine suo in choro, sed vltimus omnium stet: aut in loco, quem talibus negligentibus seorsum constituerit Abbas: vt videatur ab ipso, vel ab omnibus, vsque dum completo opere Dei, publica satisfactione pœniteat. Ideo autem eos in vltimo, aut seorsum iudicauimus debere stare, vt visi ab omnibus, vel pro ipsa verecundia sua, emendentur. Nam si extra Oratorium remaneant, erit fortè talis, qui se, aut recollocet, & dormiat, aut certè sedeat foris, vel fabulis vacet, & detur occasio maligno. Sed ingrediatur intro, vt nec totum perdat, & de reliquo emendetur. Diurnis autem Horis, qui ad opus Dei post Versum, & Gloriam primi Psalmi, qui post Versum dicitur, occurrerit, lege, qua superius diximus, in vltimo stet loco: nec præsumat sociari choro psallentium vsque ad satisfactionem, nisi fortè Abbas licentiam dederit permissione sua. ita tamen, vt satisfaciat reus ex hoc. Ad horam verò refectionis, qui ante Versum non occurrerit, vt simul omnes dicant Versum, & orent, & sub vno simul omnes accedant ad mensam: qui per negligentiam suam, aut vitium non occurrerit, vsque ad secundam vicem propter id corripiatur. Si denuò non emendauerit, non permittatur ad mensæ communis participationem; sed sequestratus a consortio omnium, reficiat solus, ablata ei portione sua vini vsque ad satisfactionem, & emendationem. Similiter autem patiatur, qui ad illum Versum non fuerit præsens, qui post cibum dicitur. Nec quisquam præsumat ante statutam horam, aut postea, quicquam cibi, aut potus sumere. Sed & si cui offertur aliquid a Priore, & accipere renuerit: hora qua desiderauerit, hoc quod prius recusauit, aut aliud omnino, non percipiat, vsque ad emendationem congruam.

### *De his, qui excommunicantur, quomodo satisfaciant. Cap. XLIV.*

QVi pro grauioribus culpis ab Oratorio, & a mensa excommunicatur, hora qua opus Dei in Oratorio percelebratur, ante fores Oratorij prostratus iaceat, nihil dicens: nisi tantùm posito in terra capite, prostratus pronus omnium de Oratorio exeuntium pedibus se proijciat. Et hoc tam-

diu faciat, vſque dum Abbas iudicauerit ſatisfactum eſſe. Qui dum iuſſus ab Abbate venerit, prouoluat ſe pedibus ipſius Abbatis, deinde omnium veſtigijs fratrum, vt orent pro eo. Et tunc, ſi iuſſerit Abbas, recipiatur in choro, vel ordine quo Abbas decreuerit: ità planè vt Pſalmum, aut Lectionem, vel aliud quid non præſumat in Oratorio imponere, niſi iterum Abbas iubeat. Et omnibus Horis, dum completur opus Dei, proijciat ſe in terram in loco, quo ſtat; & ſic ſatisfaciat, vſque dum ei iubeat Abbas, vt quieſcat iam ab hac ſatisfactione. Qui verò pro leuibus culpis excommunicantur tantùm a menſa; in Oratorio ſatisfaciant vſque ad iuſſionem Abbatis. Et hoc ſemper faciant, vſque dum benedicat, & dicat, Sufficit.

### *De his, qui falluntur in Oratorio.* Cap. XLV.

SI quis dum pronuntiat Pſalmum, aut Reſponſorium, aut Antiphonam, vel Lectionem, fallitur: niſi cum ſatisfactione ibi coram omnibus humiliatus fuerit, maiori vindictæ ſubiaceat; quippe qui noluit humilitate corrigere, quod negligentia deliquit. Infantes verò pro tali culpa vapulent.

### *De his, qui in aliquibus rebus leuibus delinquunt.* Cap. XLVI.

SI quis dum in labore quouis, in coquina, in cellerario, in miniſterio, in piſtrino, in horto, in arte aliqua, dum laborat, vel in quocunque loco aliquid deliquerit, aut fregerit quippiam, aut perdiderit, vel aliud quid exceſſerit vbiubi: & non veniens continuò ante Abbatem, vel Congregationem, ipſe vltrò ſatisfecerit, & prodiderit delictum ſuum; dum per alium cognitum fuerit, maiori ſubiaceat emendationi. Si animæ verò peccati cauſa latens fuerit, tantùm Abbati, aut ſpiritualibus ſenioribus pateſaciat: qui ſciant curare ſua vulnera, & aliena, non detegere, aut publicare.

### *De ſignificanda hora operis Dei.* Cap. XLVII.

NVncianda hora operis Dei die noctuque, ſit cura Abbati, aut ipſe nunciare, aut tali ſollicito fratri iniungat hanc curam, vt omnia horis competentibus compleantur: Pſalmos autem, vel Antiphonas poſt Abbatem ordine ſuo, quibus iuſſum fuerit, imponant. Cantare autem, & legere non præſumat, niſi qui poteſt ipſum officium implere: vt ædificentur audientes. Quod cum humilitate, & grauitate, ac tremore faciat, & cui iuſſerit Abbas.

### *De opere manuum quotidiano.* Cap. XLVIII.

OTioſitas inimica eſt animæ. Et ideo certis temporibus occupari debent fratres in labore manuum, certis iterum horis in lectione diuina. Ideoque hac diſpoſitione credimus vtraque tempora ordinari: ideſt, vt a Paſcha vſque ad kalend. Octobris manè exeuntes a Prima vſque ad horam

penè

penè quartam laborent, quod necessarium fuerit. Ab hora autem quarta vsque ad horam quasi sextam Lectioni vacent: post sextam autem surgentes a mensa, pausent in lectis suis cum omni silentio: aut fortè, qui voluerit legere, sibi sic legat, vt alium non inquietet. Et agatur Nona temperiùs mediante octaua hora: & iterum quod faciendum est, operentur vsque ad Vesperum. Si autem necessitas loci, aut paupertas exegerit, vt ad fruges colligendas per se occupentur, non contristentur: quia tunc verè Monachi sunt, si labore manuum suarum viuunt: sicut & patres nostri, & Apostoli. Omnia tamen mensuratè fiant propter pusillanimes. A kalen. autem Octobris vsque ad caput Quadragesimæ, vsque ad horam secundam plenam lectioni vacent: hora secunda agatur Tertia; & vsque ad horam Nonam omnes in opus suum laborent, quod eis iniungitur. Facto autem primo signo horæ Nonæ, disiungant se ab opere suo singuli: & sint parati, dum secundum signum pulsauerit. Post refectionem autem vacent Lectionibus suis, aut Psalmis. In Quadragesimæ verò diebus a mane vsque ad Tertiam plenam Lectioni vacent: & vsque ad decimam horam plenam operentur, quod eis iniungitur. In quibus diebus Quadragesimæ accipiant omnes singulos Codices de Bibliotheca, quos per ordinem ex integro legant: qui Codices in caput Quadragesimæ dandi sunt. Ante omnia sanè deputetur vnus, aut duo seniores, qui circumeant Monasterium horis, quibus vacant fratres Lectioni, & videant ne fortè inueniatur frater accidiosus, qui vacet ocio, aut fabulis; & non est intentus Lectioni: & non solum sibi inutilis est, sed etiam alios extollit. Hic talis si (quod absit) repertus fuerit, corripiatur semel, & secundò: si non emendauerit, correctioni regulari subiaceat; & taliter, vt cæteri metum habeant. Neque frater ad fratrem iungatur horis incompetentibus. Dominico die Lectioni vacent omnes: exceptis his, qui varijs officijs deputati sunt. Si quis verò ita negligens, & desidiosus fuerit, vt non velit, aut non possit meditari, aut legere, iniungatur ei opus quod faciat, vt non vacet. Fratribus infirmis, vel delicatis talis opera, aut ars iniungatur, vt nec ociosi sint, nec violentia laboris opprimantur, vt effugentur. Quorum imbecillitas ab Abbate consideranda est.

## *De Quadragesimæ obseruatione. Cap. XLIX.*

LIcet omni tempore vita Monachi Quadragesimæ obseruationem debet habere: tamen quia paucorum est ista virtus, ideo suademus istis diebus Quadragesimæ omni puritate vitam suam custodire, omnes pariter negligentias aliorum temporum his diebus sanctis diluere. Quod tunc dignè fit, si ab omnibus vitijs nos temperemus, orationi cum fletibus, lectioni, & compunctioni cordis atque abstinentiæ operam demus. Ergo his diebus augeamus nobis aliquid ad solitum pensum seruitutis nostræ: orationes peculiares, ciborum, & potus abstinentiam: & vnusquisque supra mensuram sibi indictam aliquid propria voluntate, cum gaudio sancti Spiritus offerat Deo, idest, subtrahat corpori suo de cibo, de potu, de somno, de loquacitate,

tate, de ſcurrilitate, & cum ſpiritualis deſiderij gaudio ſanctum Paſcha expectet. Hoc ipſum tamen quod vnuſquiſque offert, Abbati ſuo ſuggerat, & cum eius fiat oratione, & voluntate. Quia quod ſine permiſſione patris ſpiritualis fit, præſumptioni deputabitur, & vanæ gloriæ, non mercedi. Ergo cum voluntate Abbatis omnia facienda ſunt.

### *De fratribus, qui longè ab Oratorio laborant, aut in via ſunt. Cap. L.*

FRatres, qui omnino longè ſunt in labore, & non poſſunt occurrere hora competenti ad Oratorium, & Abbas hoc perpendit, quia ita eſt, agant ibidem opus Dei, vbi operantur, cum tremore diuino flectentes genua. Similiter qui in itinere directi ſunt, non eos prætereant horæ conſtitutæ: ſed vt poſſunt agant ſibi, & ſeruitutis penſum non negligant reddere.

### *De fratribus, qui non ſatis longè proficiſcuntur. Cap. LI.*

FRatres, qui pro quouis reſponſo proficiſcuntur, & ea die ſperant reuerti ad Monaſterium, non præſumant foris manducare, etiamſi a quouis rogentur: niſi fortè eis ab Abbate ſuo præcipiatur. Quòd ſi aliter fecerint; excommunicentur.

### *De Oratorio Monaſterij. Cap. LII.*

ORatorium hoc ſit, quod dicitur: nec ibi quicquam aliud geratur, aut condatur. Expleto opere Dei, omnes cum ſummo ſilentio exeant: & agatur reuerentia Deo: vt frater, qui fortè ſibi peculiariter vult orare, non impediatur alterius improbitate. Sed, & ſi alter vult ſibi fortè ſecretiùs orare: ſimpliciter intret, & oret, non in clamoſa voce, ſed in lacrymis, & intentione cordis. Ergo qui ſimile opus non facit, non permittatur explicito opere Dei remorari in Oratorio, ſicut dictum eſt, ne alius impedimentum patiatur.

### *De Hoſpitibus ſuſcipiendis. Cap. LIII.*

OMnes ſuperuenientes hoſpites, tanquam Chriſtus ſuſcipiantur; quia ipſe dicturus eſt: Hoſpes fui, & ſuſcepiſtis me. Et omnibus congruus honor exhibeatur, maximè tamen domeſticis Fidei, & peregrinis. Vt ergo nuntiatus fuerit hoſpes, occurratur ei a Priore, vel a fratribus cum omni officio charitatis: & primitùs orent pariter, & ſic ſibi ſocientur in pace: quod pacis oſculum non priùs offeratur, niſi oratione præmiſſa, propter illuſiones diabolicas. In ipſa autem ſalutatione omnis exhibeatur humilitas. Omnibus venientibus, ſiue diſcedentibus hoſpitibus, inclinato capite, vel proſtrato omni corpore in terra, Chriſtus in eis adoretur, qui & ſuſcipitur. Suſcepti

autem

autem hoſpites ducantur ad orationem: & poſtea ſedeat cum eis Prior, aut cui iuſſerit ipſe. Legatur coram hoſpite Lex Diuina, vt ædificetur, & poſt hæc omnis ei exhibeatur humanitas. Ieiunium a Priore frangatur propter hoſpitem; niſi fortè præcipuus ſit dies ieiunij, qui non poſſit violari. Fratres autem conſuetudinem ieiuniorum proſequantur. Aquam in manibus Abbas hoſpitibus det: pedes verò hoſpitibus omnibus tam Abbas, quàm cuncta Congregatio lauet, quibus lotis, hunc Verſum dicant. Suſcepimus Deus miſericordiam tuam in medio templi tui. Pauperum, & peregrinorum maximè ſuſceptio omni cura ſollicitè exhibeatur: quia in ipſis Chriſtus magis ſuſcipitur. Nam diuitum terror ipſe ſibi exigit honorem.

Coquina Abbatis, & hoſpitum per ſe ſit, vt incertis horis ſuperuenientes hoſpites, qui nunquam deſunt Monaſterio, non inquietent fratres: in quam coquinam ad annum ingrediantur duo fratres, qui ipſum officium bene impleant. Quibus, vt indigent, ſolatia adminiſtrentur, vt abſque murmuratione ſeruiant. Et iterum, quando occupationem minorem habent, exeant vbi eis imperatur in opera. Et non ſolum in ipſis, ſed & in omnibus officijs Monaſterij iſta ſit conſideratio, vt quando indigent, ſolatia accommodentur eis; & iterum quando vacant, obediant imperanti. Item, & cellam hoſpitum habeat aſſignatam frater, cuius animam timor Dei poſſideat, vbi ſint lecti ſtrati ſufficienter, & domus Dei a ſapientibus ſapienter adminiſtretur. Hoſpitibus autem, cui non præcipitur, nullatenus ſocietur, neque colloquatur. Sed ſi obuiauerit, aut viderit: ſalutans humiliter, vt dictum eſt, & petita benedictione, pertranſeat: dicens ſibi non licere colloqui cum hoſpite.

### *Vt non debeat Monachus literas, vel eulogia accipere. Cap. LIV.*

NVllatenus liceat Monacho nec a parentibus ſuis, nec a quoquam hominum, nec ſibi inuicem literas, aut eulogia, vel qualibet munuſcula accipere, aut dare ſine præcepto Abbatis ſui. Quòd ſi etiam a parentibus ſuis ei quicquam directum fuerit, non præſumat ſuſcipere illud, niſi priùs indicatum fuerit Abbati. Quod ſi iuſſerit ſuſcipi, in Abbatis ſit poteſtate, cui illud dare iubeat: & non contriſtetur frater, cui fortè directum fuerat, vt non detur occaſio diabolo. Qui autem aliter præſumpſerit, diſciplinæ regulari ſubiaceat.

### *De veſtimentis, & calceamentis fratrum. Cap. LV.*

VEſtimenta fratribus, ſecundùm locorum qualitatem, vbi habitant, vel aerum temperiem, dentur: quia in frigidis regionibus ampliùs indigetur, in calidis vero minùs. Hæc ergo conſideratio penes Abbatem ſit. Nos tamen mediocribus locis ſufficere credimus Monachis per ſingulos cucullam, & tunicam: cucullam in hyeme villoſam; in æſtate puram, aut vetuſtam, & ſcapulare propter opera: Indumenta pedum, pedules, & caligas. De quarum rerum omnium colore, aut groſſitudine non cauſentur Monachi,

ſed quales inueniri poſſunt in prouincia, qua habitant, aut quod viliùs comparari poteſt. Abbas autem de menſura prouideat, vt non ſint curta ipſa veſtimenta vtentibus eis, ſed menſurata: Accipientes noua, vetera ſemper reddant in præſenti, deponenda in veſtiario propter pauperes. Sufficit enim Monacho duas tunicas, & duas cucullas habere propter noctes, & propter lauare ipſas res. Iam quod ſupra fuerit, ſuperfluum eſt, & amputari debet. Et pedules, & quodcunque eſt vetuſtum, reddant cùm accipiunt nouum. Femoralia hi, qui in via diriguntur, de veſtiario accipiant: qui reuertentes, lota ibi reſtituant. Et cucullæ, & tunicæ ſint aliquanto his, quas habere ſoliti ſunt, modicè meliores: quas exeuntes in viam accipiant de veſtiario, & reuertentes lotas ibi reſtituant.

Stramenta autem lectorum ſufficiant matta, ſagum, lena, & capitale. Quæ tamen lecta frequenter ab Abbate ſcrutanda ſunt propter opus peculiare, ne inueniatur: & ſi cui inuentum fuerit, quod ab Abbate non acceperit, grauiſſimæ diſciplinæ ſubiaceat. Et vt hoc vitium peculiare radicitùs amputetur, dentur ab Abbate omnia, quæ ſunt neceſſaria, ideſt, cuculla, tunica, pedules, caligæ, bracile, cultellus, graphium, acus, mapula, tabulæ; vt omnis auferatur neceſſitatis excuſatio. A quo tamen Abbate ſemper conſideretur illa ſententia Actuum Apoſtolorum: quia dabatur ſingulis prout cuique opus erat. Ita ergo & Abbas conſideret infirmitates indigentium, non malam voluntatem inuidentium. In omnibus tamen iudicijs ſuis, Dei retributionem cogitet.

## *De menſa Abbatis. Cap. LVI.*

MEnſa Abbatis cum hoſpitibus, & peregrinis ſit ſemper. Quoties tamen minus ſunt hoſpites, quos vult de fratribus vocare, in ipſius ſit poteſtate. Seniores tamen, vnum, aut duos, ſemper cum fratribus dimittendos procuret propter diſciplinam.

## *De artificibus Monaſterij. Cap. LVII.*

ARtifices, ſi ſunt in Monaſterio, cum omni humilitate, & reuerentia, faciant ipſas artes: ſi tamen iuſſerit Abbas. Quòd ſi aliquis ex eis extollitur pro ſcientia artis ſuæ, eo quòd videatur aliquid conferre Monaſterio: hic talis euellatur ab ipſa arte, & denuò per eam non tranſeat: niſi fortè humiliato ei iterum Abbas iubeat. Si quid verò ex operibus artificum venundandum eſt, videant ipſi, per quorum manus tranſigenda ſunt, ne aliquam fraudem præſumant inferre. Memorentur ſemper Ananiæ, & Saphiræ, ne fortè mortem, quam illi in corpore pertulerunt, hanc iſti, vel omnes, qui aliquam fraudem de rebus Monaſterij fecerint, in anima patiantur. In ipſis autem pretijs non ſubrepat auaritiæ malum; ſed ſemper aliquantulum viliùs detur, quàm ab alijs ſecularibus datur, vt in omnibus glorificetur Deus.

De

## *De diſciplina ſuſcipiendorum fratrum.* Cap. LVIII.

Nouiter veniens quis ad conuerſionem, non ei facilis tribuatur ingreſſus. Sed ſicut ait Apoſtolus, Probate ſpiritus, ſi ex Deo ſunt. Ergo ſi veniens perſeuerauerit pulſans; & illatas ſibi iniurias, & difficultatem ingreſſus, poſt quatuor, aut quinque dies viſus fuerit patienter portare, & perſiſtere petitioni ſuæ; annuatur ei ingreſſus, & ſit in cella hoſpitum paucis diebus. Poſtea autem ſit in cella Nouitiorum, vbi meditetur, & manducet, & dormiat. Et ſenior ei talis deputetur, qui aptus ſit ad lucrandas animas: qui ſuper eum omnino curioſè intendat, & ſollicitus ſit, ſi verè Deum quærit: ſi ſollicitus eſt ad opus Dei, ad obedientiam, ad opprobria. Prædicentur ei dura, & aſpera, per quæ itur ad Deum: & ſi promiſerit de ſtabilitate ſua perſeuerantiam, poſt duorum menſium circulum legatur ei hæc Regula per ordinem, & dicatur ei: Ecce lex, ſub qua militare vis: ſi potes obſeruare, ingredere; ſi verò non potes, liber diſcede. Si adhuc ſteterit, tunc ducatur in ſupradictam cellam Nouitiorum, & iterum probetur in omni patientia. Et poſt ſex menſium circulum relegatur ei Regula, vt ſciat ad quod ingreditur. Et ſi adhuc ſtat, poſt quatuor menſes iterum relegatur ei eadem Regula. Et ſi habita ſecum deliberatione promiſerit ſe omnia cuſtodire, & cuncta ſibi imperata ſeruare; tunc ſuſcipiatur in Congregatione, ſciens ſub lege Regulæ conſtitutum, quòd ei ex illa die non liceat egredi de Monaſterio, nec collum excutere de ſub iugo Regulæ, quam ſub tam moroſa deliberatione licuit recuſare, aut ſuſcipere.

Suſcipiendus autem, in Oratorio coram omnibus, promittat de ſtabilitate ſua, & conuerſione morum ſuorum, & obedientia coram Deo, & Sanctis eius; vt, ſi aliquando aliter fecerit, a Deo ſe damnandum ſciat, quem irridet. De qua promiſſione ſua faciat petitionem ad nomen Sanctorum, quorum Reliquiæ ibi ſunt, & Abbatis præſentis. Quam petitionem manu ſua ſcribat: aut certè, ſi non ſcit literas, alter ab eo rogatus ſcribat: & ille Nouitius ſignum faciat; & manu ſua eam ſuper altare ponat. Quam cùm poſuerit, incipiat ipſe Nouitius mox hunc Verſum: Suſcipe me Domine ſecundum eloquium tuum, & viuam, & non confundas me ab expectatione mea. Quem Verſum omnis Congregatio tertiò reſpondeat, adiungenres Gloria Patri. Tunc ipſe frater Nouitius proſternatur ſingulorum pedibus, vt orent pro eo, & iam ex illa hora in Congregatione reputetur. Res, ſi quas habet, aut eroget priùs pauperibus, aut facta ſolemniter donatione, conferat Monaſterio, nihil ſibi reſeruans ex omnibus: quippe qui ex illa die, nec proprij corporis poteſtatem ſe habiturum ſciat. Mox ergo in Oratorio exuatur rebus proprijs, quibus veſtitus eſt, & induatur rebus Monaſterij. Illa autem veſtimenta, quibus exuitur, reponantur in veſtiario conſeruanda: vt ſi aliquando, ſuadente diabolo, conſenſerit vt egrediatur de Monaſterio (quod abſit) tunc exutus rebus Monaſterij, proijciatur. Illam tamen petitionem, quam deſuper altare Abbas tulit, non recipiat; ſed in Monaſterio reſeruetur.

De

### *De filijs nobilium, vel pauperum, qui offeruntur. Cap. LIX.*

SI quis fortè de nobilibus offert filium suum Deo in Monasterio: si ipse puer minori ætate est, parentes eius faciant petitionem, quam supra diximus, & cum oblatione ipsam petitionem, & manum pueri inuoluant palla altaris, & sic eum offerant. De rebus autem suis aut in præsenti petitione promittant sub iureiurando, quia nunquam per se, nunquam per suspectam personam, nec quolibet modo ei aliquando aliquid dent, aut tribuant occasionem habendi. Vel certè, si hoc facere noluerint, & aliquid offerre voluerint in elemosynam Monasterio pro mercede sua: faciant ex rebus, quas dare volunt Monasterio, donationem, reseruato sibi (si ita voluerint) vsufructuario. Atque ita omnia obstruantur, vt nulla suspicio remaneat puero, per quam deceptus perire possit (quod absit) quod experimento didicimus. Similiter autem, & pauperiores faciant. Qui verò ex toto nihil habent, simpliciter petitionem faciant, & cum oblatione offerant filium suum coram testibus.

### *De Sacerdotibus, qui voluerint in Monasterio habitare. Cap. LX.*

SI quis de ordine Sacerdotum in Monasterio se suscipi rogauerit, non ei citius quidem assentiatur. Tamen si omnino persliterit in hac supplicatione, sciat se omnem Regulæ disciplinam seruaturum, nec aliquid ei relaxabitur, vt sit, sicut scriptum est: Amice ad quid venisti? Concedatur ei tamen post Abbatem stare, & benedicere, aut Missas tenere; si tamen iusserit ei Abbas. Sin aliàs, nullatenus aliqua præsumat, sciens se disciplinæ regulari subditum, & magis humilitatis exempla omnibus det. Si fortè ordinationis, aut alicuius rei causa fuerit in Monasterio, illum locum attendat, quando ingressus est in Monasterium, non illum, qui ei pro reuerentia Sacerdotij concessus est. Clericorum autem si quis eodem desiderio Monasterio sociari voluerit, loco mediocri collocetur; si promittit tamen ipse de obseruatione Regulæ, vel propria stabilitate.

### *De Monachis peregrinis, quomodo suscipiantur. Cap. LXI.*

SI quis Monachus peregrinus de longinquis prouincijs superuenerit, si pro hospite voluerit habitare in Monasterio, & contentus fuerit consuetudine loci, quam inuenerit, & non fortè superfluitate sua perturbat Monasterium; sed simpliciter contentus est, quod inuenerit; suscipiatur quanto tempore cupit. Si qua sane rationabiliter, & cum humilitate charitatis reprehendit, aut ostendit, tractet Abbas prudenter, ne fortè ad hoc ipsum Dominus eum direxerit. Si verò postea voluerit stabilitatem suam firmare, non renuatur talis voluntas; & maximè, quia tempore hospitalitatis potuit eius vita dignosci. Quòd si superfluus, aut vitiosus repertus fuerit tempore hospitalitatis

ſpitalitatis, non ſolùm non debet ſociari corpori Monaſterij; verum etiam dicatur ei honeſtè, vt diſcedat, ne eius miſeria etiam alij vitientur. Quòd ſi non fuerit talis, qui mereatur proijci: non ſolùm, ſi petierit, ſuſcipiatur Congregationi ſociandus; verùm etiam ſuadeatur, vt ſtet, vt eius exemplo alij erudiantur, & quia in omni loco, vni Domino ſeruitur, vni Regi militatur. Quem ſi etiam talem eſſe perſpexerit Abbas, liceat eum in ſuperiori aliquantulum conſtituere loco. Non ſolùm autem Monachum, ſed etiam de ſupra ſcriptis gradibus Sacerdotum, vel Clericorum, ſtabilire poteſt Abbas in maiori, quàm ingreditur loco; ſi eorum talem perſpexerit eſſe vitam. Caueat autem Abbas, ne aliquando de alio noto Monaſterio Monachum ad habitandum ſuſcipiat ſine conſenſu Abbatis eius, aut literis commendatitijs; quia ſcriptum eſt: Quòd tibi non vis fieri, alij ne feceris.

## *De Sacerdotibus Monaſterij. Cap. LXII.*

SI quis Abbas ſibi Presbyterum, aut Diaconum ordinari petierit, de ſuis, eligat, qui dignus ſit Sacerdotio fungi. Ordinatus autem caueat elationem, aut ſuperbiam, nec quicquam præſumat, niſi quod ei ab Abbate præcipitur, ſciens ſe multò magis diſciplinæ regulari ſubditum. Nec occaſione Sacerdotij obliuiſcatur Regulæ obedientiam, & diſciplinam; ſed magis ac magis in Deum proficiat. Locum verò illum ſemper attendat, quo ingreſſus eſt Monaſterium, præter officium altaris, & ſi fortè electio Congregationis, & voluntas Abbatis, pro vitæ merito eum promouere voluerit. Qui tamen Regulam a Decanis, vel Præpoſitis conſtitutam ſibi ſeruandam ſciat. Quòd ſi aliter præſumpſerit, non vt Sacerdos, ſed vt rebellis iudicetur. Et ſæpe admonitus, ſi non correxerit, etiam Epiſcopus adhibeatur in teſtimonium. Quòd ſi nec ſic emendauerit, clareſcentibus culpis, proijciatur de Monaſterio: ſi tamen talis fuerit eius contumacia, vt ſubdi, aut obedire Regulæ nolit.

## *De ordinibus Congregationis. Cap. LXIII.*

ORdines ſuos in Monaſterio ita conſeruent, vt conuerſionis tempus, & vitæ meritum diſcernit, vel vt Abbas conſtituerit. Qui Abbas non conturbet gregem ſibi commiſſum, nec quaſi libera vtens poteſtate, iniuſtè diſponat aliquid; ſed cogitet ſemper, quod de omnibus iudicijs, & operibus ſuis redditurus eſt Deo rationem. Ergo, ſecundùm ordines, quos conſtituerit, vel quos habuerint ipſi fratres, ſic accedant ad pacem, ad communionem, ad Pſalmum imponendum, in choro ſtandum. Et in omnibus omnino locis ætas non diſcernatur in ordine, nec præiudicet. quia Samuel, & Daniel pueri Presbyteros iudicauerunt. Ergo exceptis his, quos (vt diximus) altiori conſilio Abbas prætulerit, vel degradauerit, certis ex cauſis, reliqui omnes, vt conuertuntur ita ſint. Vt (verbi gratia) qui ſecunda diei hora venerit in Monaſterio, iuniorem ſe nouerit illo eſſe, qui prima hora diei venit,

nit, cuiuſlibet ætatis, aut dignitatis ſit. Pueris verò per omnia ab omnibus diſciplina teneatur. Iuniores igitur priores ſuos honorent: priores iuniores ſuos diligant.

In ipſa autem appellatione nominum, nulli liceat alium puro appellare nomine; ſed Priores iuniores ſuos fratres nominent: iuniores autem, priores ſuos Nonnos vocent: quod intelligitur paterna reuerentia. Abbas autem quia vices Chriſti agere videtur, Domnus, & Abbas vocetur; non ſua aſſumptione, ſed honore, & amore Chriſti. Ipſe autem cogitet, & ſic ſe exhibeat, vt dignus ſit tali honore. Vbicunque autem ſibi obuiant fratres, iunior a priore benedictionam petat: tranſeunte maiore, minor ſurgat, & det ei locum ſedendi: nec præſumat iunior conſedere, niſi ei præcipiat ſenior ſuus, vt fiat quod ſcriptum eſt: Honore inuicem præuenientes. Pueri, vel adoleſcentes in Oratorio, vel ad menſam cum diſciplina ordines ſuos conſequantur; foris autem vel vbiubi cuſtodiam habeant, & diſciplinam, vſque dum ad intelligibilem ætatem perueniant.

## *De ordinando Abbate. Cap. LXIV.*

IN Abbatis ordinatione illa ſemper conſideretur ratio, vt hic conſtituatur, quem ſibi omnis concors Congregatio ſecundùm timorem Dei, ſiue etiam pars, quamuis parua Congregationis, ſaniori conſilio elegerit. Vvitæ autem merito, & ſapientiæ doctrina eligatur, qui ordinandus eſt, etiamſi vltimus fuerit in ordine Congregationis. Quòd ſi etiam omnis Congregatio vitijs ſuis (quod quidem abſit) conſentientem perſonam pari conſilio elegerit: & vitia ipſa aliquatenus in notitiam peruenerint Epiſcopi (ad cuius diœceſim pertinet locus ipſe) vel Abbatibus, aut Chriſtianis vicinis claruerint, prohibeant prauorum præualere conſenſum, & domui Dei dignum conſtituant diſpenſatorem, ſcientes pro hoc ſe recepturos mercedem bonam, ſi illud caſtè, & zelo Dei faciant, ſicut è contrario, peccatum incurſuros, ſi negligant.

Ordinatus autem Abbas cogitet ſemper quale onus ſuſcepit, & cui redditurus eſt rationem villicationis ſuæ: ſciatque ſibi oportere prodeſſe magis, quàm præeſſe. Oportet ergo, eum eſſe doctum lege diuina, vt ſciat vnde proferat noua, & vetera: caſtum, ſobrium, miſericordem, & ſemper ſuperexaltet miſericordiam iudicio, vt idem ipſe conſequatur. Oderit vitia, diligat fratres. In ipſa autem correctione prudenter agat, & ne quid nimis: ne dum nimis cupit eradere eruginem, frangatur vas. Suamque fragilitatem ſemper ſuſpectus ſit, memineritque calamum quaſſatum non conterendum. In quibus non dicimus, vt permittat nutriri vitia: ſed prudenter, & cum charitate ea amputet, prout viderit cuique expedire, ſicut iam diximus; & ſtudeat plus amari, quam timeri. Non ſit turbulentus, & anxius, non ſit nimius, & obſtinatus, non ſit zelotypus, & nimis ſuſpicioſus: quia nunquam requieſcet. In ipſis imperijs ſuis ſit prouidus, & conſideratus: ſiue ſecundùm Deum, ſiue ſecundùm ſeculum ſint. Opera, quæ iniungit, diſcernat, &

temperet,

temperet, cogitans discretionem sancti Iacob dicentis: Si greges meos plus in ambulando fecero laborare, morientur cuncti vna die. Hæc ergo, aliaque testimonia discretionis matris virtutum sumens, sic omnia temperet, vt sit quod & fortes cupiant, & infirmi non refugiant. Et præcipuè, vt præsentem Regulam in omnibus conseruet: vt dùm bene ministrauerit, audiat a Domino, quod seruus bonus, qui erogauit triticum conseruis suis in tempore suo: Amen dico vobis, ait, super omnia bona sua constituet eum.

## *De Præposito Monasterij. Cap.LXV.*

SAepius quidem contingit, vt per ordinationem Præpositi, scandala grauia in Monasterijs oriantur: dum sunt aliqui maligno spiritu superbiæ inflati, qui existimantes se secundos Abbates esse, assumentes sibi tyrannidem, scandala nutriunt, & dissensiones in Congregatione faciunt, maximè in illis locis, vbi ab eodem Sacerdote, vel ab eisdem Abbatibus, qui Abbatem ordinant, ab ipsis etiam & Præpositus ordinatur. Quod quàm sit absurdum, facilè aduertitur: quia ab ipso initio ordinationis, materia ei datur superbiendi: dum ei suggeritur a cogitationibus suis exutum se esse à potestate Abbatis sui: quia ab ipsis est ordinatus, à quibus & Abbas. Hinc suscitantur inuidiæ, rixæ, detractiones, æmulationes, dissensiones, & inordinationes: & dum contraria sibi inuicem Abbas, Præpositusque sentiunt; & ipsorum necesse est sub hac dissensione animas periclitari: & hi qui sub ipsis sunt, dum adulantur partibus, eunt in perditionem. Cuius periculi malum illos respicit in capite, qui talibus in ordinatione se fecerunt auctores. Ideoque nos præuidemus expedire propter pacis, charitatisque custodiam in Abbatis pendere arbitrio ordinationem Monasterij sui; & si potest fieri, per Decanos ordinetur, vt antea disposuimus, omnis vtilitas Monasterij, prout Abbas disposuerit: vt dum pluribus committitur, vnus non superbiat. Quòd si aut locus expetit, aut Congregatio petierit rationabiliter cum humilitate, & Abbas iudicauerit expedire; quemcumque elegerit cum consilio fratrum timentium Deum, ordinet ipse sibi Præpositum. Qui tamen Præpositus illa agat cum reuerentia, quæ ab Abbate suo ei iniuncta fuerint: nihil contra Abbatis voluntatem, aut ordinationem faciens: quia quantùm prælatus est cæteris, tantùm eum oportet solicitè obseruare præcepta Regulæ. Qui Præpositus, si repertus fuerit vitiosus, aut elatione deceptus superbiæ, aut contemptor sanctæ Regulæ fuerit comprobatus; admoneatur verbis vsque quater: si non emendauerit, adhibeatur ei correctio disciplinæ regularis. Quòd si neque sic correxerit; tunc deijciatur de ordine præpositurę: & alius qui dignus est, in loco eius subrogetur. Quòd & si postea in Congregatione quietus, & obediens non fuerit, etiam de Monasterio expellatur. Cogitet tamen Abbas se de omnibus iudicijs suis Deo redditurum rationem: ne fortè inuidiæ, aut zeli flamma vrat animam.

## *De Ostiarijs Monasterij. Cap. LXVI.*

AD portam Monasterij ponatur senex sapiens, qui sciat accipere responsum, & reddere: cuius maturitas eum non sinat vagari. Qui Portarius cellam debet habere iuxta portam: vt venientes semper præsentem inueniant, à quo responsum accipiant. Et mox vt aliquis pulsauerit, aut pauper clamauerit, Deo gratias, respondeat, aut benedicat: & cum omni mansuetudine timoris Dei reddat respõsum festinanter cum feruore charitatis. Qui Portarius, si indiget solatio, iuniorem fratrem accipiat.

Monasterium autem, si posset fieri, ita debet construi: vt omnia necessaria, id est, aqua, molendinum, hortus, pistrinum, vel artes diuersæ intra Monasterium exerceantur: vt non sit necessitas Monachis vagandi foras; quia omnino non expedit animabus eorum. Hanc autem Regulam sæpiùs volumus in Congregatione legi, ne quis fratrum se de ignorantia excuset.

## *De fratribus in via directis. Cap. LXVII.*

DIrigendi fratres in via, omnium fratrum, vel Abbatis orationi se commendent, & semper ad orationem vltimam Operis Dei commemoratio omnium absentium fiat. Reuertentes autem de via fratres, ipso die, quo redeunt, per omnes canonicas Horas dum expletur opus Dei, prostrati solo Oratorij, ab omnibus petant orationem propter excessus, ne quid fortè subrepserit in via visus, aut auditus malæ rei, aut otiosi sermonis. Nec præsumat quisquam alijs referre, quæcunque extra Monasterium viderit, aut audierit, quia plurima destructio est. Quòd si quis præsumpserit, vindictæ regulari subiaceat. Similiter, & qui præsumpserit claustra Monasterij egredi, vel quocunque ire, vel quippiam, quamuis parum, sine Abbatis iussione facere.

## *Si fratri impossibilia iniunguntur. Cap. LXVIII.*

SI cui fratri aliqua fortè grauia, aut impossibilia iniunguntur, suscipiat quidem iubentis imperium cum omni mansuetudine, & obediẽtia. Quod si omnino virium suarum mensuram viderit pondus excedere, impossibilitatis suæ causas ei, qui sibi præest, patienter, & opportunè suggerat, non superbiendo, aut resistendo, vel contradicendo. Quòd si post suggestionem suam in sua sententia Prioris imperium perdurauerit: sciat iunior ita sibi expedire, & ex charitate, confidens de adiutorio Dei, obediat.

## *Vt in Monasterio non præsumat alter alterum defendere. Cap. LXIX.*

SVmmopere præcauendum est, ne quauis occasione præsumat alius alium defendere monachum in Monasterio, aut quasi tueri, etiamsi qualibet consan-

consanguinitatis propinquitate iungantur. Nec quolibet modo id à Monachis præsumatur: quia exinde grauissima occasio scandalorum oriri potest. Quòd si quis hæc transgressus fuerit, acriùs coerceatur.

### *Vt non præsumat quisquam alium passim cædere, aut excommunicare. Cap. LXX.*

VEtetur in Monasterio omnis præsumptionis occasio. Ordinamus, atque constituimus, vt nulli liceat quenquam fratrum suorum excommunicare, aut cædere, nisi cui potestas ab Abbate data fuerit. Peccantes autem coram omnibus arguantur, vt cæteri metum habeant. Infantibus verò vsque ad quintum decimum annum ætatis, disciplinæ diligentia sit, & custodia adhibeatur ab omnibus: sed & hoc cum omni mensura, & ratione. Nam in fortiori ætate, qui præsumpserit aliquatenus sine præcepto Abbatis, vel in ipsos infantes sine discretione exarserit; disciplinæ regulari subiaceat: quia scriptum est: Quòd tibi non vis fieri, alij ne feceris.

### *Vt obedientes sint sibi fratres inuicem. Cap. LXXI.*

OBedientiæ bonum non solum Abbati exhibendum est, sed etiam sibi inuicem obediant fratres, scientes per hanc obedientiæ viam, se ituros ad Deum. Præmisso ergo Abbatis, aut Præpositorum, qui ab eo constituuntur, imperio, cui non permittimus priuata imperia præponi; de cætero omnes iuniores Prioribus suis omni charitate, & sollicitudine obediant. Quòd si quis contentiosus reperitur, corripiatur. Si quis autem frater pro quauis minima causa ab Abbate, vel à quocunque Priore suo corripitur quolibet modo: vel si leuiter senserit animum Prioris cuiuscunque contra se iratum, vel commotum, quamuis modicè; mox sine mora tamdiu prostratus in terra ante pedes eius iaceat, satisfaciens, vsque dum benedictione sanetur illa commotio. Quod si quis contempserit facere, aut corporali vindictæ subiaceat, aut si contumax fuerit, de Monasterio expellatur.

### *De zelo bono, quem debent Monachi habere. Cap. LXXII.*

SIcut est zelus amaritudinis malus, qui separat à Deo, & ducit ad infernum: ita est zelus bonus, qui separat à vitijs, & ducit ad Deum, & ad vitam æternam. Hunc ergo zelum feruentissimo amore exerceant Monachi, id est, vt honore se inuicem præueniant: infirmitates suas siue corporum, siue morum patientissimè tolerent: obedientiam sibi certatim impendant. Nullus, quod sibi vtile iudicat, sequatur; sed quod magis alij. Charitatem fraternitatis casto impendant amore. Deum timeant; Abbatem suum sincera, & humili charitate diligant; Christo omnino nihil præponant: qui nos pariter ad vitam æternam perducat, Amen.

*De eo, quod non omnis obseruatio iustitiæ in hac sit Regula constituta. Cap. LXXIII.*

REgulam hanc descripsimus, vt eam obseruantes in Monasterijs aliquatenus, vel honestatem morum, aut initium conuersationis nos demonstremus habere. Cæterùm ad perfectionem conuersationis qui festinant, sunt doctrinæ Sanctorum Patrum: quarum obseruatio perducit hominem ad celsitudinem perfectionis. Quæ enim pagina, aut quis sermo diuinæ auctoritatis veteris, ac noui Testamenti non est rectissima norma vitæ humanæ? Aut quis liber Sanctorum Catholicorum Patrum hoc non resonat; vt recto cursu perueniamus ad Creatorem nostrum? Necnon & Collationes Patrum, & instituta, & vita eorum, & Regula S. Patris nostri Basilij, quid aliud sunt, nisi bene viuentium, & obedientium Monachorum exempla & instrumenta virtutum? Nobis autem desidiosis, & malè viuentibus, atque negligentibus rubor confusionis est. Quisquis ergo ad patriam cœlestem festinas, hanc minimam inchoationis Regulam descriptam, adiuuante Christo, perfice; & tunc demum ad maiora, quæ supra commemorauimus, doctrinæ, virtutumque culmina, Deo protegente, peruenies. Amen.

*Quicunque hanc Regulam secuti fuerint, pax super illos, & misericordia.*

FINIS.

# INCIPIT ORDO QVALITER MONACHVS in Monasterio Religiosè, ac studiosè conuersari, ac Domino militare oportet, editus à Sanctissimo P. N. Benedicto.





N primis nocturnis horis, cùm ad Opus diuinum surrexerit frater, primum signum sibi Sanctæ Crucis imponat per inuocationem Sanctæ Trinitatis: deinde dicat Versum, Domine labia mea aperies; postea Psalmum, Deus in adiutorium, cum Gloria Patri. Tunc prouideat sibi frater corporeæ necessitatem naturæ, & sic ad Oratorium festinet, psallendo Psalmum: Ad Te Domine leuaui animam meam, vsque ad finem, cum summa reuerentia & cautela intrans, ne alios orantes impediat: & profectus in locum congruum, effundat preces in conspectu Domini magis corde quam ore; ita vt illius vox vicinior sit Deo quam sibi: & tunc referat gratias Deo, dicendo: Gratias Tibi ago omnipotens Deus, qui me dignatus es in hac nocte custodire: deprecor immensam clementiam tuam, vt concedas mihi venturum diem sic peragere in tuo seruitio cum humilitate & discretione, quatenus Tibi complaceam. Amen.

Tunc omnes sint parati, stantes in loco suo in choro per ordinem, vt cum signum nouissimum cessauerit, cum summa humilitate & honestate referant laudes Deo in conspectu Angelorum: & si fortè alicui frequens tussis, aut flegma euenerit ex pectore, aut naribus, post dorsum proijciat, aut iuxta latus. Caueat autem curiosè, vt infirmis fratribus non vertatur in nauseam, sed semper quod spuitur, pedibus conculcetur: vt dum ad orationem curritur, vestimenta eorum non sordidentur. Quod omnibus locis eis obseruandum, siue sint in Ecclesia, siue in refectorio, siue in porticu, & in omni loco & conuentu, vt quod spuitur, pedibus conculcetur. Post expletionem vero nocturnæ laudis, in illo interuallo summum silentium fiat, tam in voce, quam in incessu, sine sono alicuius rei; vt liceat vnicuique sine alterius inquietudine, peccata Domino confiteri, & veniam & remissionem pro ipsis flendo postulare. Cum vero inchoante hora diei signum insonuerit, omnes festinent cum humilitate cordis, quasi ad Deum clamantes, ac misericordiam sibi placabilem factum, matutinis laudibus prompta voluntate, vocum modulis, nec nimis productè, nec multum correptè, cum summa grauitate & honestate Officium persoluere diuinum. Ex hac autem matutina laude summum, & præcipuum silentium fiat in orando, vel loquendo.

Conuenientes vero fratres ad Primam, postquam completum fuerit ipsum Officium, ante Psalmum quinquagesimum, donent confessiones suas vicissim, pariter supplici voto pro se certatim orantes. Hoc expleto, veniant omnes

ad capitulum, & conuersi ad orientem salutent Crucem, & cæteris fratribus se vndique humilient, similiterque faciant in omni conuentu. Post recitata nomina Sanctorum, quorum festa crastina dies excipiet, surgentes pariter, dicant Versum, Pretiosa, quem sequatur Oratio à Priore: deinde Versus, Deus in adiutorium, tribus vicibus, cum, Gloria Patri. Surgentes iterum dicant Versum, Respice Domine in seruos tuos, cum Gloria Patri. Post hunc Versum sequatur Oratio à Priore, Dirigere & sanctificare Domine, &c.

Post hæc, qui culpabilis est, veniam postulet, & secundum modum culpæ vindictam recipiat: & tam in claustro, quam in quolibet conuentu, vel loco veniam postulet frater ante Domnum Abbatem, vel Præpositum, aut Decanum, aut quemlibet de Senioribus. Cum enim dixerit Senior, quæ est causa, frater ille qui veniam postulat, respondeat, mea culpa Domine: si verò aliud quòdcunque dixerit, iudicetur exinde culpabilis. Postea dicatur à Domno Abbate, vel cæteris à quibus obedientia est facienda, quicquid est necessarium, & vtile fuerit in communi Monasterij. Frater verò qui veniam postulat pro culpa, quantò plus se humiliat, & culpabilem asserit, tanto misericordius, & leuius à Priore iudicetur: necesse est enim vt omnes negligentias nostras, vel cogitationum, vel linguæ, vel operis in præsenti vita, per humilem confessionem, & humilitatem semper iudicemus, vt non post mortem nos reos faciant. Surgentes à capitulo, atque ad opera exeuntes, simul omnes circumstantes dicant Versum, Deus in adiutorium, &c. Gloria Patri, & Orationem Dominicam, flectentes genua. Post Orationem Dominicam dicat Prior, Adiutorium nostrum in nomine Domini: & respondentibus omnibus, Qui fecit cælum & terram, vadant omnes simul, aut separatim ad opus iniunctum sibi, custodientes silentium: decantent Psalmos, aut Pater noster, bini, aut singuli, iuxta id quod congruum est, nihil aliud loquentes, nisi fortè de ipsa arte necessarium fuerit dicere: quod dicatur cautè. Cum ad opus diuinum Horis canonicis auditum fuerit signum (sicut continet Regula) relinquant statim quicquid in manibus est, sic tamen vt non pereat: & tunc conueniant simul omnes ad ostium Oratorij, aut certè sint parati ad obedientiam, & dicant Versum, Benedictus es Domine Deus, qui adiuuasti me, & consolatus es me, tribus vicibus Priore incipiente, subiungentes, Gloria Patri, flectentes genua. Oratione completa surgant & dicat Prior, Misereatur nostri omnipotens Deus, & respondeant omnes, Amen. A Kalendis Octobris hoc hora sexta, & nona fiat.

Omni tempore in Ecclesia summum silentium teneatur, excepto hoc, quod ad aures Dei pertinet. Et nullus ex fratribus alium puro nomine aliquando audeat appellare, sed (sicut decet) Seniores minores suos fratres nominent; iuniores verò Seniores suos Nonnos, quod est Paterna reuerentia. Abbas autem Domnus, & Pater ab omnibus vocetur.

Iuramentum aliud nemo proferat, nisi crede mihi, sicut in Euangelio legimus Dominum Samaritanæ affirmasse: aut certè, aut sanè.

Si frater increpetur à Priore qualibet de causa, aut ab alio quolibet etiam minore, statim cum summa velocitate in faciem suam cadens veniam postu-

let:

let : quia hæc humilitas Deo exhibetur non homini,& si ex corde fiat,indulgentiam promerebitur .

Oportet autem ante omnia , vt obedientes sibi inuicem sint , & ipsa obedientia (si recto corde omninò Deo offertur) ipsa est quæ ducit ad vitam: citius enim exauditur vna oratio obedientis, quam decem mille contemnentis. Cum verò sibi obuiant fratres,vbique dicat iunior Seniori ; Benedicite . Si iunior sedeat, transeunte seniore surgat : & si Senior voluerit sedere , iunior non sedeat , nisi iussus . Si deprehensus fuerit frater aliquis inuidiam , iram , aut tristitiam in corde retinere , statim corripiatur , vt emendetur ; & quot dies hoc confiteri neglexerit , tot dies pœniteat ; & si humiliter responderit, & pœnitentiam postulauerit, cum venia iudicetur .

Cum autem Domnus Abbas, aut certe aliquis ex senioribus, alicui ex fratribus aliquod opus præceperit , suscipiat iunior cum summa honestate iubentis imperium, & sit auris parata ad audiendum, ac si diuinitus dicatur, sint pedes recti, manus expeditæ ad faciendum opus, & humiliato capite dicat , Benedicite .

Egredientes de domo , aut de Conuentu, dicant , Benedicite, etiam si solus sit : quia Dominus vbique præsens est ; vnicuique postulanti paratus reddere rationem .

Si aliquid in cellario, vel refectorio, vel coquina, vel quolibet alio loco frater neglexerit , statim sine vlla mora currat ad veniam postulandam : & si talis est res , quam neglexerit , manu teneat in terram prostratus veniam postulando de eo quod egerit ,

Caueant à sæculari, & superfluo risu, & à frequenti locutione cum amicis sæcularibus : si tamen necesse fuerit, vbi aliter esse non poterit, non loquatur quisquam solus cum sæculari , nisi præsentibus, & audientibus alijs fratribus ; de quorum fide certa sit fiducia:& hoc maximè in iuuenibus obseruetur. Mens enim quæ Deo seruire cupit,sæcularium locutionem, & conuersationem contemnere , & derelinquere debet .

Non vadant infra Monasterium passim vbicunque voluerint, nisi obedientia vniuscuiusque exigat , vel licentiam impetrauerint ,

Nullum opus etiam si bonum videatur, sine iussione agere præsumant, nihil dare, aut accipere , sine iussu Abbatis : nec habere proprium , nisi quod Abbas dederit, aut permiserit . Non debet aliud vnicuique in cibo, & potu, vel vestimento dari , quàm Regula præcipit : qui autem plus habere desiderat , occasionem contra se occulti hostis nostri excitare non pertimescit .

Nullus alteri aliquid præteritum , vel turpe peccatum improperet . Si senior viderit iuniorem delinquere , corripiat eum inter se & ipsum solum , semel, secundo , & tertio , de leuioribus tantum culpis : quia de grauioribus si contingat aliquid perpetrari , statim secundum Regulam emendetur : & qui alium vult castigare , leniter solidare studeat, secundum qualitatem neglecti; quia sæpe fractura membri deterius frangitur quæ incautè ligatur . Pro immundis vero cogitationibus , & nociuis, vel ineptis locutionibus , semper ad confessionem recurratur . Humiliter sibi inuicem respondeant fratres .

Hora canonica audito ſigno, citò ad Oratorium recurratur. Et non contendant de aliquo: quod ſi contigerit, qui prius tacuerit, ſapientior reutetur.

Ante horam, vel poſt horam nihil cibi percipiant, exceptis infirmis, & infantibus, quorum imbecillitas ab Abbate conſideranda eſt.

Non detrahat quis, aut detrahenti conſentiat. Pacem inter ſe ſeminent fratres, non diſcordiam. Sæcularium fabulæ longè ſint ab eis.

Statutis horis non negligant opera manuum agere: quia virtus eſt animæ, & corporis, Cæteris autem horis lectioni vacent, & ſi fieri poteſt, in vno loco, aut in clauſtro ſedeant, vt inuicem ſe videntes coarctentur, & ſub ſilentio legant: & ne alius ad alium iungatur niſi neceſſitas expoſcat: idipſum tamen ſine inquietudine alterius fiat. Æſtiuo tempore vnuſquiſque ad proprium locum pergat, cum ſumma cautela, & ſine alterius perturbatione, aut legat, aut dormiat.


Nullus ex fratribus ſuum aliquid dicat, aut rem aliquam, aut membrum corporis, ſed ſemper noſtrum: hoc ſolum oportet dicere proprium, Mea culpa. Omnia quæ Deus donat, nobis communia eſſe debent; excepto peccato, quia ex noſtra fragilitate eſt.

Prouidendum magnopere eſt, vt iuſſus Domni Abbatis de quacunque re impleatur ſollicitè: quia hæc eadem obedientia, ſi rectè perficitur, non illi miniſtratur, qui præcipit, ſed Deo. Et ſi fortè negligatur (quod abſit) qui deliquerit, citò recurrat ad indulgentiam poſtulandam.

Quando in choro ad pſallendum ſtant, conſona voce, & corde pſallant, & illi incipiant Verſum, qui præ cæteris vtilius poſſunt; vt ad primam, aut ſecundam ſyllabam, cæteri conuenire poſſint iuuenculi pronuntiantes voce.

Ad horam verò refectionis poſt expletionem expectent in Eccleſia, pſallentes in choro. Cum audierint cymbalum, ordinate, & ſine vllo ſtrepitu feſtinent lotis manibus introire refectorium, ſalutantes Crucem, verſis vultibus ad orientem, & ſedeant omnes ad menſam, ſinguli ordine ſuo, cum omni ſilentio. Nulluſque præſumat quicquam accipere cibi aut potus, ante Domnum Abbatem: ipſe autem non tardet accipere. Cum autem accipiunt panem, dicat frater fratri, Benedicite, & reſpondeant, Dominus: & ſimiliter faciant de potu, cum primum biberint: de cæteris pulmentis quæ ſunt in menſa, non eſt neceſſe amplius benedictionem petere. Antequam incipiant cibum ſumere, petat Lector benedictionem, & incipiat legere, & nullius ibi vox audiatur, niſi ſolius legentis, niſi fortè pro ædificatione aliquid breuius dicatur. Poſtea verò quicquid pulmenti ex coquina miniſtratur, qui miniſtrat, à nouiſſimo incipiat, & vſque ad Domnum Abbatem miniſtrando perueniant, & tunc ſonent cymbalum tacitè, & dicant fratres, Benedicite, æqua voce, & productè. Data benedictione in communi, expectent (ſicut iam diximus) vt Abbas prius accipiat, poſtea ſinguli dicentes, Benedicite. Quando benedicunt cibum, aut potum, aut aliud, non ſedendo, ſed ſtando benedicant. Si autem cum talibus mixtum fuerit, Cellerarius faciat modicè ſignum ad miniſtrum, & ſtatim ſurgant iuuenculi ad miſcendum, & lotos calices

lices impleant potu æqua mensura, & stent ordinati sicut conuersi. Tunc Cellerarius iterum sonet cymbalum tacitè, & dicant fratres vna voce, productè, Benedicite. Et data benedictione à Priore, frater iunior qui dat calicem in manu sedentis, caput inclinet humiliter: cum verò impletum fuerit opus miscendi, inclinet se in circuitu ad omnes fratres, sic quoque ad mensas suas. Poma autem, & quælibet nascentia terræ, quæ cruda sunt, siue hora prandij, siue æqualiter cum alio cibo, in mensa antequam fratres veniant, aut sedeant, à Cellerario vnicuique fratri partiantur, & statim post alium cibum, illa ad mensam adiuncta comedantur. Quo expleto statim finiatur lectio, & surgentes à mensa dicto Versu, finister chorus exeat prior ordinatè, dexter verò posterior, nouissimè autem Domnus Abbas, psallentes Psalmum, Miserere mei Deus secundum,&c. distinctè,& non festinanter. Cùm introierint Oratorium, psallentes inclinent se vsque ad Gloriam: ad Gloriam verò flectant genua, & post Orationem Dominicam surgentes, vadant cum silentio secundum quod tempori congruit. Post Vesperas autem, hora competenti facto signo, omnes conueniant in Capitulo, & legatur scriptura quæ ædificet audientes, quantum hora permittit: & finita lectione, surgant omnes pariter, & dicat Domnus Abbas, Adiutorum nostrum in nomine Domini, & respondeant omnes, Qui fecit cœlum & terram: & cum silentio & reuerentia intrent ad Completorium, & orent cum intentione mentis, & dent confessiones suas ad alterutrum, & sic incipiant Completorium. Expleto vero Officio, summum silentium teneant; & ore,& corde fiant orationes secretæ, & recordationes peccatorum cum gemitu, & lacrymis, & fletu, sine suspirio; ita vt alteri nullus noceat. Tunc agat gratias Deo, ita referendo: Gratias Tibi ago omnipotens æterne Deus, qui me per tuam sanctam misericordiam in hac die custodire dignatus es: deprecor immensam clementiam tuam, vt concedas mihi hanc noctem sine vllo peccato, aut impedimento Sathanæ, cum dulci & pudica requie pertransire, vt matutino veniente tempore purè, & strenuè surgens tibi Deo meo laudes referre valeam. Et sic cum magna cautela, vadant ad dormitorium: & dum ad proprium lectum frater accesserit, dum se collocat, dicat Psalmum, Deus in adiutorium, totum, cum Gloria, & postea dicat Versum: Pone Domine custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labijs meis. Et sic muniat se signo Sanctæ Crucis, & dormiat in Domino. Amen.




LAVS DEO.

INDEX



# INDEX CAPITVM REGVLAE.





*Quali-*

*De*

Finis Indicis Capitum Regulæ.

# *Errata sic corrige.*

Fol. 14. lin. 1. Dele ex viciniori Prouincia, & Adde, Sin minus diligentius exquirantur.

13. Post Patrum, Adde. naturalium.

21. 22. Post necessaria, Adde. ex exacto subsidio.

Post III. §. adde Collegium Cœlestinum nuper erectum in Alma Vrbe, apud Sacras Ædes Sanctæ Mariæ in Posterula ad Visum, quam quidem Parrochialem Ecclesiam cum honoribus, & redditibus sibi annexis anno 1627. tertio Kalendas Ianuarij Sanctissimus Dominus noster Vrbanus Papa Octauus nostræ Congregationi benignè in perpetuum aggregauit, & concessit, ad octo nostros Religiosos iuuenes, ex quolibet Quarterio binos assumendos (prout in Bulla Apostolicæ Concessionis) in Sacris Canonibus: & Theologicis instruendos; in posterum pro residentia Procuratoris Generalis Ordinis, qui eiusdem Collegij, & Ecclesiæ Abbas, & Præfectus futuris temporibus deputatur, deseruiat.

26. 4. Post licentia. Adde. Si autem legere, vel Prædicare statis temporibus intermiserint, ab officijs omninò exercendis reiciantur, careantq; Priuilegijs, & immunitatibus.

27. 27. Post Hebdomadarius, Adde. Si fuerit sacerdotaliter indutus.

28. 6. Post Hebdomadarius, Adde. In Ecclesia tantum, siue in Choro indutns, vt supra.

19. Post Sacerdotem, Adde. Si Abbati Conuentuali visum fuerit.

30. 18. Post benedictionis, Adde. Et Abbatibus Conuentualibus, vt supra, §. 4.

31. 10. Post vestimenta, Adde, non deferant. Dele, ac Priuilegia. Post Congregationis, Adde, præter insignia Abbatialia.

32. 10. Dele Flandrensi, & Adde, vel Panno viliori illius Prouinciæ.

33. 9. Dele, virgulas post debiliū, & Prædicatorū, & Lectorū positas.

34. 14. Post commorati: Adde, pro rata temporis respectiuè.

25. Post præsumant; Adde. dolosè.

35. 7 Post agendū: Adde. seruata tamen Monasticæ paupertatis censura.

44. 19. Post Generale: Adde. vel per Generalem, & Visitatorem, Abbate tamen Monasterii semper consulto, & consentiente.

45. 23. Post 15. Adde, in terminis in quibus nunc vsu inuenitur.

47. 9. Post assignando: Adde: Pro vt sibi in Domino videbitur; Superiores autem, & cætera, quæ sequuntur in eodem capite tollantur, & subscribe. Quod si Superiores Monachos ad se transmissos recipere dolosè noluerint, ab ipso Reuerendissimo canonicè corrigantur.

19. Post continentibus: Adde: Datam, seù Diem ad libitum Abbatis Conuentualis.

51. 27. Post exponere, ommissis quæ sequuntur scribe. ad obtinendam ab eisdem Superioribus facultatem ipsos conueniendi re maturius, & ex charitate considerata.

62. 10. §. 6. Totum dele, & subroga. Cederet quidem in offensam diuini nominis, & in nostræ Religionis opprobrium, atque damnum si Monachi Religionis pondus, & æstus portantes dum sani sunt, superuenientibus infirmitatibus destituerentur,

ac nō curarentur. Cum autē hoc, quod Deo, & hominibus displicet, non sit tollerādū; hac in perpetuū valitura Cōstitutione sācimus, q̄. Abbates, Visitatores, Priores, & cæteri Præsidētes Monasteriis, & locis Religionis nostrę ante omnia, & super omnia de infirmis Monachis curā habeant, & illis præsto sint.

67. 19. Post Ecclesia: Adde: tantùm Sacerdotalibus indutus. Dele: in mensa, & Capitulo.

20. Muta in, in &.

92. 23. Post tempus, Adde: idest integræ hebdomadæ.

27. Post expreßis, Adde: & habeatur pro infame.

94. 4. Post paßiue nullo, & casso remanente Priuilegio.

125. 23. Post existat, Adde: pro hac vice tantùm.

125. 18. Præponatur Abbas Collismadii Abbati Sancti Spiritus ad Magellam in Montibus, ob reuerentiam corporis Sanctißimi Patris, vt in antiquioribus Constitutionibus.

128. 20. Post verbū prouisionē: Adde, triennalē; & in eodem versu post Generalem; Adde: & Capitulum Generale; & post faciēdam, cassentur omnia, quæ sequuntur, & addatur, permaneant.

129. 7. Post annos: Adde: neque super hoc dispensatio vlla obtineri poßit, aliàs verò obtenta subreptitia habeatur.

14. Post annos, Dele dumtaxat ad, & vltra.

16. Post Monasteria: Adde: semper.

27. Sic lège. Verum si ex aliquo Quarterio, vel Prouincia contigerit quandocumque idoneas defecisse personas ad Diffinitoratus, & Visitatoratus munus aliquibus deficientibus fortè conditionibus, in tali casu per Capitulum Generale ita dispensetur, vt ex eodē Quarterio, vel Prouincia aptiores assumantur, quemadmodum, & de Abbatibus Conuentualibus asserimus, canonicè tamen ex sufflato toto impresso, 6.

161. 12. Post Generalatui: Adde: neque Conterranei oriundi de eadem Ciuitate, & eius restrictu, villa, Castro, vel Pago.

17. Post exercuerit: Adde: Itē excludātur nominatim qui per triénniū ab Abbatiatus, & per trienniū à Visitatorū officio non vacauerūt; nulla admissa super hoc (quod absit) impetrata dispēsatione, semper de subreptione, & obreptione suspecta iuxta Bullā Io. XXII. & Cōstitutionē veterē c. 7. particulà 18. fol. 167

25. Post annos: Adde: Decem, & octo integros. Dele. 24.

167. 4. Post subrogare: Adde: De consensu Diffinitorialium Patrum.

171. 32. Adde Parochialis Ecclesia S. Mariæ in Posterulis de Vrbe cum Collēggio in ea, erecto.

*De Resignationibus Monachorum Defunctorum; & piarum personarum.*

Bona item relicta, seù resignationes, tàm Monachorum, quam aliarum personarum Monasteriis nostris, aut Congregationi quocumque iure, vel titulo peruenientia, & obuenientia, si libri Bibliothecis Quarterii illius, in quo decesßit, si vtensilia necesßitatibus Monachorum, & Monasterii eiusdem Quarterii, si pecunia, vel quid prætiosum ad augendos redditus illius Monasterii, de Abbatis Generalis, Patrumque diffinitorialium illius Quarterii mandato, consultatione, & consensu, applicentur.

Quod si Defunctus fuerit Abbas, vel Prior, vel Vicarius Grancerius omnia illi Monasterio, cui præerat, ipso iure indubitanter accrescant.

CATA-



ATALOGVS, cum Nominibus Cognominibus, & Patria quorundam (prout ex antiquioribus Cœlestinæ Congregationis monumentis, & scripturis repertum est) Reuerendissimorum Patrum; Qui Abbatiali Dignitate, cum onere, & officio Generalatus coniuncta, Religionis regimini præfuerunt: Ab Anno Domini 1274. quo Sanctissimus Pater, & Fundator noster Cœlestinus Quintus è Lugdunensi Concilio regressus (in quo Religionis approbationem, & confirmationem à Gregorio X. obtinuerat) primùm suæ Reformationis Generale Capitulum indixit, & celebrauit, in Sacro Eremo, & Monasterio Sancti Spiritus in Magella sub die 18. Mensis Iunij eiusdem anni. Fuit autem electus eo tempore primus Abbas Generalis, electione compromissaria Reuerendissimus Pater Dominus Franciscus de Atria.

Nam idem Sanctissimus Pater Tutelaris noster, & Reformator, per longa temporis interualla fundamenta suæ Reformationis, & Congregationis longè antea iecerat; eamq; etiam Abbatiali Dignitate præfulgens, rexerat: qua fuerat decoratus in Abbatia Sanctæ Mariæ in Faysulis Monachorum Nigrorum in Diœcesi Beneuentana (in quorum Congregatione Religionis vota vouerat) prout legitur infrascrittis verbis in erectione Monasterio Sancti Spiritus de Isernia in Samnio. Tibi Fratri Petro de Isernia Abbati Sanctæ Mariæ in Fayfulis Beneueutanæ Diœcesis; & alibi.

Reurēdissimus D. Franciscus de Atria electus die 18. Iunij 1274. in Monasterio S. Spiritus de Magella per viam compromissi; vt ex instrumento electionis conseruato in præfato Monasterio legitur.

Reu. D. Raynaldus de Rionero.

Reu. D. Onufrius de Comina Theatin. Dioc.

Reu. D. Alaynus de Vrsa Valuen. Dioc.

Reu. D. Bernardus de Comina Theatin. Dioc.

Reu. D. Ioannes de Cucullo.

Reu D. Onufrius de Comina, qui præfuit eo tempore, quo Sanctissimus Pater ad Pontificatus apicem est euectus.

Reu. D. Ioannes de Tritulio 1296.

Reu. D. Ioannes de Cucullo, ſecundo. Exequutor Teſtamenti Domini Cardinalis Fratris Thomæ Aprutij de Ocra Aquilani 1299.

Reu. D. Berardus de Cornu Aquilanus 1302.

Reuerendiſsimus D. Ioannes de Tritulio. Secundo 1305.

Reu. D. Manerius de Vrſa 1308.

Reu. D. Benedictus de Colle alto Pennen. Dioc. Teſtis oculatus in reſurrectione ex mortuis Fratris Placidi de Sulmone, apud Monaſterium S. Petri de Monte aureo de Vrbe præmortui: meritis, & interceſſione ipſius Sanctiſsimi Patris reſuſcitati, examinatus.

Reu. D. Mattheus de Comina, qui coemit Caſtrum Roceæ Caſalis, præfuit annis ſeptem, vel circa continuatè.

Reu. D. Mattheus de Salle Theatin. Dioc. primo electus anno 1320. Vir omni tum virtute, tum eruditione præditus: in rebus gerendis, ſuiq; muneris functione conſpicuus: Cumque nonnullos ſuorum Præceſſorum, Religionis gubernium, Abbatisq, Generalis Dignitatem, non lege, non æquis iuribus; ſed potius quadam vi, animiq; libidine, ad perpetuitatem protrahere velle, animaduerteret: in Generali Capitulo apud Abbatiam Murronenſem 15. Kalend. Iunij 1320. celebrato: Conſtitutionem edidit, ne deinceps Abbates cedentes, expleto primo eorum triennio, iterum ad eandem Dignitatem aſſumerentur, niſi à Congregationis regimine, nouennio vacaſſent. Hic, cum Prioratus officium in Aquilano Cœnobio, non mediocri ſui laude, qua in eodem Monaſterij regimine D. Ioannes de Spoleto, ſub anno 1313. & D. Marianus de Abbatigio Theatin. Dioc. ſub anno 1317. ſe geſſerant, exerceret: ab Apolectis Aquilanæ Reipublicæ, communi omnium conſenſu, vt Ciuitatis regimini præſſet (quemadmodum illi præfuerunt) Camerarius eligitur.

Reu. D. Ioannes de Sulmone 1323.

Reu. D Ioannes de Bugnaria 1326.

Reu. D. Ioannes de lecto 1329.

Reu. D. Mattheus ſine Patria 1332.

Reu. D. Mattheus de Salle. Secundo 1335.

Reu. D. Ioannes de Lecto Secundo 1338.

Reu. D. Leonardus de Como 1341.

Reu.

Reuerendissimus D. Dauid de Monte Ityliæ 1344.
Reu. D. Franciscus de Castro Piniano 1347.
Reu. D. Ioannes de Turribus ab Aquila 1350.
Reu. D. Iacobus de Ebulo 1353.
Reu. D. Petrus de Monte Ityliæ 1356.
Reu. D. Nicolaus de Alifio 1359.
Reu. D. Franciscus de Casa Candidella, vulgò Canatella Theatin. Dioc. 1362.
Reu. D. Rogerius de Monte Ferrato 1365.
Reu. D. Ioannes de S. Benedicto, qui præfuit anno vno, & mensibus 1368.
Reu. D. Mattheus de Planisia: Iste cum Pastorali Dignitate fungeretur, Generale Capitulum in Monasterio S. Bartholomæi de Luceria Saracenorum, nisus est congregare: Tamen illius conatus initos fuere; Nam cum susceptæ Dignitati assignato tempore cedere renueret, noua Pastoris electione communi Monachorum indicta, onus, & honor inuitus deponere cogitur 1370.
Reu. D. Ioannes de Cilento 1373.
Reu. D. Thomas de Rocca Valliscuræ, qui etiam secundo præfuit 1376.
Reu. D. Nicolaus de S. Iuliano 1382.
Reu. D. Raymundus Neapolitanus 1385.
Reu. D. Nicolaus de S. Maximo 1388.
Reu. D. Nicolaus de Monte Alto 1391.
Reu. D. Dauid de Mediolano 1394.
Reu. D. Nicolaus Auersanus 2397.
Reu. D. Antonins de Rocca Rasi 1400.
Reu. D. Nicolaus de Guglionisio 1403.
Reu. D. Filippus de Guardia 1406. qui secundo præfuit.
Reu. D. Ioannes de Alborono 1412. qui etiam secundo præfuit.
Reu. D. Marinus de Diano 1418.
Reu. D. Laurentius de Atria. Decretorum Doctor, qui etiam secundo præfuit 1421.
Reu. D. Marinus de Diano, secundo electus. Obijt quinto mense 1427.
Reu. D. Palmerius de Luceria 1428.
Reu. D. Laurentius de Iesualdo 1431.

Reu. D. Mattheus de Guglionisio. Decretorum Doctor 1434.
Reu. D. Angelus de Sulmone 1437.
Reu. D. Mattheus de Diano. Obijt sexto mense 1440.
Reu. D. Antonius de Afflictis Alethynus 1441.
Reu. D. Mattheus de Archi Decretorum Doctor 1444.
Reu. D. Lucas Romanus. Præfuit decem, & nouem mensibus, fuitq; Vir vitæ spectabilis, electus Romæ de mandato D. Nicolai PP.V. In Monasterio S. Eusebij 1447.
Reu. D. Mattheus de Pizzulo Aquilanus; Vir, ne dum industrius, verum etiam probitate, eruditione, & auctoritate plurimum valens: Inuictissimi Regis Alphonsi, ex delectu Consiliariorum suorum, præcipuus ad pias causas Consiliarius; morum comitate, animiq; qua florebat integritate; priuatis, summis, infimis carus, iucundusq; fuit: A Domino Amico Agnifilo Cardinali Aquilano, Monasterium S. Laurentij Auersan. Dioc. iam antea sibi creditum, & commendatum cum Monasterio Monialium S. Blasij Auersan. Monachorum Nigrorum, & à Domino Abbate Farfensi Monasterium S. Mariæ de Gordiano Aquilan. eius curæ erectum, industria, & zelo exemplo, reformanda traduntur 1450.
Reu. D. Ioannes Berthaldus de Ambianis Gallus 1453.
Mattheus de Aquila secundo electus 1456.
Reu. D. Thomas de Caramanico 1459.
Mattheus Aquilanus. Tertio 1462.
Reuerendissimus D. Cipryanus de Monte Regali 1465.
Mattheus Aquilanus quarto 1468.
Reu. D. Nicolaus de Camplo 1471.
Mattheus Aquilanus quinto. Obijt Neapoli mense sexto sui quinti Triennij 1474.
Reu. D. Stephanus de Litio Sac. Theol. P. 1474.
Reu. D. Franciscus de Sulmone S. T. P. 1477.
D. Stefanus de Litio secundo. Obijt Pratulæ die 11. ante Capitulum Generale 1480.
Reu. D. Nicolaus de Sulmone 1483.
Reu. D. Petrucius de Barulo Decret. Doc. 1486.
Reu. D. Michael Gipser Alemanus 1489.
Reu. D. Raymundus de Litio. S. T. P. 1429.
Petrucius de Barulo. Secundo 1495.

D. Ray-

D. Raymundus Alethynus. Secundo 1498.

Reuerendissimus D. Antonucius de Sulmone 1501.

Petrucius de Barulo, tertio 1504.

Reu. D. Petrus de Theano Decret. Doct. 1507.

Raymundus de Lirio. Tertio 1510.

Petrus de Theano, Secundo 1513. Confirmationem Priuilegiorum à Leone X. obtinuit.

Reu. D. Placidus de Polistina Calaber. 1516.

Reu. D. Christoforus de Mantua 1519.

Reu. D. Petrus de Ebulo 1522. Suorum maiorum vestigijs inhærens Galliæ iter arripuit; illius Prouinciæ Monacos à veræ Religionis Institutis semotos, ac deuios veluti Oues sine Pastore errantes, ad Caulam obedientiæ, & Regulæ obseruantiam reuocaturus: Christianissimi Regis publico edicto ad Pontem Rhodani Amnis apud Lugdunum; vt nulla interposita mora Gallicos fines relinquat, per Preconem proclamatur.

Reu. D. Placidus de Polistina. Secundo 1525.

D. Christoforus de Mantua. Secundo 1528.

Reu. D. Franciscus de Siluestris Sulmonen. Prorogauit Capitulum Generale à Mense Augusti ad primam diem Maij: Præfuit annis tribus, & Mensibus octo 1531.

Reu. D. Lucas de S. Georgio Calaber 1534.

Reu. D. Franciscus de Sulmone. Secundo 1537. Celebre Collismadij Cœnobium, & Monasterium S. Benedicti de Nursia; à Monachis Gallis, Francorum Regum brachio iam dudum per longa temporis interualla, præoccupata; iterum in Italorum ditione (Sanctissimi Domini Adriani Sexti auctoritate, & Domini Caroli de Lanoij Proregis Neapolis Regni, brachio) reduxit: eosq; perditis imbutos moribus, correxit; obedientiæ iugo submisit (expulsis tamen ijs, qui sub vmbra aurei lilij lentè accubabant) proprijq; Pastoris Superioritatem, Visitationem, & correctionem ægrè ferebant: Stabilia Monasterij Collismadij, non minus prætiosa, quam speciosa dilapidarant, & distraxerant.

Reu. D. Dominicus de Sora S. T. P. 1540.

Reu. D. Franciscus de Sulmone. Tertio 1543. Obijt mense quinto ante Capitulum Generale.

Reu.

Reu. D. Iacobus Alethynus S. T. P. Capitulum Generale ad tertiam Dominicam post Pascha, auctoritate Apostolica, & Patrum consensu protraxit 1546.

Reuerendissimus D. Alexander Crucius Bononien. 1549.

Reu. D. Petrus Capocittus de Circulo 1552. Reuerendissimi D. Petri Ianitellæ ab Agellis Episcopi S. Angeli de Lombardis ex Nepta Pronepos. Omnibus Religionis officijs exemplo perfunctus Monasterio Gargani Montis eo tempore perficitur, quo Dominus Cardinalis de Monte Sypontinæ Metropoli præerat; qui cum à summo Deo, quæ in Terris summa sunt, sub nomine Iulij Tertij assequeretur, ob notam humanitatem cum Monastica disciplina, Regulariq; obseruantia coniuncta, deq; illius magna existimatione; non minus longo, quam domestico exemplo edoctus, Abbatis Generalis dignitate decorandum imperitat.

Reu. D. Theofilus Bergomen. 1555.

Reu. D. Marcus de Collenisio 1558.

Reu. D. Iacobus de Ortona S. T. P. præfuit tantum duobus annis cum dimidio: vt iterum ad tertiam Dominicam post Pascha, Capitulum Generale futuris temporibus celebraretur 1561.

Reu. D. Petrus Iunior Capocittus de Circulo S.T. P. D. Petri Senioris ex fratre Nepos 1564.

Reu. D. Franciscus Maria Rothomagensis Gallus 1567.

Reu. D. Petrus Capocittus secundo Iunior, officij plenus, animi magnitudine præstans, vitæ integritate, ac morum venustate illustris; in rebus agendis, Pastoraliq; officio exercendo, vigilantia, ac prudentia facilè primus, in omnium scientiarum genere ita versatus, vt à Magnatibus, & Principibus in eorum arduis deliberandis sæpè sit adhibitus: Tanta præterea in regimine solertia vsus, vt discolos seueritate, obedientes humanitate, & à Regulæ Institutis deuios, nouis Constitutionibus, & decretis (nomothetica prouidentia editis) moderaretur. Congregationem graui ære alieno apud Romanam Curiam nimis obstrictam nedum liberam reddidit omninò, verum etiam multum pecuniæ, ex superfluis Monasteriorum redditibus, in publicum Erarium, futuris temporibus duraturum, pro oneribus Sanctæ Sedis Apostolicæ soluendis,

uendis, coaceruauit; Sed quanta eius in aggregando solicitudo, tanta Quinti ex Successoribus suis prodigalitas fu t in dissipando; Qui non vt Custos, sed vt direptor, paucis planè diebus Erarium euacuauit. Monasterium S. Eusebij de Vrbe vetustate ruinosum funditus erexit. Prætiosa suppellectile delubra ditauit. Quamplurima Congregationis nostræ Monasteria studentium commoditati indulgens, congruis tum ædificijs, tum liceys exornauit. Omnia sub felicissimis Auspicijs Illustrissimi Domini Innici Aualos Cardinalis de Aragonia Protectoris memorandi, gesta. Cuius prudentiam Religio primum presagiens, secundum admirans, tertium, & quartum experiens, à Prioribus illius temporis, tamquam de Religione meritus, bis, terque quaterque præficitur. Tandem Romæ annum agens quinquagesimum octauum, fama celebris, diem clausit extremum quinto Idus Februarij anno 1587. Eius Corpus nouennio elapso à die obitus sui, à Reuerendissimo Domino Donato Lantona Tarentino (cui Religionis primordia iam antea ille contulerat) delatum in Abbatia S. Spiritus de Murrone, in Sacello paulò ante ab illo extructo, fuit reconditum 16 Kalen. Februarij 1596.

Reu. D. Vincentius de Vasto S. T. P. 1573.

Reu. D. Petrus de Circulo. Tertio 1576.

Reu. D. Mattheus de Sulmone 1579.

Reu. D. Petrus de Circulo quarto 2582.

Reu. D. Mauritius Bergomen 1585.

Reu. D. Vincentius de Tocco S. T. P. 1588.

Reu. D. Thomas Theatinus S. T P. 1591.

Reu. D. Donatus Lantona Tarentinum 1594. Vir frugi. Cum in Abbatia S. Spiritus de Murrone decem ferè annorum spatio Prioratus officium gesserit, eam egregijs ædificijs ampliauit, redditibus adauxit, ecclesiasticis ornamentis decorauit. Tandem in eadem Abbatia iterum Prioratus curam habens (non sine inuidiæ liuore) ob paratas illi insidias, Tarentum Patriam suam repetere compulsus, illic obijt 14. Kalen. Decembris 1599. eius corpus à Reuerendissimo D. Petro ab Agellis, quinto post eius obitum anno, pari pietate in eandem Ecclesiam, & Sacellum Murronense, quo ille Corpus Domini Petri de Circulo transportandum curauit, trans-

latum,& cohumatum fuit anno 1604. 14. Kalen. Februarij.
Reuerendissimus D. Thomas à Beneuento S. T. P. 1597.
Reu. D. Theodosius de Bononia 1600.
Reu. D. Petrus de Agellis D. Petri Capocitti Iunioris de Circulo ex Sorore Nepos. Hoc tempore Monachi Prouinciæ Galliæ apud Summum Pontificem conquesti sunt per D. Carolum Campygni, quod Abbas generalis Monacos è Gallia fugaces ad se confugientes reciperet, & de quibusdam alijs, & propterea satis expedire illis, si totam Prouinciam à Generalis dominio, & Superioritate adimat; Quorum petitio vti vana à Summo Pontifice, & Illustrissimis Dominis Cardinalibus super hanc differentiam præfectis, reiecta, decretum est in futurum licere P. Abbati Generali Italo, eandem præeminentiam, superioritatem, ac dominium habere, & exercere in Gallicana Prouincia,& Monachis eiusdem, quam habet, & exercet in Monasterijs; & Monachis totius Italiæ.
Reu. D. Celsus Americus Romanus primo electus anno 1606. à Summo Pontifice Paulo V. quædam insignia, & habitum Prælatorum, quæ temporum varietate in desuetudinem abierant, in vsum reuocanda, obtinuit.
Reu. D. Archangelus de Mediolano 1609.
Reu. D. Ioannes Baptista Sulmonensis primo ex Apostolicæ Sedis Indulto, sex annis præfuit, efflagitante hoc Illustrissimo Domino Cardinali Bellarmino Protectore cuius opera, & patrocinio à Sũmo Pontifice Paulo Quinto principalia Religionis Monasteria nomine,& Insignibus Abbatialibus fulciuntur.
Reu. D. Celsus Romanus secundo electus 1618. Antecessoris sui exemplo ex Pontif. Indulto vsque tertiò preficitur absque temporis interstitio. Eius tempore Gallicanæ Prouinciæ Patres execrabili seditione commoti altercantes, mirabiliter rixabantur, Christianissimi Regis, & aliorum procerum consilio adhortati, à Summo Pontifice Paulo V. & Illustrissimo Domino Cardinali Bellarmino Protectore pro illius Prouinciæ tranquillitate Reuerendissimi Domini Generalis accessum deprecabantur; qui horum magnorum Principum litteris frætus iucundè Galliam petijt, & in Prouinciali Capitulo, ac Visitatione generali, cuncta suauiter disposuit omnium animos mulxit, & illis optatam pacem relinquit.

Reu.

Reu. D. Dominicus Chimentus de Tarento 1624. à Sanctissimo Domino PP. Vrbano VIII. Communicationem Priuilegiorum omnium, tàm mendicantium, quam non mendicantium, & Casinensium obtinuit, sub felicissimis Auspicijs Serenissimi Principis Cardinalis de Sabaudia Protectoris.


Reuerendissimus D. Franciscus ab Agellis 1627.



# INDEX ALPHABETICVS EORVM,

## Quæ in hoc opere continentur.

*A*



Con-

## D



Delicta

E



Expen-

## L

*Mona-*

Nego-

N



O

P

Repe-

S



Scru-

Vesti-

*Visi-*

FINIS.

